

GEORGII SCHVBARTI

J. CONSVLTI QVONDAM IN ACADEMIA IENENSI CELEBERRIMI

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE ROMANAE LIBER

QVO POTIORA HISTORIAE IVRIS CIVILIS ROMANI CAPITA STVDIOSE PERTRACTANTVR.



EDITIO NOVA

PER SVMMARIA PARAGRAPHIS PRAEPOSITA ET INDICEM ADIECTVM

VSIBVS ERVDITORVM ADCOMMODATA

CVRA

CHRISTIANI GODOFREDI TILLING I. C.

LIPSIAE

APVD BREITKOPF ET HAERTEL

CIↃIↃCCXCVII.

PRAEFATIO EDITORIS.

Elegantioris ac folidioris Iurisprudentiae ftudium, quantum in me eft, promoturus, optavi ac impetravi tandem a bibliopolis, Viris Honeftiffimis, Breitkopfio ac Haertelio, vt hic doctrinae Schubartianae foetus, inter κειμήλια verae ac mafculae Iurisprudentiae prae caeteris referendus, typis repeteretur, ac manibus ftudioforum Iuris iterum traderetur, tractandus fedula lectione et retractandus. Defiderabantur enim huius libri ad inveftigandas legum Romanarum rationes coaeuas vtiliffimi exempla et fruftra quaerebantur. Quare, monitus a Sammeto, praeceptore meo, inter omnes ipfius Auditores et mihi poft cineres venerabili, nuperrime fumma cum gloria meritis non inferiore defuncto, confilium cepi, hunc librum vfibus Eruditorum fic adcommodandi, vt quae in illo continerentur, facili negotio intelligi, et, fi quid ex his fcire intereffet, id ftatim inueniri poffet: quod ipfum priori editioni deeffe plures doluere. Prae-

missis tamen §. §. summariis ac adiecto indice contentus esse debui, nec fines huius operae leuidensis excedere. Huius enim generis libro hinc inde notulas adspergere ac velut lacinias adsuere, vt Lectori, praeter cogitata Auctoris nihil quaerenti, pretiosior exsistat, nisi absonum, inconsultum certe et inhumanum est, ac eiusmodi gloriolam nemo bene eruditus solet captare. Vnicam tantum Auctori non possum non scribere notam propterea, quod vel bonos Iuris Interpretes in eodem errore haerere animaduerti. A vero nempe, si quid magis, alienum esse videtur, quod Exerc. I. §. 21. de Sp. Caruilio Ruga profertur, qui a. V. C. DXX PRIMVS vxori repudium scripsisse dicitur: quod sane ad miraculum fere accedit, tanta saeculorum serie neminem ciuium Romanorum hac facultate vsum fuisse lege concessa. Nititur quidem haecce opinio auctoritate scriptorum alias non spernendorum, Dyonisii Halicarnassei, A. Gellii et Valerii Maximi, sed hactenus fide parum dignorum, rem quippe ingenio populi Romani plane contrariam sic narrantium, vt sibi contradicant ipsi. Narrant enim, Caruilium vere amasse vxorem suam. Vnde igitur factum, vt eam repudiaret, ac propterea odium et in-

vidiam ciuium incurreret? Iam vero Romulus, vrgentibus duntaxat nouae ciuitatis necessitatibus profpectutus, fua de repudiis lege licentiam diuortendi, tantum abeſt vt conceſſerit, vt eam potius legitimas diuortii liciti cauſſas ſtatuendo coarctauerit; Decemuiri eandem legem, auctis diuortii cauſſis, repetere neceſſarium eſſe duxerunt: ergo malum, cui vtrique legumlatores mederi voluerunt, repudiandi libidinem, increbuiſſe neceſſario conſequitur, vel propterea, quod, ſumto hoc, per quinque ſaecula nulla fuiſſe diuortia, abſurdum eſſe videtur, legumlatores minus veneratos eſſe matrimonii auſpicia, quam ipſos ciues, et per leges quaſi corrumpere voluiſſe mores, cum praeterea non appareat, quare matrimonium per vſum fuerit inuentum, niſi vt, diſfarreatione nunc non neceſſaria, repudia eſſent faciliora. Quare mittenda haec fabula, nulla fide digna: et quaerenda rectius cauſſa, quare repudium a Caruilio vxori ſuae miſſum populo Romano fuerit odioſum, quam indigitat Plutarchus in vita Romuli et in facta Theſei cum hoc comparatione: quod nempe Caruilius dimiſerit vxorem PROPTER STERILITATEM, quoniam, ſe id facturum, Cenſori iureiurando promiſerat, ne eſſet ſine prole. Sic enim Cen-

for NECESSARII adeo diuortii, ad hoc vsque tempus prorsus incogniti, caussam induxit: quod non potuit non populo, libertatem suam hac ratione coarctari sentienti ac eiusmodi magistratuum ausibus nunquam non refraganti repugnantique, quam maxime displicere. Atque haec ipsa videtur esse caussa, quare et Caruilius, quod Censori obtemperasset, odium populi in se concitaret, et repudium ab eo vxori suae missum, alias a populo haud magnopere curari solitum, notatu dignum sit visum: vt adeo hoc repudium haud fuerit primum VOLVNTARIVM, sed primum duntaxat, quod NECESSARIO esset scribendum vxori ex caussa a Censore SINE LEGE contra libertatem populi R. inuenta, exemplo adhuc prorsus incognito ac ingrato. Scrib. Lips. Calendis Mart. MDCCXCVII.

CON-

CONSPECTVS.

EXERCITATIO PRIMA.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE ROMANAE SVB REGIBVS.

CAPVT I.

De arbitrio regum ac Prudentum.

CAPVT II.

De primis Romanorum institutis circa religionem ac sacerdotia.

Capvt III.

De iure patrocinii, societatis domesticae et patriae potestatis.

Capvt IV.

De fatis legum regiarum in vniuersum.

Sect. I.

De legibus regiis generatim.

Sect.

)(5 §. 3.

Capvt II.

De caussis et fontibus Legum XII. Tabularum.

§. 19.

§. 36.

CAPVT IV.

Varia de Legibus XII. Tabularum.

Sect. I.

Unde, leges Iudaeorum in XII. Tabb. migrasse, probetur?

Sect. II.

De fatis XII. Tabularum generatim.

CAPVT

CAPVT V.

De interpretatione XII. Tabb quibus et quatenus licita et quae ei adnexa.

Sect. I.

De interpretatione ipſa et Iure Ciuili.

Sect. II.

De Actionibus Legis et ordine iudicii.

§. 64.

§. 78.

§. 4.

Sect. II.

De caussis mutatae formae ciuitatis.

Capvt II.

De ortu et forma principatus Augusti.

§. 19.

CAPVT IV.

De Legislatoria poteſtate, legibus, Praetorum Edictis et Prudentum reſponſis ſub Imperatoribus.

Sect. I.

De Legislatoria poteſtate Imperatorum.

§. 57.

Sect. II.

De potestate et Edicto Praetoris sub Imperatoribus.

Sect. III.

De responsis Prudentum sub Imperatoribus.

Sect. IV.

DE

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE ROMANAE.

PROOEMIVM.

Iurisprudentiae Romanae fata, et multiplicia, tot aetatibus, discrimina explicaturus, rem amplam quidem suscipio atque impeditam, vtilitate tamen votisque praestantissimorum diu expetitam. Ciuitas ipsa, quot erat motibus exposita, et horrendis cladibus, eo quoque traxit secum iuris ac legum praecepta, quae aut conseruabantur pro victoris humanitate, aut vim suam amittebant, cum dedecore illius, qui dederat. Iam placebant mitiora, vt populus in officio contineretur, publicique regiminis moderationem promte sequeretur: mox edicta proponebant, quibus ne seuerissimus quisque satisfacere potuisset. Ex contrariis adeo studiis quid remaneret aliud, nisi, occulta aduersus imperantes maleuolentia? quae inueterata, et tandem cum omnibus facta communis, ruptis vinculis ansam praebuit conuersionibus repetitis, vsque dum in certa placita consentirent, quibus fixi iuris ratio deberetur. Imperator a) ait: *diuina prouidentia sunt constituta iura.* non tam propter vniuersalem illam διοίκησιν, cuius beneficio naturae insiti sunt velut igniculi, ad iustitiam immotam, et virtutem stimuli, sed inprimis etiam propter

a) §. 11. de Iure N. G. et C.

pter fata rerumpublicarum, ac difficultates maximas, vnde tandem emerfit ciuitas ornata legibus, copiis abundans et diuitiis, viribus fuis potentiaque formidabilis orbi terrarum, quae ciuili augurio fibi aeternitatem polliceretur. Auguftinus [b]) in cauffas inquirens, cur DEVS populo huic tantam imperii amplitudinem, et prouinciarum florem largitus fit, breuiter addit, *quod iufte viueret ad leges fuas, ac virtutem coleret.*

Sub regio ftatu, quando cuncta facilius, et maiore folerent efficacia adminiftrari, non vna paffim felicitas erat, quod huius leges in pretio magis forent, quam alterius. Euentu faltem patebat, multa difplicuiffe, et quamuis Numae Pomp. fanctitatem colerent impenfius, ipfiusque Romuli conditoris aufpicia defiderarent femper, ad libertatem tamen promoti obliuioni fane dabant pluria. Neque rectius confulebant fibi deinceps, circa leges ferendas, circa legum in iudiciis adplicationem, vt non male dixerit prudens aeui veteris, *Romanis communem litis materiam fuiffe legem.* Agrariam in tranfitu infpiciamus, quae vel fola documento erit, quae diffidia inter plebem ac fenatum, quae cruenta hinc in foro extiterint certamina. Liuius: [c]) *Tum primum lex agraria promulgata eft, nunquam deinde vsque ad hanc memoriam fine maximis motibus rerum agitata.* quae ad annum circiter ab vrbe condita ducentefimum fexagefimum feptimum pertinent. Nonne plebs vrgebat propria fcita, fecellionibus toties factis, haut prius reditura animo pacato, quam

b) lib V. de Ciu. DEI cap. XII. ac XV.

c) lib. II. hiftor. cap. XLII.

quam senatores in vota sua ac sententias iuerint? Quae secutis temporibus, cum nondum ad paucorum arbitratum disceptarentur caussae ciuium ingenti decremento iustitiae obtinuerint, alibi explicabitur vberius. Per triumuiros certe atque dictatores, tanta cum potestate creatos, vt in peius ruentem patriam sustinerent, vitia malignorum coercerent, libertatem cum aequato iure stabilirent, id minime emendabatur. immo vna vox omnium erat, *vectigalia reipublicae, et iudicia in quaestu haberi.* Equitum studia his praecipue accusabantur, qui ad comparandas opes, praeter vias inuaserant etiam tribunalia, messem auream ibi sine lege, sine iure collecturi. Iulius Caesar quam non fuerit alienus ab isto ordine, ex pecuniae mutuo sumtae immensa vi, et auxiliis largiter inde praestitis, quibus ad summa enitebatur, omnino discimus.

Qui successerunt principes, meliora indulgebant fata iurisprudentiae, omni re operam dantes, ne quid frustra publice susciperetur priuatimque, et ne facta ciuium, siue negotia vitae absque norma diutius relinquerentur. Augustus iudicia disposuit, et intermissa frequentari deinceps iussit diligentius, quibus ipse praefuit in noctem vsque, exemplo futurus, quod magistratus in oculis haberent, quod cum cura adfectarentur. Idem fecit Claudius, *d*) qui rerum actum, diuisum antea in hibernos aestiuosque menses coniunxit, iurisdictionem de fideicommissis, quotannis tantum in vrbe, magistratibus delegari solitam, in perpetuum atque etiam per prouincias deman-

dauit

d) Suet. Claud. cap. XXIII.

dauit poteſtatibus, ne maiora cumulemus, inferius proferenda. Hadrianus longe plurima immutauit, ſiue adminiſtrationem vrbis, ſiue prouincias conſideremus, in quibus pleraque legibus muniuit firmius, atque ſanctionibus emendauit, quarum laciniae in Digeſtorum libris obuiae ſunt. Primus fere hic eſt omnium, in principatu anteceſſorum, quorum conſtitutiones relatae ſunt in Codicem. Ex quo vero ſalutaris euangelii doctrina in aulis imperatorum tradita fuit incredulis, qui ſuo vixerant ingenio ad hoc vsqus tempus, et multa contra pietatem ac religionem veram admiſerant, incrementa ſtatim nobiliora patebant.

Iuſtinianus aliorum conatus mira felicitate ſuperauit omnes, quia fluxam in hunc prope diem, ac vagam iurisprudentiam, in certam redegit compagem, deſtinatione glorioſam, vtilitate maximam, votis ac ſtudiis mortalium cum ſaeculis perennaturam. Ehodum! dixeris benigne lector, non ita diu poſt Auguſti legislatoris incomparabilia merita, fato vtique miſerrimo, dum paſſibus citatis graſſaretur barbaries, et vel recentiora magis blandirentur, vel aemulatio ſuccedentium turbaret auſa magnifica, vileſcere demum, quin euaneſcere coepit. Verum haec putabis momenta noſtri laboris potiora, vt et antecedentia, et quae ad noſtra tempora ſenſerit fortuna tam varia, IVRISPRVDENTIA ROMANA, cum DEO exponamus, cui fauorem tuum ſollicite minus conciliabimus ideo, quod honeſtis aduerſari cenſeatur illiberale.

DE

EXERCITATIO PRIMA

DE FATIS

IVRISPRVDENTIAE ROMANAE

SVB REGIBVS.

CAPVT I.

DE ARBITRIO REGVM AC PRVDENTVM.

§. I.

IVRE NONDVM SCRIPTO ARBITRIA REGIS AC PRVDENTVM ERANT PRO LEGIBVS.

Principio videntur obſtare, quae ex antiquitate vltima repeti debent, quaeque ſerie non interrupta connectenda ſunt inuicem, vt rei totius notitia plenior habeatur. Ex iureconſultis Pomponius [a]) ſiue quis alius e numero prudentum eius hiſtoriae ſcriptor, *de Origine Iuris*, viam praeiuit, quem Iuſtinianus [b]) Aug. in reſcripto ad Tribunianum, *de veteri iure enucleando* ſequitur: vbi ſe ab vrbe condita, et Romuleis temporibus, ius totum antiquum purgaſſe, atque collegiſſe fatetur. Gaius etiam [c]) *facturus*, inquit, *legum vetuſtarum interpretationem, neceſſario prius ab vrbis initiis repetendum exiſtimaui, non quia velim verboſos commentarios facere, ſed quod in omnibus rebus animaduerti, id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat.* Quando tamen quaeritur, quaenam fuerint primae ſub regibus leges, quaenam ciuitatis inſtauratae ordinationes publicae? ibi deſcribunt arbitria principum: heic vero curias triginta cum tribubus nominant, de quibus amplius diſpiciendum.

 §. II.

a) l. 2. ff. de O. I. b) l. 1. C. de V. I. E. c) l. 1. ff. de O. I.

§. II.

HAEC APTA PRIMORDIIS ROMANAE CIVITATIS.

Nihil mitius dici poterat, quam hoc ipsum, de societate recens coalita, vbi haud dubie futura erant cuncta duriora, quae feuerae conftitutionis nomen praeferebant. Opus itaque placida fententia, alloquiis civium ac deliberationibus, ne ad firmanda primordia digrederentur in partes: contra vero nibil contingebat iisdem optatius, quam ei fubeffe, qui longe remotus a violentia, ac fuorum caedibus, belli pacisque artibus patriam ornaret. Vulgatum eft in pactis gentium, et negotiis quorumlibet difficilioribus, *arbitrium boni viri*, quod in coetus hominum adeo diffunditur, vt heic abeffe non potuerit. Ariftoteles [d]) grauiter disquirit. *πότερον συμφέρει μᾶλλον, ὑπὸ τοῦ ἀρίσου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίσων νόμων*; et paene arbitrium optimi principis iuri ftricto praefert, quod apud Lacones obtinebat. Qui alio fine id fupereffe in legibus Romanorum, ac paffim commendari exiftimant, velut in pretiis rerum, atque aeftimatione ciuili, in poffeffionibus, hereditatis aditione, iudiciis et contractibus variis, aut fibi parum confcii funt, aut fpernunt, quidquid a doctioribus hac in re annotatum eft. Paullus: [e]) *omnis qui defenditur, boni viri arbitratu defenditur*: quafi diceret, ad eum modum, quem admitteret verus aeftimator aequitatis. Cicero: [f]) *quid eft in iudicio? directum, afperum, fimplex: quid eft in arbitrio? mite, moderatum, quantum aequius melius fit dari.* Vnde liquet probe, quam vetufta fint iudicia arbitrorum, et quam placuerint femper, aequitatis commendatione, fententiae arbitrariae, pro legibus aliquando inualiturae.

§. III.

d) III. Polit. cap. XI. e) I. 77. ff. de procur.
f) III. pro Rofc. p. m. 39.

§. III.

IMPERANTE ROMULO MODERATE.

Aequum fectabatur et iuftum Romulus, cum fucceſforibus in regno, in rudimentis aeternae vrbis eo ſpectantes, vt lites difinirent, arbitrio neutri parti acerbo, paucis quoque, breuibus, perſpicuis ac neceſſariis legibus ciuitatem ſubinde inſtruerent. Iudiciorum non tam enixa cura adparebat, non tam ſtrenua formularum obſeruatio, vnde minima quaeque cum puluiſculo diſcuti ſolerent. Quare cum narrat Pomponius: *initio ciuitatis noſtrae populus ſine lege certa, ſine iure certo, primum agere inſtituit: omnia manu regis gubernabantur:* item Troius, ab initio epitomarum: *populus nullis legibus tenebatur, arbitria pro legibus erant:* ac Philo: [g]) βασιλεὺς νόμος ἔμψυχος, νόμος δὲ ὁ βασιλεὺς δίκαιος: non aliter ac ſi rex et arbitrium eius, ſiue lex, conuerſim praedicarentur. Interea ſinguli manſuetiora inſinuant, non dominationem poteſtate illimitata vagam et ambiguam, ſed adminiſtrationem populi genio conuenientem, aequali iure ciuium, ac libertate temperatam. Neque enim haec inuicem pugnant, vnius imperio contineri, ſibi tamen permitti ad praeclara facinora edenda. Qui *iuſſa regum* cum arbitriis faciunt eadem, hoc non videntur promiſcue adfirmare, quod ſaepius illa ſint remota ab honeſtate, vtilitateque tantum aeſtimentur: arbitria contra, ſtudio pariter et conſilio deliberato, vim ſuam habeant, quatenus cum iuſtitia conueniunt. Theodahatus, rex Oſtrogothus: [h]) *cum poſſimus omnia, ſola nobis licere credimus laudanda.* quae vero haec ſunt, niſi honeſta, iuſta, ſaluti publicae non aduerſa? quae ſecundum rationem, eiusque leges ſunt, non quae ex facto putantur ſalutaria et recta, quia rex male affectus ita iuſſerat.

g) II. de vita Moſ. p. m. 506. h) Caſſiod. lib. X. p. m. 340.

§. IV.

ET CONSENSV POPVLI VT CAETERARVM GENTIVM REGES.

Sine qui reges olim sumebantur a gentibus, hisce tribus potissimum caussis dignoscebantur a ceteris: vt contra hostes ciuitatem defenderent, siue tranquillitatem subiectis praestarent, aggressores superbos punirent armis, restituerent ablata, fines aut custodirent, aut proferrent: vt iudiciis tollerent priuatorum discordias, et iustitiam colerent: vt sacrorum curam haberent, eo proquo studioque ne quid contra maiorum instituta fieret. Singula vero haec exercebant cum populi consensu, inque rebus praeclare gestis communi omnium adplausu. De Ebraeis hoc nouimus e sacris litteris, de Medis idem testatur Herodotus, de Graecis Thucydides, Cicero [i]) de Romanis: *mihi videntur apud maiores nostros seruandae iustitiae caussa bene morati reges constituti: eademque fuit constituendarum legum caussa, quae regum.* Atqui verius haut quidquam dixerit orator. Quae enim societas absque vinculo et adprobatione vtriusque diu permansit incolumis? si neque domus stare potest, in qua recte factis negantur praemia, nec peccatis irrogantur poenae, multo minus florebit sine his ampla respublica.

§. V.

QVAE IVRA FVERINT SENATVS AC POPVLI.

Equidem ista satis luculenta sunt, dubioque carent, nisi quod ex altera parte intercedunt nonnulli, qui omnem regibus potestatem ita transcribunt, vt nihil eius cum populo communicatum esse velint. Extantiora ipsis argumenta suppeditat Pomponius, [k]) qui *omnia manu regum administrata* fuisse, *omnem reges potestatem habuisse,*

i) II. de offic. p. m. 379. k) l. a. ff. de O. I. §. 1. 14.

habuisse, aperte scribit. Tacitus [l]) quoque: *nobis*, inquit, *Romulus vt libitum imperitauerat.* At vero loca opposita interpretatione benigna capi debere, postulat antiqua Romani status ratio. quae, teste historia, per triginta, et mox aucta ciuitate, per curias plures, in maximis regni negotiis populum admittebat, ac senatores; qui *patres*, ab honore et consilio, liberi vero illorum *patricii* adpellabantur. Sic legislatio ab his peracta, itemque legatio decreta ad vicinos, de sanguine et genere miscendo: sic post Romuli excessum populo summa potestas data, in rege nouo iubendo, inque magistratu quolibet constituendo: sic pacis ac belli arbitrium, in certis caussis, ad eosdem per tribus et curias deferebatur. Inter haec supremum iudicium erat penes regem, nihilque ex iis pertinebat ad senatum, quin regi placeret forte, neque ad populum facile transmittebatur, nisi iussu eiusdem. Dionysius Halicarnasseus [m]): *συνεδρίῳ τῆς βȣλῆς τιμὴν καὶ δυναστείαν ἀνέθηκε τοιάνδε, περὶ παντὸς ὅτȣ ἂν εἰσηγεῖται βασιλεὺς, διαγινώσκειν τε καὶ ψῆφον ἐπιφέρειν, καὶ ὅτι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι, τȣ̃το νικᾷν. Senatui eam concessit vim ac potestatem, vt de quibus ad ipsum referretur a rege, cognosceret, suffragioque plurium decerneret.* ad haec statim addit. *τῷ δὲ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμȣς ἐπικυρȣ̃ν, καὶ περὶ πολέμȣ διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ, ȣ̓δὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξȣσίαν ἐπίληπτον, ἂν μὴ καὶ ταῦτα δοκῇ τῇ βȣλῇ.* vbi verba, *ἀρχαιρεσιάζειν* ac *νόμȣς ἐπικυρȣ̃ν*, tantam plebi adsignant vim, quantam tribui fas erat in ciuitate libera. Mos

l) III. annal. cap. XXVI.

m) II. antiqu. n. 65. 66. Idem, libro IV. antiquitatum, sub Tullio rege, n. 166. de his populi iuribus: *τριῶν πραγμάτων ὁ δῆμος ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων κύριος ἦν, τῶν μεγίστων τε καὶ ἀναγκαιοτάτων.* Seneca ex pontificalibus libris refert, prouocationem ad populum etiam a regibus fuisse. nisi id nimium fuerit, ep. CVIII. p. m. 211.

iste confirmandi, iubendive, postea quoque retentus, siue leges ferrentur, siue difficile ac magnum quid in comitiis decerneretur, sicut exercitatione sequenti id demonstrabimus. Scilicet regimen hoc temperatissimum est, in quo princeps cum suis diuisa potentia, diuisis honoribus, ita se gerit, vt maiestatem per obsequia suorum reddat venerabiliorem, ac decore ciuitatis inuitet omnes, qui ad auram liberiorem adspirant. Corporis robusti naturam induit, quod a capite vim suam habet, ac demittit in neruos, quidquid solidum atque duraturum est.

§. VI.

HAEC FORMA A MAIORIBVS PETITA LEGE SCRIPTA NON PRORSVS CARVIT

Neque primus erat Romulus, qui formam adeo moderatam excogitauit, cum eius maiores in Latio, Spartanique apud Graecos, iam olim simili ratione praefuerint regnis. Romae pariter succedentes eam conseruarunt, vsque ad Tarquinium Superbum. Liuius: n) *hic regum primus traditum a prioribus morem soluit, de omnibus consulendi senatum. Domesticis consiliis rempublicam administrauit. Bellum, pacem, federa, societates, per se ipse cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus fecit diremitque.* Discimus inde, quid de Pomponii narratione sentiendum sit, deque verbis Taciti, cui *libitum* est prope, quod bono et ordinato sensu adpeti potest. Id modo *arbitrium* diximus, quo se nesciebat posse Romulus, quod posse non debebat, ex ciuitatis probatae contextu. Quem sic formauerat, vt nulla praua libidine, nulla impotenti licentia, a salute publica recederet. In caussis potissimum, omnium studiis ad se relatis, hoc obtinebat, quoniam de singulis nondum exstabant leges, vt, quod sibi videretur, ac iusti aequive rationem haberet,

n) lib. I. hist. cap. XLIX.

beret, auctoritate regia ediceret. Qui vero ab isto procedendi more concludunt, nullas plane conditas fuisse leges a Romulo, fere cum his titubant, qui medio soli manum obtendunt, interdiu noctem cum imperitis habituri.

§ VII.

ET FALSA EST ID AFFIRMANTIVM SENTENTIA.

Videtur quidem iis prodesse, quod Iustinianus [o]) ipse sic loquatur alicubi, quasi a Romulo nullae sint proditae leges per vrbis primordia, vicinorumque incommoda, fere intento bellis, et curis muniendi, suaque amplificandi manu potius, quam iure, quod Numa praestiterit. Ita enim verba sonant: *Ρωμύλος μὲν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας, Νουμᾶς δὲ αὐτὴν νόμοις τάξας τε καὶ κατακοσμήσας.* Isidorus longe fidentior, et cum illo Gratianus: [p]) *Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, et primus leges Romanis edidit.* Neque desunt ex antiquioribus, quibus placuere similia. Verum serio rem exputantes, alia statuimus omnia, nec nisi comparatione quadam haec dicta esse arbitramur. Romulus vtique tam quietus haut fuit, vt cuncta, siue ad humana, siue ad diuina pertinerent, lege circumscriberet, contentus reddita pace edixisse paucis, quae ad commune bonum necessaria erant. Numa contra, tranquillitatis publicae studiosus, iure firmare et augere connitebatur, quae antecessor in regno, et conditor vrbis coeperat. Qua do igitur pluribus id ageret, instituti melioris auctor, et civitatem religione legibusque impleret, posteri magis eum laudaruut hoc nomine, quam Romulum. Immo sine legibus hic neque diu praeesse potuisset, quod natura reipublicae conseruandae, et optimus quisque veterum nobis inculcant. Cicero: [q]) *a primo vrbis ortu, regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, caerimo-*

o) Nov. XLVII. praef. p) Dist. XII. c. 1. q) IV. Tusc. ab init.

niae, comitia, prouocationes. Aurelius Victor: [r]) *Romulus vrbem prius legibus, quam moenibus communiuit.*

§. VIII

QVID SIT: MANV REGIS GVBERNARI.

De *manu* regia non pauciora cumulantur, inter se pugnantia, quae tamen quis citra pulueris iactum componat, vbi satis acceperit, quae hactenus allata sunt. Non potestas herilis, neque seuerior alia heic locum inuenit, non supercilium tyrannicum, aut vis infinita, qua rex statuat secundum liberrimam facultatem, quidquid modo libuerit. Scipio Gentilis, [s]) de iure publico Romanorum: *id de regibus Romanis dici non posse; nec a Pomponio dictum existimamus.* Quae de χειρὸς νόμῳ tradit Aristoteles, vigente in regno Laconico, huc parum faciunt. Et si quid similitudinis habuisset illa lex, ampliorem duntaxat potestatem indicasset. Heinsiana paraphrasis diductiori sensu: *Lacedaemone vitae quoque ius ac necis aliqua ex parte tantum apud reges fuit, hoc est, qua in castris erant, et in milites imperium habebant.* Neque plane reiicio, quod existimant aliqui, Romulum Lacedaemonios secutum esse, sibique parem in suos potestatem sumsisse. Sabini, colonia Spartana, iamque pars vrbis conditae, praebebant exempla. Plutarchus: [t]) Σαβῖνοι Λακεδαιμονίων ἄποικοί εἰσι. Dionysius: [v]) ἐκ τῆς Λακωνικῆς πολιτείας καὶ τοῦτο μετενεγκάμενος· *ex Lacedaemoniorum instituto hoc etiam imitatus*, quod nempe mitius imperaret Romulus. οὐδὲ γὰρ οἱ Λακεδαιμονίων βασιλεῖς αὐτοκράτορες ἦσαν, ὅτι βούλοιντο πράττειν. In primo vrbis incremento maior felicitas regum, major veneratio ac libertas. Itaque *manu gubernare* in praesenti nihil designat aliud, quam in tanta legum solitudine, libera sententia, arbitratu efficaci, pro aucto-

r) De vir. Illustr. in Rom. p. m. 714.
s) Diss. 1. §. 2. Arist. libr. III polit. cap. X.
t) In Rom. p. m. 16. v) lib. II. antiq. n. 65.

auctoritatis plenitudine, et rei ipsius qualitate, iustissime agere, atque ciuium lites dirimere.

§. IX.

QVID NON SIT.

Est, qui per *manum* intelligit *legem*, nec opinatur, se ratione destitui. Si enim in principis potestate est, [x]) ferre leges, immo etiam id, quod princ pi placet, legis vim habet, adparet vltro, manu ceu lege ab illo fieri omnia. Sed longius ista petuntur cum in verbis enchiridii discernatur iudicium ordinarium per leges, instituta veluti comparatione temporum insequentium, quibus adprime legibus munita erat civitas a iudicio et arbitrio praestantissimi cuiusque. Minime inanis haec differentia semper visa, quam et ex oppositione *iudicii legalis propriaeque auctoritatis* subinnuit Imperator noster. [y]) Nec opus est, heic prolixe ingerere, quanta intelligatur potestas, aut quousque manum porrexerint regia maiestate primi Romanorum gubernatores, quod industria perquam sollicita, inani tamen et superuacanea, multi demonstrare voluerunt. Illud vulgare adhue est, vocem χειρὸς apud Graecos, et sic imitatione proxima apud Latinos, vario significatu vsurpari, pro varia notione verborum, quorsum adplicatur. Exempla sunt obuia, quae larga etiam manu exhibet nobis post Brissonium [z]) Rupertus [aa]), in doctis animaduersionibus ad Pomponium, vt hinc quoque veniam mereamur, quod studiosi breuitatis non recoquamus ad nauseam, quae alibi leguntur ab eruditis obseruata.

x) l. 1. ff. de Constit. pr. §. 6. Instit. de I. N. G.
y) l. 2. C. §. 13. de vet. iur. enucl.
z) lib. XI. de V. S. in voce manus.
aa) Rup. l. I. c. 2.

CAPVT

CAPVT II.

DE PRIMIS ROMANORVM INSTITVTIS CIRCA RELIGIONEM AC SACERDOTIA.

§ X.

AVSPICIA ROMVLVS PEREGIT MORE MAIORVM POSTERIS EXEMPLO.

Inter fatalia legum non immerito computamus haec initia, et faluberrima inftituta, quibus ciues formati funt cultiores, et ad vitam traducti meliorem. Verum non folo arbitrio, fluctuanti haud dubie in cauffis poftea redituris, et mutabili, pro fucceſſorum diuerfa propenfione. Legibus igitur certis imbuerunt fuos, quas licet rariores, non tamen omnino nullas fuiffe deprehendimus. Tacitus [a]) partite confignat, quidquid a Romulo peregerint fuccedentes. *Numa religionibus et iure diuino populum deuinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco. fed praecipuus Ser. Tullius fanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.* Pomponius: *Leges quasdam et Romulus curiatas ad populum tulit. tulerunt et fequentes reges.* Si ordinem confideremus legum promulgatarum, quem hiftorici feruant, de facris peragundis lex nulla ftatim, poft regem conftitutum Romulum, fuit propofita. quando enim ipfe plaufu totius populi tantum faftigium attigiffet, quo magis conftaret de numinis prouidentia, lae-

a) III. annal. cap. XXVI.

laetoque regni auſpicio, caeſis hoſtiis de coelo ſeruauit, emicante coeli fulgure, ſe DIIS probari ſenſit. Sacro iſthoc ſolenni functus eſt, nulla fixa lege, quam ſequeretur in publica inauguratione, ſed impetu religioſo, et more patrio, a Graecis in Latium transeunte. Id potius exemplo fuit poſteris, ne quem regnare facile paterentur, quin coelitus adparuiſſet, eum fore dignum. Dionyſius Halicarnaſſeus: *b*) *κατεστήσατο ἐν ἔθει τῆς μετ' αὐτὸν ἅπασι, μήτε βασιλείας, μήτε ἀρχὰς λαμβάνειν, ἐὰν μὴ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς θεσπίσῃ. morem hunc reliquit poſteris, ne quis regnum aut magiſtratum capeſſeret, ſine nutu et adſenſu diuino.* Quem dixerat heic morem, cum lege mox comparat, eamque regno ſublato duraſſe ſcribit, in conſulum ac praetorum electione. Neque vanum hoc reputandum, maieſtatis regiae honorem a DEO auſpicari velle, aut quaſi gentes promiſcue hoc neglexerint. Tanto videlicet muneri nouerant, ex alto ſpiritum iuxta vitamque tribui, vnde porro felicitas ad omnes propagaretur.

§. XI.

POSTEA DE CVLTU DIVINO LEGES QVAEDAM LATAE.

Tria ſunt in qualibet ſocietate probe noſcenda: cultus diuinus, quo cuncta proſpere cedunt mortalibus: iuſtitia et temperantia, per quas aequalitas ciuium conſeruatur: itemque virtus militaris, qua tranquille viuunt, ac tuti ab iniquis oppreſſoribus. Per haec florent respublicae, et quo magis coluntur, eo citius aeternitatem largiuntur. Qui primordia Romanorum ex priſcis monumentis deſcribunt, fulcrum hoc triplex in oculis habuiſſe reges produnt, donec per contemtum, et interitum

b) II. antiq. n. 61.

tum quoque suum, experiretur vltimus, quam esset periculosum, vel vnum ex illis labefactare. Romulus cum Numa, quae propter religionem, sacerdotum frugalitatem et castimoniam, sacrificiorum ritus, ferias, expiationes, manes ac sepulcra statuerint, prolixe exposuerunt alii. Potissimum vero laudatur constitutio Romuli [c]; circa numinis cultum, qua fabulas prohibuit, ac theologiam, quam Varro [d]) *μυθικὴν* dixit, e ciuitate sua proscripsit. Ratio erat, quod *ἐν μύθοις βλασφημίαι τινές εἰσι κατ' αὐτῶν* nempe *θεῶν*, *ἢ κατηγορίαι*, *quod in fabulis probra et crimina obuia sint contra DEOS*. Romulus potius instruebat suos, ad bene ac pie loquendum sentiendumque de Diis, nec permittebat quidquam beatae naturae aduersum, quae patent ex sequentibus: *Παρεσκεύασε τοὺς ἀνθρώπους κράτιστα περὶ θεῶν λέγειν τε καὶ φρονεῖν, μηδὲν αὐτοῖς προσάπτοντας ἀνάξιον ἐπιτήδευμα τῆς μακαρίας φύσεως.* Immo verisimillimum est, illum praeterea non nisi vnicum Iouem, vtut sub variis nominibus, coluisse.

§. XII.

ET EXACTIS REGIBVS SERVATAE.

Ex regiis hisce institutis, tanquam ex fonte, manarunt plures in libertate, earumque memoria tam fuit sancta, vt veteres iureconsulti et per hos Iustinianus Aug. legis regiae *de praegnante mortua* fragmentum in pandectis [e]) adseruarint. Numae fuisse illam, Antonius Augustinus [f]) existimat, et cum eo doctiores plerique, quod rex iste de mortuis et iure manium multa praecepit. Quis autem dubitauerit, magnam harum partem, etiam post exactos reges, constanter obtinuisse: de quibus non ita multo post. Religio certe cum regibus non fuit

c) Dion. Halicarn. l. antiq. n. 68. d) August. VI. de C. D. c. V.
e) l. 2. ff. de mort. infer. f) De LL. et SCtis p. 130.

fuit eiurata, caerimoniae manseruut eaedem, ipsa denique cultus externi ratio semper ad primam institutionem diligentissime exigebatur a posteris. quippe in sacris ea maxime capiunt homines, quae sunt antiquissima. Ad haec patres ab initio vrbis procurabant sacra, lege regia, quam sine ingenti suorum damno, iam statu mutato, adspernari haut poterant. Dionysius Halicarnasseus de Romulo [g]): ἐξ ἑκάστης φράτρας ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι δύο τοὺς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότας, τοὺς γένει τε προὔχοντας τῶν ἄλλων, καὶ ἀρετῇ διαφόρους, χρημάτων περιουσίαν ἔχοντας ἀρκοῦσαν, καὶ μηδὲν ἠλαττωμένους τῶν περὶ τὸ σῶμα. *lege sanxit, vt e singulis curiis legerentur bini annum egressi quinquagesimum, qui genere ac virtute antecellerent alios, opes haberent sufficientes et integro essent corpore.* Liuius auctor est, longe post creatos tribunos extitisse Ogulnios, qui eminentiores ex ciuibus accenderent contra patricios, quasi soli huc vsque sacerdotia haberent, vt cum plebe communicarent aequaliter. Vnde series religiosa a prima institutione, et ordo sacri muneris patet abunde. Instat forte, qui haec iuris publici capita dicat apud veteres, ex quibus prudentiae ciuilis ambigua sors non tam accurate cognoscatur. cui respondemus, haec ita quondam connexa fuisse, vt, quamuis publica essent, ad singulorum tamen vtilitatem spectasse, crederent omnes.

g) II. antiq. n. 69. Liu. lib. X. hist. cap. VI.

CAPVT

CAPVT III.

DE IVRE PATROCINII, SOCIETATIS DOMESTICAE ET PATRIAE POTESTATIS.

§. XIII.

DE HABITV PATROCINII AD REMPVBLICAM.

Pergamus itaque ad ciuitatem legibus ordinatam a regibus: vbi in primis patrocinii ius, ſocietatis coniugalis, ac patriae poteſtatis occurrit. Non alia ratione magis conciliare inuicem poterat Romulus animos populi, ac ſi publice ſanciret, quod nexu firmiori obſtringeret vniuerſos, et ad officia mutua prouocaret. Nihil ad tranquillitatem excogitare poterat efficacius, quam iure aequabili referre ad ſeſe iuuandos, qui alias in partes iuiſſent. Patronus, ſiue quisque ingenio, virtute et ope clarior in vrbe, infirmiores, rerum imperitos et natura meticuloſos, tanquam clientes contra iniquos aliorum conatus tueri cogebatur. quo ipſo ſapientiſſimus rex nobiles diſcernebat ab ignobilibus, eximios, manuque et indole praeſtantes, à fece plebis vltima. Plutarchus [a]): *τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους πατρικῇ κηδεμονίᾳ καὶ φροντίδι προσήκειν ἐπιμελεῖσθαι τῶν ταπεινοτέρων, ἅμα δὲ τοὺς ἄλλους διδάσκειν μὴ δεδιέναι. μηδ' ἄχθεσθαι ταῖς τῶν κρειττόνων τιμαῖς. primores ac potentiores ſollicitudine patria. omnique cura demiſſiores complectebantur, ne timerent praeſtantiores, neue honoribus inuiderent eorum.* Maxime vero conſiſtebat munus viri nobilis ac patroni,

a) In vita Romuli p. m. 24.

patroni, in iuris et aequi notitia, quo de respondere debebat, quoties rogaretur a cliente. Vt adeo hinc magis eluceat, quodnam tunc *optimi cuiusque arbitrium fuerit.* Nempe statim haut erat perfectum, quod in tanta multitudine nuper coeptum, cui regendae tamen coercendaeve praestantiores cum rege intentos esse decebat.

§. XIV.

HINC CAUSSARVM PATRONI ET RESPONDENTES DE IVRE.

Obiurgatio igitur illa Q. Mutii [b]), *turpe est patricio ac nobili, ius ignorare ciuitatis, in qua versatur*, non est illorum temporum, sed ab origine vrbis repetenda, quando patroni, iuris et aequi interpretes, plebi imbellae ac humili praeficerentur. Patroni caussarum hinc quoque nomen ac munus adepti. Cicero [c]): *quid est turpius, quam legitimarum et ciuilium controuersiarum patrocinia suscipere, cum sis legum ac iuris ciuilis ignarus?* Ipse etiam mos respondendi de iure, in foro, inque aedibus prudentum, non cum tabulis introducebatur demum, cum de sensu legum perplexo et vniuersali, de legum adplicatione disputaretur, quod hic sub regno inualuisse illum discamus. quanquam negari vix queat, aliter se gessisse patronos ab initio, paucis legibus instructos, aliter postea respondisse iurisperitos sub consulibus, tabulis propositis, obseruatione consueta, et antecessorum interpretationibus nixos. Sallustius apud Augustinum [d]): *ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat.* Ex his insuper dignitatem aestimemus eorum, qui apud Romanos olim scientia iuris anteferebantur ceteris. Quod argumentum *de claris legum interpretibus* attigit Guid. Pancirollus, *de iureconsultis*

b) l. 2 ff. de O. I. §. 43. c) De orat. p. m. CCLIX.
d) 1 de C. D. cap. XIIIX. Sall. Catil. cap. IX.

fultis veteribus, Nicol. Cifnerus, *de auctoritate prudentum* Iac. Raeuardus, licet ftrictim, neque omnino ex horum temporum vfu.

§. XV.

OFFICIA PATRONI ET CLIENTIS MVTVA.

Patronatus autem officium, quibus partibus circumfcribatur, et contra, quousque cliens obligetur, ex antiquo iure pariter et legibus, quae fuperfunt, manifeftum eft. Praeter id, quod patronus doceret, quid iufte peti, et haberi poffet, quid fugiendum effet, abfentis quoque curam fufcipiebat, et negotia illius non aliter ac fua adminiftrabat. Quidquid fibi parabat cliens, vnde pariebatur detrimentum, patroni ftudio reducebatur, quafi decreuiffet fibi: quidquid in fraudem eius fiebat, huius prudentia corrigebatur. Non cliens accufabatur, fed patronus, cuius periculo in foro difcutiebantur lites, et fi congruam non adhiberet operam, id fummo erat dedecori. Dionyfius Halicarnaffeus [e]): *ὡς δὲ ὀλίγα περὶ πολλῶν ἄν τις εἴποι, πᾶσαν αὐτοῖς εἰρήνην τῶν τε ἰδίων καὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων, ἧς μάλιστα ἐδέοντο, παρέχειν,* clienti quietem, cuius defiderio maxime vrgebatur, conferuare debebat patronus. Ex altera parte non minora praeftabant iure clientelae homines plebeii: fi forfan patronus collocaret filiam alteri, dotem ipfi largitionibus fuis augebant, quilibet pro facultatum modulo, ne ingratus videretur. Si captus ab hoftibus effet patronus, aut quis tantum ex liberis eius, fi cauffa in foro cecidiffet, pecunia mulctandus, fi magiftratum gereret, nec propriis eum viribus poffet fuftinere cum gloria, vbique conferebant liberali manu clientes, et ope fua patronum benigne adiuuabant. Hoc tamen inftitutum ceffaffe dein-

e) II antiq. n. 63.

deinceps indicat Plutarchus [f]): *ὕϛερον δὲ τῶν ἄλλων δικαίων μενόντων, τὸ λαμβάνειν χρήματα τοὺς δυνατοὺς παρὰ τῶν ταπεινοτέρων, αἰσχρὸν ἐνομίσθη καὶ ἀγεννές. postea remanentibus ex iure aliis, turpe censuerunt nobiles, ac nomine suo indignum, a plebe sumere pecuniam.*

§. XVI.

ET COMMVNIA: AC HINC NEXVS VTRIVSQVE.

Communia vtrinque erant, ne quis alterum accusaret, multo minus contra alterum ferret testimonium, ne quis inimicaretur, aut clam laederet alterum. erat enim patronus cum cliente vna quasi persona. Polybius [g]) tam salutare consilium *ἰσοῤῥοπῦν καὶ ζυγοϛατούμενον* vocat, *ὡς μηδαμῦ νεύῃ. μηδ᾽ ἐπὶ πολὺ καταῤῥέπῃ πολίτευμα, ciuitatem aequis ponderibus, et aequa lance suspensam.* quae nulla parte vergat, aut nimium propendeat. In hoc enim reciproco beneficiorum fluxu, quid praeclarius ad concordiam fingi potest? Neque alio respectu iidem *cognati* inuicem, *amici* atque *proximi* adpellantur, quam quia secundorum dubiorumque consortes erant. Iustinus [h]): *quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant.* De nobilissimis iuuenibus, Chione ac Leonide, sermo est, qui patriam a tyrannide liberaturi. Clearchum occupabant. Minus ideo coniectura quadrat editoris diligentissimi, qui *veluti clientes* reponit inter glossemata et sic expungenda censet. cum iidem frequenti numero dicantur socii, pari significatione amicitiae clientelaeue. Caesar [i]) in commentariis: *magna manu horum socii et clientes legionem oppugnare incipiunt.* Liuius [k]), hospites et clientes, iure vtrinque competenti, ex antiquissimis moribus copulat: *patriciorum hospites clientesque fru-*

f) In vita Rom. pag. XXV. g) l. VI. p. m 459. h) lib. XV epit. cap. V. i) V. de B. G. cap. XXXIX. k) III. hist c. XVI.

ſtra ſe tumultuatos eſſe ſentiunt. Interdum iunguntur *cliens* ac *familiaris*, ſiue qui eſt amicus nobis, velut ex eadem familia, iunctus arctiſſime, ac domi cognitus. Cicero [l]) *Mallius Glaucia, tuus cliens ac familiaris*, qui ſemper in aedibus Tuis verſatur. A quotidiano illhoc officio *clientes* dicuntur a comicis, *anteambulones*, *comites*, *ſalutatores:* a ſcriptoribus aeui medii *ſatellites*, quibus et clientela eſt *ſatellitium*. [m]). neque ſic diuerſi admodum forent, quamuis conditione iniquiore, Theſſalorum *πενέσαι*, Lacedaemoniorum εἵλωτες, de quibus Io. Strauchius [n]) plane ex fontibus. Quibus adde Gallorum veterum Σιλοδέρες, vt Nicolaus Damaſcenus adpellat, Caeſar [o]) *deuotos ac Soldurios.* De reliquis vocabulis, deque iure adplicationis, quod Athenienſes *δίκην ἀπροστασίου* dixere, conſulendus Gronouius pater, ac Turnebus: ille *in obſeruationibus*, hic vero *in aduerſariis.* Omnia complexus eſt paucis verus antiquitatis Romanae theſaurus [p]): *διέμειναν ἐν πολλαῖς γενεαῖς οὐδὲν διαφέρουσαι συγγενικῶν ἀναγκαιοτήτων αἱ τῶν πελατῶν τε καὶ προστατῶν συζυγίαι, παισὶ παίδων συνιστάμεναι*, per multas aetates durauit mutuum hoc vinculum, non ſecus ac inter neceſſarios, ad poſteros velut hereditate transmiſſum. quibus maxima laus erat, habere clientes quamplurimos, a maioribus relictos, et propria virtute partos.

§. XIV.

POST REGES EIECTOS MVTATVS ET PROPAGATVS VT CLIENTELAE ESSENT PVBLICAE ET PRIVATAE.

Mutato per reges, lege abiuratos, publico ſtatu, quandantenus mutatum eſt ius patrocinii, cum plebs ad maio-

l) Pro Roſc. p. m. 20. m) Reineſ. ep. 85. ad Daum. n) In Beryto II. 22. o) Excepta Peireſc. p. m. 501. p) Dion. II. ant. [illegible]

maiorem libertatem peruenisset, inprimis vero tribunis postea magna auctoritate praeualentibus. Interim semper manserunt eius reliquiae, vt, quod ad rem ipsam, nihil acciderit, quo tolleretur penitus. Cicero [q]) testis est, republica florente non intra vrbem substitisse solum, nec in familiis nobilioribus, sed ad integras gentes prolatum esse: *in quo tantopere apud nostros iustitia culta est, vt ii, qui ciuitates aut nationes, bello deuictas, in fidem recepissent, earum patroni essent, more maiorum.* Scilicet iam clientelae duplicis erant naturae, aliae publicae, de quibus Tullius in praesenti loquitur, aliae priuatae, quas modo descripsimus. Illae quoque vocantur *maximae*, a potentia et commodis, quae inde solebant quotannis redire. Ita Scipiones, Africae domitores, Poenorum erant patroni, Marcelli Siculorum, Cappadocum M. Cato, Cicero Capuanorum, Trallianorum Flacci, Lacedaemoniorum Claudii, Allobrogum Fabii, aliarum prouinciarum alii erant. In antiquis marmoribus audiunt PATRONI COLONIARVM, quae ad hos referebant, quidquid sua intererat, inque senatu Romano curari debebat. Sed et qui non pacati erant a consulari duce Romanorum, ius adplicandi habebant in vrbe, cuiuscunque fidem amicitiamque sequi vellent, ac sese illi dare in clientelam. Velleius Paterculus [r]): *Cn. Pompeius ad vindicandam patriae dignitatem, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit exercitum.* Sub imperatoribus commonstrabant simile quid, *patrocinia vicorum, colonorum, rusticanorum,* in quem finem leges Constantii, Valentis et Arcadii latae sunt [s]), quibus omnino prohibentur, exactionem iniquissimarum, ac tributorum contemplatione, quibus patroni molesti admodum fuerant clientibus.

 Heic

q) 1 offic. p. m. 355. r) 11 histor. cap. XXIX.
s) tit. C. Th. de patr. vic. conf. l. 2. C. vt nemo.

Heic amplum daretur spatium digrediendi ad hodierna iura, de protectionibus, aduocatiis, mundiburdiis, ac federibus inaequalibus. sed vereor, ne sit hoc extra orbitam vagari.

§. XVIII.

DIVERSVS CLIENTIS INGENVI AC LIBERTI INTER FAMILIARES PATRONI LOCVS.

Priuatae clientelae quod minori cum splendore coniungantur, plerumque nomen hoc absolute merentur. Iucunda disceptatio superest apud A. Gellium, cuius pars ipse fuit de officiis clientum, et quo gradu soleant comparari. Facile concessum est, ex moribus populi Romani, primum locum iuxta parentes tenere pupillos, secundum eos proximum habere clientes, qui sese in fidem patrociniumque dederint alterius, in tertio consistere hospites. Massurius Sabinus contra hospiti antiquiorem conuenire locum aiebat, quam clienti. Neque dubium est, magnam fuisse differentiam inter clientes, qui se adplicuerant, ac propter tutelam in alterius patrocinium sponte venerant, interque hos, qui ex iusta seruitute manumissi agnoscere patronum cogebantur, sicut filii genitorem [t]). Adeo diffusa est materia horum, in toto iuris volumine, vt origines patrocinii scrutari non inutile censeatur, ad illustrandas praecipue successiones, vbi quasi patres inuicem, et quasi agnati habentur, sibique ipsis intestato succedunt. Iustinianus [u]) ex legibus XII. tabularum obtinuisse statuit, et sic tutelam quoque legitimam patronis, interpretatione ciuili, ex eodem tabularum iure adscribit: nisi malimus ad regia tempora spectare, sicut hactenus monstratum. Ratio constat, quia nemo propinquior est liberto,

t) l. 1 C. de bon. libert.
u) Instit. de legit. patr. tut. l. 2. ff. de adimend. leg.

liberto, qui eius beneficio velut nouus homo factus est, cum antea pro mortuo in ciuitate iudicaretur. Atque hinc porro sequitur, agnatos videri, eoque pertinere, quod Papinianus [x]) censuit, *libertos esse coniunctos patroni liberis.* Imperator rursum ὠν ἐν γένει pronunciat, *cognationis iure libertis succedi,* item *paene consonantia iura ingenuitatis ac libertatis in successionibus fecimus.* Quae tamen necessitudo non ex hac magis aetate, quam saeculis priscis aestimari debet. Inscriptiones [y]) passim iura sepulcrorum, libertis cum patronis communia, nobis ostentant, e quibus vnicum posuisse exemplum [z]) sufficiat. Plura exhibet Ian. Gruterus, in amplo monumentorum veterum theatro. quod castigatius et aliquot mille praeterea inscriptionibus exornatum a musa doctissimi Cimbri exspectamus.

M'ANIBVS GENTIS SVAE
LIBERTIS LIBERTABVS
OSSIBVS PONENDIS
O. VIII.
VEDIAE C. L. IVCVNDAE
VXORI
H. M. H. N. S.
IN FR. F. XI. IN AG. P. XVI.

§. XIX.

DE LEGE ROMVLI CONIVGALI.

Coniugii lex Romulea in eo consistit potissimum, vt more decenti viuant inuicem vxor et maritus neque committant vspiam, quod honestati foret aduersum. Haec enim, tanquam legis anima, e statutis Romuli adparet

x) l. 72. ff. de condit. et demonstrat. l. 4. C. de bon. libert.
y) Reines. classe XVI. n. 3. z) conf. ib. n. 45, 46.

paret vbique. quare et qui de origine legum inter nostros egerunt, sapientiam huius regis, et aequitatem in statuendo, impense laudant. Ordinem si teneamus, quo disposuit singula, nihil praeclarius inuenimus, nihil ad iura subiectis reddenda accommodatius. Marito liberiorem in domo curanda praescripsit facultatem, vxori vero σύνδεσμον ἀναγκαῖον οἰκειότητος ἀδιάλυτον, insolubile vinculum, siue indiuiduam vitae consuetudinem commendauit, nisi per grauia delicta communione tam sancta fieret indigna. Plutarchus [a]) acerbum nimis existimat, vxori potestatem adimi a viro discedendi, contra huic dari, illam exigendi dimittendive. Ἔθηκε δὲ καὶ νόμους τινάς, ὧν σφοδρὸς μὲν ὁ μὴ διδοὺς γυναικὶ ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβαλεῖν. *leges tulit, ex quibus illa dura est, quae mulieri a viro diuertere vetat, at permittit viro repudiare vxorem.* Verum adprobat sic magis Atheniensium mores, quibus in pluribus reuerentiam habet, apud quos, notante Polluce, [b]) receptum ius eiiciendi vxorem, ἀποπομπῆς δίκη, ac vicissim ius relinquendi maritum, δίκη παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ἀπολείψεως si quidem caussa prius iudicibus denunciata fuisset, inter quos ἄρχοντα, siue praetorem, nominat Andocides: [c]) ἠνάγκασε τὴν γυναῖκα σωφρονεστάτην οὖσαν ἀπολιπεῖν ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν ἄρχοντα κατὰ νόμον, *coegit pudicissimam vxorem se deserere, et secundum legem ire ad praetorem.*

§. XX.

DE IMPERIO MARITI PER IVDICIVM DOMESTICVM CVIVS IPSE PRAESES.

Praestantiam naturae legislator noster ac reliquarum gentium instituta secutus est, quibus viro domi concedebatur

a) In Rom. p. m. 31.
b) III. Onom, c. III. n. 5. conf. Selden, V. d. I. N. c. VII.
c) Orat. IV. in Alcib. p. m. 297.

batur imperium, ciuile tamen ac moderatum. Contra ſi parem feminis libertatem indulſiſſet, multa vtrinque mala conſequi potuiſſent. quippe ſunt indole molliore, fluxa et mutabili, quaeque facillime iure ſuo ad licentiam abutuntur. Sed ne mariti ſimiliter excederent, ſalubri conſilio proſpexit, vt de crimine ſuſpectos, atque laeſione enormi, non punirent ſoli, ſed in arbitrium vocarent vxorum cognatos. Suetonius: [d]) *matronas proſtratae pudicitiae, quibus accuſator publicus deeſſet, vt propinqui maiorum more, de communi ſententia coercerent*, auctor fuit. vbi verba *more maiorum* ad regia vsque tempora ſunt proferenda. Cicero [e]) *ſi quae leges non ſint in republica noſtra, tamen erant in MORE MAIORVM, qui tum vt lex valebat.* Ennius [f]) quinto annalium: *moribus antiquis res ſtat Romanâ viresque.* Neque enim cum vulgo exiſtimemus, Romulum promiſcue manus armaſſe coniugum, vt quandocunque in crimine deprehendiſſent ſuas, necare impune potuerint. Io. Bodino [g]) cruenta et inhumana placent omnia, qui eapropter Cuiacium [h]) petulanter inceſſit, quod verbum Halicarnaſſei ζημιοῦν de poena leuiore capiat. atqui facile conciliatur vterque, ſi libido contra nitendi abſit. Cognitione ſane opus erat, aut ſi ex ira et vehementi dolore homicidium admiſſum, probari adhuc facti atrocitas ſolebat. Valerius Maximus, [i]) cum priuatae vindictae exempla narraſſet, ſub finem addit: *quibus irae ſuae indulſiſſe, fraudi non fuit*, praecipue ſi mariti perſonas turpes violaſſe torum reperiſſent. [k]) Inter haec vxor pudica, caſtimoniae et vitae honeſtae addicta, marito per obſequia deuota, aeque ac ille domus erat domina, [l]) *κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρό-*

d) In Tiber. cap. XXXIV. *e*) II. de Legib. p. m. 335. *f*) p. m. XIV. *g*) Cap. IV. meth. p. m. 78. *h*) VI. obſerv. cap. XXV. *i*) lib. VI. cap. I. *k*) conf. l. 24. ff. ad L. Iul. de adult. *l*) Dion. II. antiqu. n. 71. conf. l. 1. ff. de act. rerum. amot.

τρόπον, inque eius bona succedebat heres, ſicut filia in parentis, ex aſſe quidem, ſi is ſine liberis atque inteſtatus decederet. Quod ſi prolem haberet, ex aequo cum liberis.

§. XXI.

HINC NVLLA PER V. SAECVLA REPVDIA.

Erat huius legis tam ſancta memoria, vt, a quinto denique ſaeculo vrbis conditae, propudioſa matrimonii exempla obuenerint. antea enim nullas rei vxoriae neque cautiones in Latio fuiſſe, vno quaſi ore ſcriptores fatentur. Seruius Sulpicius, m) *de dotibus*, cautiones tunc primum neceſſarias fuiſſe tradit, cum Sp. Caruilius, cui Ruga cognomentum, diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur. Dionyſius Halicarnaſſeus n) tempus accurate deſignat, olympiade ſeptima ſupra centeſimam ac trigeſimam, M. Pomponio, C. Papirio coſſ. ὁμολογεῖται γὰρ ἔντος ἐτῶν εἴκοσι καὶ πεντακοσίων μηδεὶς ἐν Ῥώμῃ διαλυθῆναι γάμος. *certum enim eſt per DXX. annos Romae nullum diuortium eſſe factum.* Plutarchus, o) in Romulo atque Numa, repetitis vicibus, μετὰ τὴν Ῥώμης κτίσιν, inquit, ἔτεσι τριάκοντα καὶ διακοσίοις οὔτε ἀνὴρ ἐτόλμησε γυναικὸς, οὔτε γυνὴ κοινωνίαν ἀνδρὸς ἐγκαταλιπεῖν. *annis CCXXX. poſt vrbem conditam neque vir vxoris, neque vxor viri communionem deſerere auſa eſt.* vbi annorum ſpatio differt nimiopere Chaeronenſis ab Halicarnaſſeo. Verum ſolenne hoc in ſupputatione vitium eſt, quo, non vno loco, Plutarchus laborat, vti pridem docti homines animaduerterunt. pro τριάκοντα igitur καὶ διακοσίοις ex Dionyſio reſtituenda ἔτη πεντακόσια, quod ſcriptor iſte Graecorum Romanorumque epochas iunxerit ſollicite, et alio-

m) A. Gell. IV. Noct. Attic. c. III. n) II. antiq. n. 72. o) Plut. p. XXXIX. et LXXVII.

aliorum insuper auctoritate nitatur, ad exprimendam rei indubitatam seriem. Mendum haud dubie adspersum ex librariorum imperitia, qui notas numerorum fere corruperunt, aut saltim expresserunt obscure. cum facile esset, pro Φ siue πεντακοσίοις adpingere σγ' siue ἔτη διακόσια τριάκοντα. in maiusculis numerandi figuris pariter lapsus est praeceps. Valerius Maximus: p) *repudium inter vxorem et virum, a condita vrbe vsque ad vicesimum et quingentesimum annum intercessit nullum.* Tertullianus: q) *vbi est illa felicitas matrimoniorum,* Romanos alloquitur, *de moribus vtique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab vrbe condita nulla repudium domus scripsit? nunc in feminis prae auro nullum leue est membrum: prae vino nullum liberum est osculum. Repudium vero iam et votum est, quasi matrimonii fructus.* Exprobrat pater grauissimus libidinosam repudii frequentiam Romanis, vnde per iocum dicebantur nonnulli eorum *triumuiri, quinqueuiri,* qui ter, quinquies, aut etiam saepius e domo vxores dimiserant. Inter hos Cicero, qui tamen alio sensu ludit in Antonium, quem non triumuirum, sed septemuirum dicit, quod septimus esset vir vxoris suae, quam sex alii domi adulterabant, explicante Sim. Bosio, ep. XIX. ad Atticum, libro XV. Componit autem sanctus ille Afer ita saeculi labentis genium cum antiquis moribus, vt ineptias perstringeret multorum, qui velut rudes negligebant maiores. Quae de vino profert, ad legem coniugii pertinent similiter. Verum ea tam enucleate heic percensere noluimus, contenti paucis demonstrasse legum primordia, earumdemque ex parte fortunam. Plura erudite collegit, ad L. Constantini M. *de repudiis* Iac. Gothofredus, tomo I. Codicis Theodosiani.

§. XXII.

p) II. memorab. cap. I. q) Apolog. cap. VI.

§. XXII.

MARITI POTESTAS CIVILIS: PATRIS REGIA, CIVIBVS R. PROPRIA.

Aristoteles domestici regiminis formam expositurus, aliter considerat maritum, aliter patrem: [r]) *γυναικὸς ἄρχει καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν, ὀ τὸν αὐτὸν τρόπον τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς, τέκνων δὲ βασιλικῶς. vxori praeest ac filiis, vt liberis quidem ambobus, non eodem tamen genere imperii; vxori ciuiliter, filiis regie.* Romulus in ordinanda ciuitate idem obseruarat. Postquam enim legem de matrimonio tulerat, ratione proxima ad liberorum obsequia pergit, ac quae patri in hos competat potestas, pro aetatis suae rigore edicit. Prius igitur, quam ad sequentia transeamus, huc etiam praeuortamur. Imperatoris positio: [s]) *nulli sunt alii homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus:* non aliunde maiorem accipiet lucem, quam ex primo temporis huius articulo. Eam enim plures ita solent interpretari, quasi statuatur, apud reliquas gentes potestatem patriam non fuisse. Verum eam restricte ac parcius intelligendam esse, particulae *συγκριτικαὶ* satis euincunt. quae patribus a Romuli principatu hoc solum tribuunt, quod alibi gentium vix receptum sit. Is vicinorum, Graecorum praecipue legibus perspectis, de parentum iure in liberos, probe sensit, eas in Latio haut suffecturas esse, quod ferociae iuuenili compescendae molliores viderentur. Peculiarem itaque patribus dedit potestatem in ciuitate sua, qualem datam fuisse nullibi alias compertum est. Sextus [t]) quidem philosophus legem Solonis describit, *περὶ τῶν ἀκρίτων*, per quam vnicuique filium suum interficere permiserit, atque adeo parem cum vrbis auctore seue-

r) lib. I. polit. cap. VIII. s) §. 2. Instit. de patr. pot.
t) III. Pyrrh. hypoth. c. 24.

ſeueritatem prae ſe tulerit. cui tamen aduerſatur, quod Athenienſis legislator, qui diu vixit poſt Romulum, aliique cum illo toties praeceperunt, ne pater filium ſine praeuia cognitione, eaque publica coerceret: patribus enim nihil quidquam reliquerunt, niſi παῖδας ἐξελάσαι τῆς οἰκίας, καὶ χρήματα μὴ καταλιπεῖν, περαιτέρω δὲ οὐδέν, *filios domo pellere, exheredare, praeterea nihil,* teſte Dionyſio v) Halicarnaſſeo. addatur M. Aur. Galuanus *de vſufructu,* capite VIII.

§. XXIII.

QVIA LIBERI SVBIECTI PATRI PERPETVO ET TAMQVAM SERVI: VT VENDI POSSENT.

Romulus contra voluit, vt toto vitae tempore ſubeſſent liberi parentibus, quos, pro morum ingeniique malitia, detruderent in carcerem, flagris caederent, vinctos ablegarent ad ruſtica opera, immo necarent, ſi tale quid ingenti facinore commeriti eſſent. Non muneris ampli dignitas excuſabat, ſiue honores publici, non egregia virtus, qua conciliabantur omnibus, eos eximebat manu patria Dixere pro roſtris cum plauſu filii, cauſſas orarunt feliciter: quos abſtraxerunt inde parentes, daturos poenas de ſententia horum libera. Nemo adſtantium eripere poterat, non vox Quiritum valida, non conſul, non tribunus, nulla turba circumfuſa, quae poteſtatem ſuam patria longe nouerat inferiorem. Quis ignorat, ſtrenue quidem, iniuſſu tamen ſuperiorum pugnantes, hoſtibus virtute tremendos, a patribus impune trucidatos? Crudele iſtud carmen quis appellauerit, et legem ſanguineam a Dracone, non a Romulo fixam. at hominum aeuique genius aſperior non admiſerunt mitiora. Ad haec, Romuli edicto, patribus conceſſum, vendere gnatos terna licitatione. quod ſpecie externa tam

v) II. antiq. n. 72.

tam inciuile putatur, vt prope naturae paternae, affectuique communi aduersetur. *ὠμὸν συγχώρημα, καὶ βαρύτερον, ἢ κατὰ τὴν οἰκείαν συμπάθειαν*, Dionysio scriptore. Cuiacius x) ex Cedreno tradit, quomodo lege Romuli patribus liberi subiecti fuerint, seruorum vice: *ὑπήκοοι ἐν οἰκετῶν μοίρᾳ*. Immo seruus venditus semel domino ceditur, filius ter est vendendus, ideoque conditione et loco deteriori habitus, quam mancipium. licet postea imago haec seuerae antiquitatis prorsus cessauerit sub Imperatoribus, praesertim Iustiniano y): *cum inspeximus in emancipationibus vanam obseruationem custodiri, et venditiones in liberas personas figuratas - iubemus huiusmodi circuitu in posterum quiescente - filios et nepotes a sua manu dimittere.* Hoc multi Romanis olim false opposuerunt, quibus autem innocentiam suorum, et integritatem viuendi, coram indicabant: serie contra longa narrantes, quae ingrata plurima in parentes commissa sint. Adeoque statutum hoc Romuli multis visum est absurdum, sed iis paene qui scopum legislatoris non obseruabant. Plutarchus zz) eleganter: *καὶ ὅλως πολλὰς ἄντις ἐξείποι νόμων ἀτοπίας, μήτε τὸν λόγον ἔχων τοῦ νομοθέτου, μήτε τὴν αἰτίαν συνιεὶς ἑκάστου τῶν γραφομένων.* *omnino multa quis dixerit absurda in legibus, qui neque mentem auctoris, neque caussam scriptorum sigillatim cognouerit.*

§. XXIV.

ET QVO MODO: QVI COEPIT CVM ROMVLO.

Peragebatur autem trina venditio frequenti ratione. Quinque testes vocabantur, ciues Romani, puberes. et alius praeterea conditionis eiusdem, qui libram aeneam tenebat, dicebaturque libripens. Emtor aes manu tenens ait:

x) ad l. vlt. C. de patria pot. y) l. vlt. C. de emanc. lib.
z) de his qui sero pun. p. m. 550.

ait: *hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe volo, isque mihi emtus eſt hoc aere, aeneaque libra:* deinde percu it aere libram, et hoc dat ei, a quo hominem accipit, quaſi pretii loco. Solemnitas haec vulgaris olim, vt res paene nulla lege XII. tabularum, niſi per hanc ipſam abalienaretur. Immo cum Romulo coepit venditio liberorum trina, ſuffragante nobis iterum Halicarnaſſeo: *καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ. μέχρι τῆς τρίτης πράσεως ἀφ' υἱοῦ χρηματίζεσθαι, licere patri terna filii venditione pecuniam quaerere.* qui mos deinceps obtinuit ſemper in adoptionibus per mancipationem ac vindicationem. Vulteius [a]) ideo negat recte, ex tabulis ortam eſſe poteſtatem vendendi liberos; ſed parum facit ad rem, quod ait, vnica venditione filiam aeque filium que ſui iuris fieri. Trinam fuiſſe omnes fatentur, neque ſub Auguſto neglectam, qui Caium ita et Lucium adoptauit, emtos per aſſem et libram a patre Agrippa. Suetonius [b]) ita loquitur, vbi vocem *aſſem* ferre non poſſunt aliqui, atque *aes* ſubſtituunt, quia hoc primis moribus conuenit magis. At non multum intereſt, docente Budaeo [c]), ex eodem loco, adpellatione nimirum aeris intelligi aſſem. Theophilus [d]) *χαλκοῦν νοῦμμον, aereum nummum* vocat, aſſem veteres, quod ex aere percuſſus. Et ne ſolam hanc venditionem quis imaginariam fuiſſe opinetur, habendum praeterea, transeuntem hoc modo in familiam alienam, nec priſca retinuiſſe nomina, ſed praenomen emtoris, ſiue patris fiduciarii, nomen etiam atque cognomen adſumſiſſe, vnde non confuſio tantum ingens facta in vetuſtis monumentis, verum et expoſitio nominum difficillima. Interim ſaepius paternum vel cognomen, vel nomen ipſum, demonſtrabant adoptati, licet immu-

a) Comm. ad Inſt. de patria poteſt. b) cap. LXIV. in Auguſto. c) II. de aſſe, ab init. conf. Gronov. de pec. vet. IV. 7. d) §. 6. Inſt. quib. mod. ius pat-

immutatum nonnihil, ficut exemplo C. Octauii patet, qui Caefaris teftamento fcriptus heres, adoptatusque dicebatur C. IVLIVS CAESAR OCTAVIANVS, quippe ex gente confulari OCTAVIA natus. Huc nummus pertinet argenteus Marci Velferi apud Occonem in Augufto, C. L. CAESARES AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. quem et Iac. Gutherius exhibet primo de *veteri iure Pontificio*, cap. XVII. vbi et conferendus Italorum doctiffimus, Henricus Noris, in *Cenotaphiis Pifanis*, differtatione fecunda, capite primo. Theophilus e): *dubium non eft, quin filius in poteftatem adoptiui patris tranfeat: συναπτόμενος αὐτῷ καὶ νόμῳ, καὶ φύσει, καὶ τῆς αὐτοῦ γενήσεται φαμιλίας καὶ ὑπεξουσιότητος, et iure ciuili, et natura illi coniunctus, in familia eius et poteftate fit.* Haec omnia ex lege Romuli.

§. XXV.

NON INSTITVTVS PER XII TABB. HIC ANTESTATVS DIVERSVS A LIBRIPENDE. IS MODVS ADQVIRENDI CIVILIS ANTIQVISSIMVS.

Forfitan inftat quis, et humaniter admonet, venditionis trinae folennem ritum non effe huius aeui fed poft tabulas demum, auctoritate prudentum excogitatum fuiffe, ac receptum: quem ideo Papinianus f) vocet *actum legitimum*, fiue fecundum leges decemuirales inftitutum. Ibi enim legitur expreffe CVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, quod eft mancipabit, aut rem ordinaria folennitate in dominium alterius transferet. Verum nec obfunt nobis ifta, quibus ex antecedenti paragrapho certis effe licuit, Romulum vfurpaffe, praecepiffe et induxiffe hunc morem. An ipfe vel inuenerit, ad fignificandum animum luculentius, in mancipatione, vel ab aliis iam adhibitum inter fuos frequentauerit, nulla expli-

e) §. 2. Inft. de adopt. f) l. 77. ff. de R. I.

plicatione opus est. quippe manifestum satis existimamus, quaedam displicuisse posteris, qui propterea substantiam actus non immutarunt, licet in externis quaedam aut omiserint, aut ad formam pristinam reduxerint. Sic tempore Ciceronis requirebatur *satisdatio secundum mancipium*, id est, repromissio pro re mancipi, de qua praeclare Theodorus Rykius ad CL. V. IO. GEORGIVM GRAEVIVM, epistola I. Tullianarum ad Atticum, libro V. quae ab initio requisita non fuit. Memorabile profecto censetur, in republica coepisse aliquid purum ciuile cum ea ipsa, et perdurasse tot saeculis, licet fatorum ordine perierint quamplurima, hominumque memoria prorsus abierint. Nec Romani solum retinuere hunc mancipandi ritum; Gothi etiam, imitatores eorum, non omnino ignorarunt. Aniani epitome institutionum Caii, titulo octauo, praeter libripendem, exhibet *Antestatum*, quasi praecipuae dignationis testem, quem a Gothis, non a Romanis ortum esse, multis persuaderi videmus. Marcilius g) respondet: *non dixero antistatum illum ex Aniani capite Mineruam esse. sed antistatum esse testem, per aurem tractum*, cui adsistebant quinque reliqui, alias *classici*, quia ciues secundum classes diuisi. Verum perspicue magis interpretatur hoc Brummerus, h) ex coniectura tamen Aleandri, quod antestatus fuerit is, qui in solennitate mancipationis, omnibus alienationibus mancipi, manumissionibus quoque filiorum, siue emancipationibus communi, quinque testes conuocaret, cum libripende interesset mancipationi, testiumque aures, ad exemplum in ius vocantis, antequam mancipatio perageretur, semel atque iterum velleret, vt rei gestae memoriam seruarent, atque sic antestaretur. Ex his patet doctorum error, qui libripendem et antestatum faciunt eundem: discrimen item, quod testes in manci-

pa-

g) Interpr. L. XII. tab. p. m. 25. h) ad L. Cinc. cap. XIII

patione aliter habiti ſint, quam ſi quis in ius vocaretur, et actor manus iniiceret ei, cum ſequi nollet. Ibi teſtes ad lites veniebant et iurisdictionem contentioſam; heic ad voluntariam, quae ſine magno iudicii ſtrepitu expediebatur. Modus vero hic adquirendi dominium eſt antiquiſſimus, ſicut ex formula conſtat: ***hunc ego hominem etc.*** diciturque ***dominium quiritarium***, ***dominium legitimum***, quod ex primis legibus Romanorum Quiritum deſcendat, ***dominium ex iure Quiritium***. cui opponitur ***bonitarium*** ſiue naturale, quod nulla adhibita ſolennitate adquiritur, veluti traditione, occupatione. conf. Galuanus *de vſufructu* cap. XXV:

§. XXVI.

QVARE MATRI EADEM POTESTAS IN LIBEROS NON DATA SIT?

Quaeſtio eſt, a quibusdam agitata varie, cur ius patri tantum in liberos datum, non matri ſimul, in cuius poteſtate ſtatim ab initio ſunt? Tho. Hobbius [i]) matrem ideo praeferendam cenſet, quod in ſtatu naturae ſemper dubium ſit, cuius patris filius ſit, nec vnquam liquido pateat, niſi matris indicio. Verum impurus homo, immemor coniugii, quod recta intendit ratio, minime vero animus ad libidines procax, cum Cynico illo monſtro in dolio philoſophatur, e cuius inſtinctu male reſpondetur ad noſtrum ζήτημα. Neque ipſum iuuat ſtatus, quem fingit, naturalis, in quo omnibus licita ſint omnia in omnes. Si enim hic admitteretur, viro tanquam potentiori liceret plus ſemper in vxorem, quippe victor excuteret matri filium, eiusque dominium ac poteſtatem ſibi vindicaret procul omni certamine cruento. Deinde nec ſola habere poteſt mater in poteſtate liberos, ob communionem ſeminis, ſicut nec ager in frumenta habet

i) de ciue cap. IX.

habet simile quid, sed is qui praeest generationi, seminationive. Fabula si vera est, circa Africae littora meridionalia quondam habitasse feminas sponte sua fecundas, de quibus Conr. Rittershusius et Bartholdus Nihusius peculiaribus egere dissertationibus, potestatem iis nemo ideo auferret. Quando denique vrget, in statu naturae haut sciri posse, cuius patris filius quis sit, id sane putidum est. Ipsae matres, quae in statu licentiae naturalis, et promiscui concubitus, grauidae fiunt, patrem ignorant. quomodo igitur harum significatione patres certiores essent de partu? Naturae corruptae mores hac in parte Imperator [k]) describit: *quos*, inquit, *vulgo mater concepit, nec patrem habere intelliguntur:* *παρὰ τὴν σποράν*, siue *σποράδην* nati, sunt *ἀπάτορες*, secundum Theophilum. Manent sic vtique in potestate illius, quae certa esse nunquam poterat, cuius de sanguine creti, quos luci dederat. Verum neque de his iam solliciti sumus, quod vsus rectae rationis potius in ordine consistat, quam vagis eiusmodi ac spurcis amoribus. Cui plura cordi sunt, ei magnum patriae suae, et iurisprudentiae decus, VLRICVM HVBERVM, ICtum Frisium laudamus, qui *in Digressionibus Iustinianeis* cum cura hoc egit. Pater in principio generationis praecellit, et, si cum Aristotele [l]) facianius, *ἡ δὲ ψυχὴ ἐκ τοῦ ἄῤῥενος* est, vitam homo accipit a matre, *ἡ γὰρ ψυχὴ οὐσία σώματός τινος ἐστι.* Isaeus ex lege Attica [m])? *λέγει γὰρ νόμος, κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, praecellere mares et qui ex ipsis nascuntur.* Pater cura domus, et educatione praestare tenetur, quae sunt necessaria. quare cum rege comparatur, qui societati praeest ita, vt nihil intermittat eorum, quae ad conseruationem singulorum requiruntur. Philosophus

 iterum

k) §. 12. Inst. de nupt. l) lib. II. de gener. an. cap. IV.
m) orat. VI. p. m. 488.

iterum [n]): ἡ μὲν πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία βασιλείας ἔχει σχῆμα. τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Ὅμηρος τὸν Δία πατέρα προσαγορεύει. πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βέλεται ἡ βασιλεία εἶναι. Ex quibus aliisque caussis permoti tot orbis populi, apud incultos etiam ac barbaros, patribus detulerunt potestatem in suos, quibus imperaret libere, secundum leges publicae honestatis ac modestiae. [o]) *patria quippe potestas in pietate, non in atrocitate consistere debet.*

§. XXVII.

IVS PATRIS NATVRALI AMORE SOLO LENIRI VOLVIT ROMVLVS.

Obiicere quis posset, quod Romulus vitae iuxta ac necis ius Quiritibus in liberos concesserit, itemque trinam venditionem, quae omni seruitute grauior putatur, sicut ostendebamus modo. Verum quod iudici competit in poena decernenda, id similiter patribus mandatum, ne contra delicti rationem auderent quidquam, et vel plus ac iustum est, vel minus redderent. Quo magis autem liberorum saluti, ac moribus emendandis consuleretur, saeculo adhuc rudi, amplam concessit vim, quam parentes minime soleant excedere, ducti amore naturali erga caritates suas, ac domus ornamenta. Simplicius [p]): οἱ δὲ παλαιοὶ τῶν Ρωμαίων νόμοι καὶ πρὸς τὴν τῆς φύσεως ὑπεροχὴν ἀποβλέψαντες, καὶ πρὸς τὲς πόνες, ὃς οἱ γονεῖς ὑπὲρ τῶν τέκνων πονῦσιν, ἅμα καὶ τὲς παῖδας παντοδαπῶς ὑποτάξαι βελόμενοι, καὶ τῇ τῶν γονέων οἴμαι φυσικῇ φιλοσοργίᾳ θαῤῥήσαντες, καὶ πιπράσκειν, εἰ βέλοιντο, τὲς παῖδας τοῖς γονεῦσι ἐπέτρεψαν, καὶ φονεύειν ἀτιμωρήτως. *antiquae Romanorum leges respicientes tum ad eam, quae a natura est, eminentiam, tum ad*

n) VIII. ad Nicom. c. X. o) l. 5. ff. de L. Pomp. p) Comment. in Epict. p. 199. ad Cap. XXXVII.

ad labores, quos pro liberis parentes sustinent, volentes praeterea liberos parentibus sine exceptione subiectos esse, credo etiam confisae naturali parentum amori, et venundandi, vellent, liberos, et impune interficiendi parentibus ius dederunt. Libanius q) aut proximi saeculi mores, aut quid aetate media, in libertate adhuc obtinuerit, ita describit: *καὶ γὰρ ὁ τὸν νόμον τεθεικὼς δοκεῖ μοι τοῖς πατράσι τὴν ἀπειλὴν τεθεικέναι μόνην, legislatur solam posuit mortis comminationem patribus.* Ita vero de fontibus legum Romanarum iudicamus, vt criminationibus plurium eatur obuiam. qui haec, tyrannicis praeceptis iniquiora, definiuere, qui carnificinam a Romulo, non patriam potestatem fuisse introductam clamitant. Venditio liberorum, ab illo permissa, longe diuersa est a mancipio sibi commercando, a seruo tradendo, ac similibus pretio vendibilibus. Seruus venditus de manu transibat in manum, nexu non soluto, sed continuato, filius contra venditione liberior fiebat. Seruus manu missus, inter libertinos erat, filius emancipatus praerogatiuam ingenuitatis retinebat. Neque enim ob fauorem libertatis hoc patribus indulgebat rex: licet alia concederet omnia, libertatem tamen saluam esse voluit. Constantinus Aug. r) *Libertati a maioribus tantum impensum est, vt patribus, quibus ius vitae in liberos, necisque potestas erat permissa, libertatem eripere non liceret.*

q) Declam. XXI. r) l. vlt. C. de patr. pot.

CAPVT IV.

DE FATIS LEGVM REGIARVM IN VNIVERSVM.

SECT. I.

DE LEGIBVS REGIIS GENERATIM.

§. XXVIII.

LEGES REGIAS QVINAM EXPOSVERINT INDICANTVR.

Delibauimus hactenus potiora in legibus, cum vrbe conditis, quarum exempla adhuc multa supereſſent, ab ipſo Romulo, Numa Pomp. Tullo Hoſtilio, Anco Marcio ac Seruio Tullio, ſi quidem animus foret, iurisprudentiam regiam comminiſci plenius, atque obſeruationibus noſtris illuſtrare. Ita de ſenatorum patriciorumque officio, de populi poteſtate, murorum ac portarum ſanctitate, iure aſyli, de matronarum priuilegiis, exercitio plebis, de praediis finiundis, parricidiis, coloniis, ſumtu funerum, de inceſtu Veſtalium, faetu ſeruando, exilio filiorum, cenſu profitendo, libertinorum ciuitate, contractibus et iniuriis, deque ſimilibus ampla daretur copia diſſerendi, ac praeterea monſtrandi, quid ex his conſeruatum ſemper, aut in tempore abolitum, quid naturale in ſingulis, quid poſitiuum ſiue ciuile ſit. Memores autem quouſque proceſſerimus, in priuatis maxime, illuc reuertamur, oſtenſuri paucis, quibus fortunae caſibus primae leges fuerint obnoxiae. Si qui tamen prolixiora amant, illis Franciſci Balduini, Galli ICti, proponuntur *annotata ad leges Romuli,* quas exhibuerat ipſi Barthol. Marlianus, in tabula antiqua, ex hiſtoriae

historiae monumentis hauddubie conficta, in speciem veri: item Pauli Manutii liber antiquitatum Romanarum, *de legibus*, ex integro opere decerptus, Romae, Venetiis, Bononiae, inque patria nostra typis exscriptus: Pauli Merulae liber postumus, *de legibus Romanorum*, tabula Marlianea perfectior longe, et ex fontibus haustus: item quae ante et cum ipso Ant. Augustinus, Fuluius Vrsinus, Iustus Lipsius, Franciscus Modius, Conradus Rittershusius, *prolegomenis ad tabulas* collegere vario studio, quaeque Car. Sigonius libro primo, *de antiquo iure ciuium Romanorum*, sparsim ex regiis legibus adduxit. qui viri omnes, doctrina, industria, et iudicio praestantissimi, vetusta in vsum temporis nostri reuocare, operae pretium duxerunt, studio tam profundo huc euntes.

§. XXIX.

LEX DE AMBITV PARIETIS EXPLICATVR.

In transitu veluti tribus ac per exemplum, de ambitu parietis, atque agris hortisve finiundis agemus. Ex tabulis ius illud praedii vrbani deriuant plerique, ac prope volunt, aliunde cum legibus Graecorum perueniſſe ad Romanos. Secundas praestat illis opinio vulgaris, quod ante decemuiros paucae scriptae fuerint leges, pauciora ipsis patuerint subsidia, iura seruandi integra, et ad posteros transmittendi: de quibus mox exponemus, quae supersunt. Verum condita statim vrbe, et aedificiis ordine structis, de spatio certo inter nouos regni ciues conuenire debebat, quo segreges a se inuicem more vetustissimorum habitate vellent. Sabini ad ferias illas fatales inuitati, et hospitaliter excepti cum filiabus, mirantur vrbem modico temporis interuallo tam egregie cultam, et aedificiis instructam. Liuius: [a]) *cum situm moe-*

a) 1 histor. cap. IX.

moeniaque et frequentem tectis vrbem vidissent, mirantur tam breui rem Romanam creuisse. Insulares autem fere domos, vndiquaque relicto spatio, Romanos excitasse, palam est, de quibus nec dispositum essent in lege decemuirali, nisi sub regibus, ac deinceps iste modus aedificandi obtinuisset. ex quo pariter, si quid video, ius tigni iuncti, et quid vtrinque, tam ex parte vindicantis materiam suam, quam ex parte iungentis praeceperint, facile potest intelligi, ac simul studium vrbis exornandae domibus. Lex igitur tabula octaua, secundum digestionem Iac Gothofredi: AMBITVS PARIETIS SESTERTIVS PES ESTO, ex aeuo pendet superiori. ac legitimum determinat spatium, quod huc vsque vel maius vel minus capiebatur, in ambitu parietis constituendo. Ambitus aedium vero est idem ac circuitus, sicut ambustio dicitur circumustio, amburbium, quidquid circum vrbis moenia iacet, indeque amburbale sacrum, quod circum vrbis terminos ducitur, ac ritu solenni peragi solet. Varro: [b]) *ambagio dicta, vt ambustum, quod circumustum est*. item *amictus* quasi *circumiectus*, annotante Turnebo [c]) Festus, [d]) et ex illo Isidorus: [e]) *ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus*. quibus simul *pes sestertius* explicatur, per spatium nempe duorum et semipedis. Volusius Maecianus [f]) *in lege XII. tabularum duo pedes et semis sestertius pes vocatur*. Ratio huius legis erant pericula, quae siue ab incendiis siue a ruinis et lapsu fortuito, poterant nocere vicino. Ac quamuis temporum successu, post vrbem saepius instauratam, nonnihil remitterent ab ipsa proximarum aedium interuallo, Imperatores tamen Antonius ac Verus rescripse-

b) VI. de LL. Scal. in coniect. p. m. 64. *c)* Comment. ad Varron. p. m. 201. *d)* in voc. ambitus. *e)* XV. Origin. cap. vlt. *f)* p. m. 877. ex edit. Gronov.

ſcripſerunt, vt qui prope inſulam, ſiue domum adiacentem, non connexam, in area nulli ſeruituti obnoxia, vellet aedificare, [g]) *ſpatium legitimum a vicina inſula intermitteret.* vbi adeo priuata domus inſulae ius adepta eſſet, non facile propiori interuallo concedebatur vicino aedificatio. Neque diffitemur, ambitum hoc ſenſu non ſemper plenum indicaſſe circuitum, aut quod liber vndique patuerit aditus, iuxta ſpatium definitum, ad Romanorum aedes; ſed interdum, licet aliqua parte vel adiacerent, vel connecterentur propius, id quod liberum adhuc erat interuallum, ſub iſto nomine veniſſe. Scaeuola apud Ciceronem: [h]) *id ſolum eſt ambitus aedium, quod parietis communis tegendi cauſſa tectum proiicitur.* paries autem communis, et inſulae, et domus coniunctae eſſe poterant. De publicis aedificiis, quanto ſpatio a priuatis debeant ſeiungi, Briſſonius I antiquitatum, capite II. et Iac Gothofredus ad vlt. libri IV. Codicis Theodoſ. erudite agunt, inprimis vero *l. 4. et 46. ibid. de operib. publ.*

§. XXX.

ITEM LEX DE FINIBVS AGRORVM.

Sicut autem in vrbe pes ſeſtertius terminabat fines aedium, ita in agris hoc ſpatium duplicatum, quinque nimirum pedum erat, vt ne ad culturam ituri facile impedirentur, et praeterea circumactus aratro idoneus relinqueretur. In tabulis XII. itidem ſpatii huius mentio fit. quare et lex non ingenio Romanorum, ſed Athenienſium legislatori Soloni tribuitur. Numa vero Pompilius, duobus prope ſaeculis ante Solonem, et religione, et iuſtitia, nulli ſecundus, hoc idem iuſſerat. Plutarchus: [i]) *δοκεῖ δὲ καὶ ὅλως αὐτὸς ὁρίσαι τὴν χώραν, tota agrorum diuiſio refertur ad ipſum:* et laudatur maxime inſti-

g) l. 14. ff. de ſeruit. praed. vrban. h) In Top. ad Treb. p. m. 278. i) in Numa, p. m. 71.

inſtitutum, quo praecepit, vt menſe Februario quotannis in omnibus agrorum limitibus rite deſignandis, ac terminis legitime figendis, adhiberentur ſacrificia. ibidem: *θύουσιν αὐτῷ δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ κατὰ τοὺς τῶν ἀγρῶν περιορισμοὺς*, *hoſtias caedunt in finibus agrorum publice ac priuatim.* Romuli curam hac in re ſimiliter commendat Dionyſius Halicarnaſſeus,[k]) quod iuxta tribus atque curias agrum ſorte diuiſerit, exemtis quibusdam locis, quae publici iuris forent, templis aliisque aedificiis dicata. *αὕτη διαίρεσις ὑπὸ Ρωμύλου τῶν τε ἀνδρῶν καὶ τῆς χώρας περιέχουσα τὴν κοινὴν καὶ μεγίστην ἰσότητα. in diuiſione hac Romulus obſeruauit ſummam aequalitatem.* Pompilia vero lex de agrorum finibus, ab eodem deſcribitur *τῆς μὲν αὐταρκείας, καὶ τοῦ μηδένα τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν, ἡ περὶ τὰς ὁρισμοὺς τῶν κτήσεων νομοθεσία, legislatio de praediis ac poſſeſſionibus finiundis, vt ciues contenti ſuis aliena non concupiſcerent.* Tanto autem minus aliena poterant adpetere, quanto certius eſſet interuallum quinque pedum, cuius vſucapio prohibita in perpetuum. Alciatus [l]) *nec hodie, quamuis prorogato tempore, inter quinque pedes, vſucapioni locus eſt: noua lex declaratur a vetere.* Quae ex media Iurisprudentia, et lege Scribonia, ſolent in partem aduerſam vrgeri, ſingulari iudicio diſcuſſit Galuanus XII. *de vſufructu.* Lex decemuiralis ea, quae ſub regibus inualuerant, ſiue iure ſcripto, ſiue conſuetudine, magis confirmauit; et hinc latius diduxit C. Mamilius, quod controuerſiae, de agris diuidundis et finiundis, creberrimae eſſent in populo Romano. Volebat hic, vt quoties de quinque pedibus lis eſſet, arbiter vel agrimenſor eligeretur, qui fines controuerſos regeret, ſiue determinaret, atque ex arte ſua conſtitueret: vltra quinque pedes

k) II. antiq. n. 62. ib. n. 99. *l*) ad l. 5. C. fin. regund. num. XXI.

des lis non amplius erat finalis, idioque de proprietate adeundus erat praetor. Manfit huius legis memoria apud veteres iureconfultos, et fcriptores de finibus agrorum regundis. nec ftante imperio, per Italiam et prouincias reliquas, fuit fublata, ficut ex refcriptis principum, Conftantini M. Valentiniani, Theodofii, Arcadii et Honorii cognofcimus. Nouum hoc fit fati exemplum, ab origine legem fuiffe re[illegible]ntam, et per tot aetates benigna ferie cultam, magisque exornatam. At haec per digreffionem. cui plura forte placuerint, Pighium euoluat XI. *annalium Romanorum*, anno V. C. DXXLVIII. in Tribunis, vbi de Mamilio, legeque Mamilia pleniora.

SECT. II.

DE FATIS LEGVM REGIARVM PER LINGVAE ET SCRIPTVRAE BARBARIEM.

---

§. XXXI.

LEGES CONCEPTAE VERBIS OBSCVRIS ET PERPLEXIS.

Maximum incommodum vigebat iurisprudentiam regiam, quod linguae certae fcripturaeque auxilio deftitueretur. Coiuerant homines, ex tot nationibus conuenae, aut libera facultate ftimulati, ciuitatisque nouae aufpiciis, aut iure afyli, quo tuti erant contra vim fuorum. Pauci ex iftis moribus iisdem, cultuve pari vixerant, ingeniis infuper diuerfiffimis, nifi quod ex gentium reliquarum inftituto confentirent in regem, qui cunctis auctoritate fumma praeeffet. Hinc factum eft, vt verba tot

tot obſcura, tot perplexa reſtarent ſenſa, quibus examinandis atque interpretandis Romanorum doctiſſimi erant minores. Varro [m]) teſtatur, L. AElium Stilonem, axamentorum interpretem, in Saliorum carminibus, multa praeterire coactum eſſe, propter nimiam vocabulorum obſcuritatem. Horatius: [n])

Iam ſaliare Numae carmen, qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri.

Quintilianus haec a ſacerdotibus, carminum auctoribus, vix intellecta fuiſſe arbitratur. Iſta vero inde a Numae principatu ſunt dignoſcenda, qui ſacerdotium iſthoc primus excogitauit, non alio euentu, quam vt res populi geſtae celebrarentur, et notitiae mortalium tanto maiori cum honore inſinuarentur. Tempore ſcriptarum tabularum, quo cuncta erant ordinatiora, huic linguae ſcripturaeve malo nondum plena ſunt facta remedia. Seneca: [o]) *ex alieno ſaeculo petis verba, tabulas loqueris.* Ante hunc Cicero: [p]) *plurima eſt in XII. tabulis antiquitatis effigies,* quaſi diceret, non ſola verba et inſtituta decemuirorum ibi conſpiciuntur, ſed plurima etiam ſuperſunt ex aeuo regio. Polybius [q]) federis meminit, quod cum Poenis inierunt Romani, paullo ante tranſitum Xerxis in Graeciam: vnde veteris linguae tanta compareat diuerſitas, ab ea, qua tunc vtebantur, vt ſtudioſi antiquitatis parum certi ac felices in explicanda illa fuerint. τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτε, καὶ παρὰ Ρωμαίοις τὸ νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥϛε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιϛάσεως διευκρινεῖν. *veteris linguae apud Romanos praeſertim, diuerſitas eſt tanta ab hodierna, vt vel peritiſſimi, etiam cum animum*

m) lib. VI. de LL. Quint. I. Inſtit. cap. VI. n) lib. II. epiſt. I. ad Auguſt. o) ep. 114. p. m. 218. p) I. de oratore, p. m. 127. q) lib. III. p. m. 177.

animum attenderint, nonnulla vix explanare queant. Horatius ibidem:

> — — — — — *federa regum*
> *Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,*
> *Pontificum libros, annofa volumina vatum.*
> *Dictitat Albano mufas in monte locutas.*

§. XXXII.

SCRIBENDI DIFFICVLTAS CAVSSA TESTAMENTI CALATI.

Scribendi difficultas, in faeculo ἀναλφαβήτῳ, nobis teftamenti modum fuggerit, per comitia calata. Neque vero exiftimemus, tam fuiffe tenues opes primorum in vrbe ciuium, vt nulla hinc, fi vel domi, vel in bello decederent, fperari poffet hereditas. Romulus iam dederat legem de mutua vxoris et mariti fucceffione. Dionyfius: r) γυναῖκα κατὰ νόμους ἱερούς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *mulierem, fecundum leges facras viro nuptam, effe participem omnium bonorum.* Vbi non effet heres, aut fucceffor certus, licuit vtique Romanis, fua relinquere, cui vellent ex numero ciuium, qui hoc nomine vocabantur, vt coram illis teftari poffent, et mentem fibi eam, et voluntatem effe vltimam, de patrimonio fiue toto, fiue particulatim, in hunc illumue, transferendo. Solennior hauddubie ifte mos fuit, quod coram omni populo fieret, quo rei teftatae memoria femper haereret, et poft mortem, fi qui intercedere vellent manifeftae ac publicae teftationi, tot contra fe ftare viderent, quibus aequaliter nota effent fingula, de quibus defunctus in concione dixerat. Et quamuis calata comitia de cauffis adhuc maioribus indici potuiffent, tamen ab initio receptum id ab omnibus, vt quemadmodum conueniffent in vnam ciuitatem,

r) II. antiq. n. 71.

tatem, eamque tam pace, quam bello copiis auxerant ac diuitiis, ita fas eſſet ac pium, coram illis teſtari, illis bona ſtudio tam vario adquiſita relinquere, qui cum ipſis paria ſubſtinuerant pericula. Nuncupatiua hodie vocaremus iſta teſtamenta comitialia, de quibus et iis, quae per aes et libram deinceps frequentabantur, doctiſſimus Huberus IV. *digreſſionum* cap. XXX. et ſequenti conſulatur.

§. XXXIII.

ITEM VERBA XII. TABB. INEXPLICABILIA: MAGIS ANTEA. LITTERAE A GRAECIS AD ROMANOS TRANSLATAE.

Exacto tertio ſaeculo, ab inſtaurata Roma, legum duodecim tabulae praebere indubitatam linguae formam poterant. Sed Fauorinus [s]) apud A. Gellium, non ſine adſenſu, Caecilio Iureconſulto obſcuritates in illis, et vocabula quaedam in explicabilia obiicit, quod perinde ſignificauimus in antecedentibus. Iam vero tanto interuallo, ſi ad primordia vrbis reuertamur, duriora omnino fuiſſe oportet, quibus ſcientia legum regia comprehenſa eſt. Verborum enim vſus, circa pronunciationem, aliorum recens acceptorum adplicationem, veterum neglectum, in gente ſatis confirmata, inque modico illius circuitu, vnico ſaeculo tam crebro variat ac mutatur, vt poſteri ſaepius in eadem domo inſtrumenta maiorum ſibi praelegi ac diduci curent. quid futurum erat in republica, nondum ex omni parte beata, et ſubinde ex peregrinis aucta? Scripturam qui deſiderat, cum maxime rudi et inculto, negotium anceps ac dubium ſuſcipit. Liuius: *rarae per eadem tempora litterae fuerunt, vna cuſtodia fidelis memoriae rerum geſtarum.* Ibidem de clauo pangendo, tempore luis peſtiferae a praetore maximo,

s) lib. XX. noct. Att. cap. I.

ximo, fiue dictatore: *lex vetufta eft, prifcis litteris verbisque fcripta*, licet aliquandiu poft tabulas edita foret. Graecia doctrinae cultioris mater, ac diu ante Romanorum ortum ingeniis magnis faecunda, tunc erat follicita minus de pofteritatis memoria, id folum factura, vt florerent prius ciuium ftudia, domi militiaeque, quam ludos aperiret litterarios, pacis ornamenta, focietate vix dum cohaerente firmiter. Qui fapientium elogiis apud Graecos inclaruerunt, et auctores fuere aliis difciplinae humanioris, circa imperii Perfici initia vixere, atque fic ducentis prope annis poft vrbem conditam. Iofephus: *t*) *οἱ μὲν τοι τὰς ἱςορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς, βραχὺ τῆς περσῶν ἐπὶ τὴν ἑλλάδα ςρατείας τῷ χρόνῳ προέλαβον. qui hiftorias apud Graecos tentarunt fcribere, paullulum tempus expeditionis Perfarum in Graeciam praeceffere.* Egerat in antecedentibus de Homero, et primis Graecorum fcriptoribus, poft Troiae excidium, iunioribus certe vrbis origine. Nemo tamen eo progredietur, vt Latinos in litteris colendis propagandisque antecellere Graecos opinetur, quin hos imitatos effe illos, palam eft. Dionyfius, *v*) in Tullio Rege, meminit columnae, Graecanicis litteris infcriptae, *ἐχούσης χαρακτῆρας γραμμάτων ἑλληνικῶν*, ex qua fatis intelligimus, a Graecis litteras tranfiiffe in Latium, et ad Romanos. Plinius: *x*) *litteras in Latium attulerunt Pelasgi.*

§. XXXIV.

LEGES TAMEN LINGVA LATINA CONCEPTAE MEMORIAE MANDATAE.

Quidquid vero iftorum fit, ad regium ftatum internofcendum, et legum quoque notitiam comparandam, fufficit noffe, fermonis normam certam non defuiffe regibus,

t) I contra Apion. p. m. 1034. *v*) IV. antiq. n. 171.
x) VII. hiftor. nat. c. LVI.

gibus, quam sequi debebant omnes, qui legibus obtemperabant. Cumque hae mandari solerent memoriae, post promulgationem in Curiis ac tribubus, inde *curiatae* dictae, fieri secus haud poterat, nisi vt verba cum praeceptis imbiberent. Latina fuisse, non mere Graeca, quod nonnemo voluit, propter originem Romuli *y*) credamus, qui Alba fuit oriundus. Latii metropoli. vnde omnes prodiere hoc nomine incliti. quaeque ciuitas tandem sub Tullo Hostilio cum Roma coaluit, ante propria lingua quadringentis annis vsa. Parum enim est, admixtas habuisse voces alienas, per quas non tam corrumpitur sermo, quam augetur saepius. Lingua porro, quamuis maioribus obnoxia sit mutationibus, ac scripturas tamen quae lege statuuntur, cum aere certant ac marmore, vtut non ex eo fingantur. Id sane patet, si quid venerandae antiquitatis ex omni aetate superstat, hoc priscis legibus attribui. ex quibus de verbis regiis, eorum intellectu, varioque significatu, de prudentia ciuili iuxta et moribus Quiritium erudimur. Isidorus, *z*) originum Romanarum scriptor, quattuor linguas memorat, quarum principium differat nimiopere a fine, et nullius fere aetas, nulla lingua cum altera conueniat. *Priscam* distinguit a *Latina*, proprie sic dicta, illaque leges regias, hac tabulas esse conditas ait. Num vero ita sentiat recte, ac nobis opponatur, dubitamus, quia manet vna semper lingua, quamuis per aetates ipsi multa accidere aduersa queant, vnde ex parte, non autem tota immutetur. Legum nostrarum formulae sunt perennes, quae verbis constant sacris, vt veteres loquuntur, per religionem immutabilibus, quod de communi sermonis vsu nemo dixerit. Quidquid huius argumenti est, id omne dispofuit, et hinc inde collegit Carolus du Fresne, praefatione ad Glossarium, *de caussis corruptae Latinitatis*.

§. XXXV.

y) Liu. lib. I. cap. XXX. it. cap. LII. *z*) lib. IX. cap. I.

§. XXXV.

ET CVRA LEGVM PATRICIIS DEMANDATA A ROMVLO CVM IVRE PATRONATVS AC CLIENTELAE.

Scripturae defectum fupplet Romuli difpofitio fapientiffima, et ordo conftitutus inter ciues, cuius vi nobilioribus cura legum demandabatur. Per hos enim incorrupto vigore conferuabantur, et vel fcribendi artificio notandique, vel fincera traditione ad pofteros transmittebantur. Qui legum antiftites atque interpretes erant, ac publica auctoritate folebant confuli, his praecipue conueniebat, leges cuftodire, nihilque ignorare eorum, quae a maioribus recepta fuerant. Paullo ante hac de re egimus. Dionyfius[a]) Halicarnaffeus breuiter: *τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι τὴν ἐπιστήμην. patricios autem decebat explicare iura clientibus; quorum illi nullam habebant peritiam.* Sicut autem multi ex Sabinis, Etrufcis, ac finitimis populis aliis, Romam delati funt, vt iuribus ibi tam aequis, et honoribus fruerentur: ita procul dubio quidam eorum vel medioeri litterarum cognitione imbuti fuerunt. De rebus Etrufcorum florentibus ante Romam, luculentum habemus teftimonium Livii, principio ftatim operis hiftorici, vnde acceperunt equites, vates, ac difciplinae patriae, fiue religionis magiftros Romani.[b]) Lucumo inde, cum Tanaquile vxore migrauit, coeleftium prodigiorum perita, vt in nouo populo, vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas effet, locum citius inueniret, honorato viro dignum. Neque enim putemus, *libros magiftratuum linteos, annales priscos,* fiue *maximos, faftos Pontificum, tabulas cenforias,* a iunioribus demum acceffiffe. quibus, praeter car-

a) II. antiq. n. 63. *b)* Liu. I. hiftor. cap. XXXIV.

carmina [c]) Saliorum ac leges, nihil apud Romanos deprehenditur esse vetustius, in hoc quidem genere monumentorum CL. Theod. Rykius, *de primis Italiae colonis*, cap. X. iungendus est omnino. Plutarchus [d]) Dioclem laudat Peparethium, qui Romanorum τὰ κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε, quemque sequatur in plerisque Fabius Pictor, annalium scriptor antiquissimus [e]) Κοΐντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος, καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας. παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων, καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος. *Quinti Fabii auctoritate nitar, qui testis est fidelis atque idoneus, Romanorum scriptorum antiquissimus, qui non aliorum magis fidem sequitur, quam quae vera ipse cognouit.* quos aliosve historici minime vocant in partes, vt refellant, atque errores denudant, quod in tanta foeditate saeculorum aliunde compertiora petere non potuerint. Ex his itaque et vetustis grammaticis, qui fragmenta legum regiarum enarrationibus suis inseruerunt passim, tanquam aurum e scoria colligitur. In primis vero huc pertinent Sex. Pomp. Festi libri *de verborum significatione*, quos misere lacerauit Paulus Diaconus Longobardus, Antonius tamen Augustinus, Fuluius Vrsinus, et Ios. Scaliger erudita opera reconcinnare studuerunt. Paulus Merula, in Ennio suo, nec pauca huius antiquitatis cultoribus suppeditabit.

c) Horat. lib. II. epist. I. ad August.

d) In Romulo pag. XIX.

e) Dionys. VII. antiq. n. 350.

SECT.

SECT. III.

DE IVRE PAPIRIANO CIVILI.

§. XXXVI. Omnium priscorum ſtudia occupauit Papirius, [f]) tanta celebritate nominis, vt *ius* ex legibus principum ab ipſo compoſitum, non *regium* adpellaretur, ſed *ius Papirianum ciuile.* quod, ſi audimus nonnullos, in certos libros diſtribuebatur, admixtis forte aliis, quae ad patrias antiquitates, et inſtituta priſca referrentur. Rupertus ad enchiridion Pomponii, cum de praenominibus multa diſſeruiſſet, coniicit denique, textum ita conſtituendum eſſe: *quae omnes conſcriptae exſtant in libro ſexto Papirii*, nempe quo leges regiae continentur. Atque ſic oſtendit, nomen *Sexti* adpellationis ſimplicis. non praenominis notam eſſe, adductus praeſertim codicibus manu exaratis, in quibus Iac. Cuiacius legerat *in libro VI. Papirii:* vnde opinio haec egregie confirmatur. Sextus quidam Papirius, non multo ante Ciceronis aeuum celebris, Seruii Sulpicii praeceptor, iuris et aequi notitia tam inſignis, vt forte ad illum a Pomponio transferatur, quidquid illi veteri, ſiue Manio, ſiue Caio adſcribendum. De Caio Papirio Dionyſius: [g]) *Numae leges, vetuſtate abolitas, μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων εἰς ἀναϛροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίȣ τὴν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος, poſt exactos reges, in vſum reuocauit Caius Papirius, Sacrorum antiſtes praecipuus.* Idem cum Pomponio voluit Iac. Labittus in Indice, editione prima. qui tamen probandus non eſt, accuratior in legibus enotandis,

f) l. 2. ff. de O. I. conf. Rupert. lib. I. Animad. cap. III. p. 53.
g) III. antiq. n. 132.

dis, quam vitis prudentum explicandis. Extabat quondam in *ius Papirianum* liber commentarius Granii Flacci, quem Paulus [h]) ICtus designat. Lud Carrio [i]) familiam eius, Iac. Raeuardus nomen ac doctrinam describit. Papiria gens, fere ab origine vrbis nobilissima, tunc quidem cum sibilo dicta Papisia, teste Cicerone [k]) ad Papirium Paetum: *quid TIBI venit in mentem, negare Papirium quenquam vnquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea censor cum eodem fuisset, annis post R. C. CCCXII. Sed tum Papisii dicebamini. Post hunc XIII fuerunt, sella curuli, ante L. Papirium Crassum, qui primus est Papisius vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore magistro equitum factus est, annis post R. C. CDXV. et quadriennio post consul cum K. Duilio: hunc secutus est Cursor, homo valde honoratus, deinde L. Maso aedilicius: inde multi Masones.* qui Papirii omnes, cognomentis licet diuersis, in fastis consularibus leguntur. Praestantissimum argumentum pro Papiriis, quod fuerint nobiles, omittitur, quod nimirum sacerdotes ex illis numerentur plures, qui ab initio rerum Romanarum semper patricii esse debebant.

§. XXXVII. Locum integrum Ciceronis Vossius [l]) pater ex T. Pomp. Attici libris originum fuisse depromtum existimat. Cornelius Nepos [m]) de opere isthoc in vita illius: *nulla lex, neque pax, neque bellum, neque res est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines cognoscere possimus.* Tullius quoque ad M. Brutum; [n]) vbi cultorum

h) l. 144. de V. S. i) lib. I. emend. cap. IV. Raeuard. c. I. de auctor. prud. k) IX. famil. ep. XXI. l) de philol. cap. XIII. m) in Attico c. XVIII. n) de orat. p. m. 260. Man. XII. Attic. ep. XXIII.

rum eloquentiae de neceſſariis inſtruit adminiculis: *Cognoſcat etiam rerum geſtarum et memoriae veteris ordinem, maxime ſcilicet noſtrae ciuitatis: ſed et populorum imperioſorum et regum illuſtrium: quem laborem nobis Attici noſtri leuauit labor: qui conſeruatis notatisque temporibus, nihil cum illuſtre praetermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno libro colligauit.* Paul. Manutius *quingentorum* duntaxat ſpatium admittit, quaſi cum libertate coeperit annales ſuos Atticus. Verum regia tempora, et magiſtratus ab initio, ſcriptis ornaſſe illum, credi par eſt, vt ſic vulgata lectio non ſit improbanda. In verbis epiſtolae, *poſt hunc XIII. fuerunt*, mendum ſimiliter eſſe videtur, quia inter L. Papirium Mugillanum, et L. Papirium Craſſum, integro nimirum ſaeculo, tredecim ex hac gente non fuerunt, ſella curuli praediti. Quamuis enim praetores, aediles, praefecti vrbis, cenſores, ius ſellae curulis haberent, iidemque per gradus hos tandem emergerent ad conſulatum: ex Papiriis tamen vix reperies, in omni hiſtoria, tot meritis in patriam, vno ſaeculo celebratos, multo minus qui tanto honore eminuerint. Forte legendum, *poſt hunc alii fuerunt*, absque certa numeri ſignificatione, quos inter Papirius Craſſus, Papirius Curſor praecipui ſunt.

§. XXXVIII. Notabile autem, in veterum nominibus diſcernendis lapſum eſſe facillimum, quando mutentur ſaepius, peregrina ſuccedant, praenomina cognominibus poſtponantur, interdum plane omittantur, vnde confuſio et error communis. Papirii ſoli, ad ſtirpis ampliſſimae ramos internoſcendos, quattuor cognominibus efferebantur, Mugillanorum, Craſſorum, Maſonum, Curſorum, qui iuris doctrina praecellebant fere, ſicut ex legibus Papiriis noſcimus, de aedificiis, de nummo, de ſuffragiis per tabellam ferendis, de mulctarum ratione, de antiqua religione patria, ac pluribus. Praeterire hoc loco non poſſumus, quod ad epiſtolam Ciceronis notat

Manutius, ex Masonibus Papiriorum hodienum vigere per Italiam *Massas*, legum studiis, arte medica, et sanctiore disciplina inclitos. Si hoc perenni serie demonstraretur, vel vnica haec familia tot summorum hominum originibus rite opponeretur. Vereor autem, ne per gradus vacillet ordo, et imagines maiorum cum fumo paria fata habuerint. *Antonius Massa*, instar Papirii, ciuitatem Romanam consilio iuuit, et iurisprudentiam, qualis ab ortu fuit, magno studio hausit, eamque ad mores aeui sui diligenter accommodauit. Praeter opuscula *de vsuris, transfugis, exceptionibus, praecedentia abbatum* ex congregatione Cassinensi, aduersus Canonicos regulares Lateranenses, in synodo Tridentina, impressa Venetiis, ac Parisiis, edidit libros tres, *de exercitatione iurisperitorum*. quos Colonienses in Germania recudi fecerunt, vtilissimos ad forum transituris.

SECT. IV.

DE CONSERVATIONE LEGVM REGIARVM.

§. XXXIX.

FACILIOR EARVM MVTATIO: NEQVE TAMEN FACTA. QVID LEX SATVRA?

Iniquiora fata censeamus legum regiarum, quod mutarentur facile, vtut sanctione de hoc incommodo munirentur, aut cautio quasi adiiceretur, ne per abrogationem infringerentur, praeter ciuitatis communem vtilitatem. Festus in voce SATVRA: est cibi genus ex variis rebus conditum, et lex multis aliis conficta legibus. Gratianus, ex eo atque Isidoro maxime, describit ita: *Satyra*

Satyra lex eſt, quae de pluribus ſimul rebus loquitur, dicta a copia rerum et quaſi ſaturitate. quod autem ſatyra lex non fuerit, ſed per ſaturam dicta, quaſi commixtim, confuſe facta, Io Strauchius docet ecloga V. amoenitatum Iuris canonici, cap. XI. Itaque in ſanctione multarum legum adſcribitur: NEVE PER SATVRAM ABROGATOR. id eſt, ſine cauſſa neceſſaria, ne quid praeter rationem, tumultuarie ac raptim fiat. Sic adeo de trina venditione, quam Romulus conceſſerat parentibus, de clientum oneribus, in aliis pariter quaedam a ſucceſſoribus, inprimis autem Numa, fuiſſe immutata produnt. Verum teſtis in contrariam partem eſt Dionyſius: o) ὅσα μὲν ἂν ὑπὸ Ρωμύλου ταχθέντα ἐν ἐθισμοῖς τε καὶ νόμοις παρέλαβεν, ἀπὸ τοῦ κρατίσου τετάχθαι πάντα ἡγησάμενος εἴα κατὰ χώραν μένειν. *quidquid legum et conſuetudinum a Romulo accepit, immotum reliquit, velut optime conſtitutum.* Ergo Numa conſuetudines ac leges ab anteceſſore introductas refigere nefas eſſe putauit, et contra decus publicum. Neque rem aut ſapientia maiora, aut felicitate adminiſtrare poterat, cum quod a duobus firmatur, ſumat quaſi robur a conſenſu ciuium, et a poſteris magis adprobetur. Contra ſi per ſaturam admiſiſſet quidquam aduerſus Romulum, eiusque conſtitutiones, propriae ipſius leges hauddubie pari obnoxiae fuiſſent viciſſitudini. Tarquinius Superbus nulla re maius incurrebat odium, quam quod contra morem maiorum cuncta ex ingenio ſuo perageret. Meſſalla Coruinus, p) aetatis multeae ſcriptor: *in patres,* inquit, *ac Senatum ſaeuiens, iniuſſu populi ad libitum omnia coepit agere: occidere, carcerare, afficere ſupplicio, ſui iuris fecit.*

D 4 §. XL.

o) II. antiqu. n. 92. p) cap. XIX. p. m. 698.

§. XL.

NEC FACILE LICITA. ANCI MARTII ALBVM.

Non aliena sunt haec ab iis, quae iam de Superbi malignitate, fastu et meliorum contemtu indicauimus. Populo cum senatu data erat potestas, in pluribus decernere, quae ex vsu communi forent. In bellis etiam non minor auctoritas eorum, qui experientia et virtute in vrbe praecellebant. Hic autem in singulis auare se ac superbe gerebat, libertatis in regno constituto oppressor, et ordinis tam diu conseruati obtrectator contumeliosus. Ciuibus auferebat, quod ipsis maiores indulserant largiter; qui opponebantur ex patriciis, impio scelere, ne quidem auditi, sine omni cognitione, clam necabantur, vt ad extrema venturis nihil superesset, quam vindice Bruto regnum eiurare, ac seruitutem perpetua libertate commutare. Ancus Martius eo nomine gloriam adeptus est immortalem, quod antiquissimum censere, leges antecedentium regum ex commentariis pontificum referre in Album, inque publico ciuibus proponere. Liuius [q]) cum ista narrasset addit: *inde et ciuibus otii cupidis, et finitimis facta spes est, in aui mores atque instituta regem abiturum.* qui locus ideo rectius considerari meretur, quod ALBI mentio fiat in illo primum, siue tabulae albicantibus litteris inscriptae, vt interpretatur Theophilus, [r]) λευκοῖς γράμμασι, cuius vsus deinceps frequentissimus. Dionysius [s]) Halicarnasseus de Tarquinio Superbo, tabularum destructore, in quibus Tulli leges *de contractibus:* τοὺς γαρ νόμους τοὺς ὑπὸ Τουλλίου γραφέντας, καθ᾽ οὓς ἐξ ἴσου τὰ δίκαια παρ᾽ ἀλλήλων ἐλάμβανον, καὶ ἐδὲν ὑπο τῶν πατρικίων, ὡς πρότερον, ἐβλάπτοντο περὶ τὰ σύμβολα, παντας ἀνεῖλε. καὶ ἐδὲ τὰς σανίδας ἐν αἷς ἦσαν γεγραμμέναι κατέλιπεν, ἀλλὰ

καὶ

q) lib. I. hist. c. XXXII. r) §. 12. Inst. de act. s) IV. antiq. n. 182.

καὶ ταύτας ἀναιρεθῆναι κελεύσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς, διέφθειρεν. leges a Tullio ſcriptas, quae ius aequum faciebant vtrique ordini, nec ſinebant plebeios a patriciis circumueniri in contractibus, vt antea, ſuſtulit omnes, ac ne tabulas quidem, in quibus erant ſcriptae, reliquit. ſed et has foro ſummotas aboleuerat. Scilicet res viſa Tarquinio non ſuffectura, numen coeleſte atque leges honeſtas tantum neglexiſſe, tollere penitus memoriam cupiebat vtriusque, et numinis et legis receptae.

SECT. V.

DE FATIS LEGVM REGIARVM EXACTIS REGIBVS.

§. XLI.

LEGES CAETERAE OMNES MORIBVS SERVATAE.

Exactis denique regibus, de ipſorum quoque legibus actum erat: nam quorum auctoritas reprobatur, cum his iuſſa ſimul et efficaciſſima praecepta exſpirant. Neque enim ſoli Tarquinio Superbo regnum abrogabatur, ſed cunctis qui deinceps apud Romanos huc viam affectarent. Cicero: [t]) *regem poſthaec nec Dii, nec homines Romae eſſe patientur,* tanquam contra auſpicia ciuitatis, contra ſalutem et commune incrementum foret, quenquam ea maieſtate praeſignem tolerare amplius. Poſt regifugium ſcribit Pomponius: *Lege tribunitia omnes hae leges exoleuerunt: iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure et conſuetudine ali, quam per latam legem.* quae ſententia inualuit adeo apud interpretes,

t) 11 de Diuin. p. m. 195. l. 11. ff. de O. I.

vt multi regias plane abrogatas fuiffe ftatuerent. Verum discretione opus eft feria. Sunt ex his leges, quae vfu rectae rationis, et confenfione gentium, obligandi vim habent, quas nemo fublatas cum regibus exiftimabit, nifi bonos mores e ciuitate fimul profcribat. Ariftoteles [v]) diftinguit inter *νόμον ἴδιον τόν τε κοινὸν*, legem propriam et communem; Illamque rurfum, quatenus complectitur vel publica negotia, vel etiam priuata, hanc quatenus fit ipfius naturae dictamen. Lyfias [x]) illam adpellat fcriptam, ac ciuilem, hanc *ἄγραφον*, non fcriptam, quam nemo conuellere poteft, *οὐδὲ ἐτόλμησεν ἀντιπεῖν*, cui nemo contradicit. Numae lex de homicidio, quod ex infidiis, fraude, aut malitia quacunque, fiue clam, fiue palam accidit, talis eft. Sacer erat parricida, nec mortem effugere per iuftitiam poterat. Vbi tamen cafu quis fuiffet occifus, pro capite eius in vicem homicidae improuidi, aries expiare fcelus credebatur. [y]) Antiquiffimus ifte ritus, in oriente et agro Attico, vnde peruenit ad Romanos. Quis autem hanc legem cum Regibus interiiffe putet? ne plures in exempla proponamus. Sunt rurfum certae maiorum conftitutiones, quae non in tempus aliquod, fed perpetuae vtilitatis cauffa in aeternum feruntur, ex quibus clientelae, cum vrbe propemodum natae, ac deinceps conferuatae femper, multorum opinione cenfentur. In ftatu enim libero, et fub Imperatoribus poftea, liberinae conditionis homines, lege Romulea fruebantur adhuc. quin Gothi Longobardi, Franci etiam, paria fere obferuabant, nec longe ab iis operae noftrorum atque obfequia remouentur, quae iam ante tempora Carolingica nonnulli praeftare in Germania tenebantur, homines tributarii, Walafrido [z]) Strabone tefte,

de

v) Rhetor. cap. XIII. x) V. contra Andoc. p. m. 61. y) Demofth. orat. in Ariftocr. z) lib. II. cap. XI. apud Gold. I. rer. Alem.

de miraculis B. Galli. Sic leges de cultu diuino, a Numa datae minime cum regibus exactis desierunt. quod manifestum est ex testimonio Dionysii, modo prolato, quando de Caio Papirio [a]) sermo esset. Atticus apud Ciceronem: *Conclusa est quidem apte tam magna lex, sane quam breuiter: et, vt mihi videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae, nostrisque moribus.* Differuerat autem orator de legibus Zaleuci et Charondae.

§. XLII.

CESSANTIBVS PLVRIMIS DE STATV PVBLICO LATIS.

Sunt denique leges, quae ad statum externum, ad magistratus et ordinem publicum referuntur. Istae vero, mutato regno, hauddubie cessabant ex fato ciuili, quod eorum liberae ciuitati profuturae viderentur. Neque tamen et hae omnes reiectae, si vsum adhuc viderentur aliquem praestare. qualis est lex de iure populi in suffragiis ferendis, de creatione magistratuum, de legislatione, et bello, vel inferendo, vel componendo. Dionysius. [b]) *ἴσε δή που νόμον ἡμῖν ὑπάρχοντα ἐξ ὅυ τήνδε οἰκοῦμεν τὴν πόλιν, πάντων εἶναι κυρίαν τὴν βυλὴν, πλὴν ἀρχὰς ἀποδεῖξαι καὶ νόμους ψηφίσαι, καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν, ἢ τὸν συνεςῶτα καταλύσασθαι. Scitis legem nobis esse iam ab vrbe condita, quae omnia ponit in senatus potestate, praeter magistratuum creationem, legum lationem, et belli inferendi componendique arbitrium.* Quidquid igitur hac parte obtinebat antea, iam vel consuetudine, vel rogatione populi vigebat, vt libertas tuta persisteret. Post reges enim in exilium missos, non statim de iure nouo condendo Romani erant solliciti, quod bella et varia imminerent pericula, quibus aut componendis, aut strenue depellendis, operam impendebant.

Non

a) II. de LL. p. m. 335. b) VI. antiqu. n. 289.

Non autem omnes in desuetudinem abiisse leges regias, nouimus ex industria et circumspectione tribunorum, consulari potestate creatorum, post vrbem a Gallis Senonibus liberatam. *quippe hi federa, leges, in primis tabulas, et quasdam regias conquiri iusserunt*, secundum Livium. [c]) Exemplo sit lex, a primordio vrbis recepta, cuius iam ante facta est mentio, de bonis defuncti mariti conferendis in vxorem, quae nunquam sublata fuit. Mynsingerus: [d]) *Nihil mirum est, si Romulea constitutio, de mutua coniugum successione, hodiernum in plerisque locis obtineat.* quare et communis doctorum opinio, *statutum, quod coniuges sibi inuicem succedant, non extantibus liberis, omnino valet*, ex hoc fonte intelligitur optime. Quodque huc maxime facit, non poterant omnes a Regibus datas leges posteri negligere, cum earum ferendarum auctores ipsi quoque fuerint, sicut indicauimus supra, quando legislationem cum populo aequaliter communicatam diximus. Ad haec L. Iunius Brutus, nouis legibus nondum latis, de proditoribus patriae, et coniuratorum supplicio, filios cum Tarquiniis consentientes ad recuperandam patriam dignitatem, iuxta leges consuetas, siue regias, primum virgis lacerari in foro, tum securibus decollari passus est. Dionysius [e]) Halicarnasseus: *πάντα τὰ περὶ τὴν τιμωρίαν ἔθη καὶ νόμιμα φυλάττων ὅσα τοῖς κακούργοις ἀπόκειται παθεῖν. omnia secundum consuetudines ac iura, quae de maleficorum suppliciis erant recepta.* Ex quibus abunde satis intelligimus, quid sentiendum sit de legibus regiis abrogatis, et quaenam forte sint illae. quas Io. Oldendorpius, *in legum Romanarum indice*, cum aliis quibusdam, sine doctorum suffragio, magna sui confidentia spernit, nec vrbi suffecturas fuisse contendit, licet de columna Tullii, ac legibus Regum

c) lib. VI. histor. cap. I. *d*) Responso XIV. n. 13. conf. Zas. de O. I. p. 276. n. 13. *e*) lib. V. antiq. n. 209.

Regum ſcriptis, hinc inde obuiis, certiora nobis prodita legamus. Iac. Cuiacius [f]) eiusque ſucceſſor in Cathedra, Guilielmus Maranus [g]) rectiſſime docent, regias leges in tabulas decemuirales fuiſſe transfuſas, quod praeter illos Papianus, [h]) libro ſingulari *de adulteriis*, tit. IV. apud auctorem collationis LL. Moſaicarum et Romanarum, ipſeque fons, Dionyſius [i]) confirmat prolixe: *καταλυθείσης τῆς μοναρχίας, ὅτε πρῶτον ἐφάνη Ρωμαίοις πάντας τοὺς πατρικοὺς ἐθισμοὺς καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπισάκτοις ἐν ἀγορᾷ θεῖναι φανεροὺς ἅπασι τοῖς πολίταις. monarchia diſſoluta ac ſublata, viſum eſt Romanis conſuetudines ac leges patrias, cum peregrinis, ſiue etiam aliunde acceptis, in foro omnibus proponere ciuibus.* eſt autem ſermo de patria poteſtate, a Romulo conceſſa, qua de porro: *καὶ ἔςιν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων, ἃς ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ. ὅτι δ' οὐχ' οἱ ἄνδρες δέκα, οἱ τριακοσίοις ὕςερον ἔτησιν ἀποδειχθέντες ἐπὶ τὴν ἀναγραφὴν τῶν νόμων, πρῶτοι εἰσηγήσαντο Ρωμαίοις τὸν νόμον, ἀλλ' ἐκ πολλοῦ κείμενον παραλαβόντες οὐκ ἐτόλμησαν ἀνελεῖν. et eſt in quarta tabula lex, ex duodecim illis, quas collocarunt in foro, quam decemuiri, poſt annum fere trecenteſimum creati ſcribendis legibus, non primi in ciuitate tulere, ſed iam ſemper obtinentem tollere auſi non ſunt.* Harmenopulus [k]) *ἐν προχείρῳ* de collegio decemvirorum, inprimis Appio, iuris praefecto: *πρῶτος δὲ Ἄππιος μετ' ἑτέρων ἀνδρῶν ἐκλεκτῶν δέκα τὸν ἀριθμόν, συναγαγὼν εἴτι νόμιμον ἦν παρὰ Ρωμαίοις, ἢ ἀγράφως, ἢ ἐγγράφως μὲν, ἀσυντάκτως δὲ καὶ σποράδην κείμενον, κατακοσμήσας καὶ ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν, καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων τοὺς νόμους.* in quibus manifeſte diſtinguuntur leges peregrinae, et illatae aliunde *ἐπίσακτοι*, a legibus patriis et conſuetudinibus, ſiue inſtitutis vetuſtis, *πατρικοῖς ἐθι-*

f) III. obſeru. cap. XL. *g*) ad l. 2. ff. de O. I. p. 109. 120.
h) p. m. 23. *i*) II. antiq. n. 73. *k*) lib. 1. tit. 1. p. m. 17.

ἐθισμοῖς, quae ex regum aeuo ſunt repetenda, quaeque in libertate nec auſi ſunt abrogare. vbi praeterea notandum, multa apud veteres adſcribi moribus, aut dici *moribus fieri*, quae tamen legibus praecipiuntur. Ex vtentium conſtantia patet differentia, qui ſaepius iure, aut lege quadam intermiſſa diu, poſtmodum vtuntur tanquam conſuetudine. Ergo ſtatim a principio magnus fauor conſuetudinis, quae ſiue ex lege haberet ortum, ſiue ex neceſſitate, aut frequentia actuum, iuri proxima ſemper erat.

SECT. VI.

DE VSV LEGVM REGIARVM HODIERNO.

§. XLIII. Quaeſtio ſupereſt, paucis expedienda: num regia iurisprudentia, in iure ciuili Romanorum, quod prae manibus eſt, ac ſubſellia fori hodierni animat, vſum aliquem praeſtet? Vlricus [l]) Zaſius reſpondet, nullibi eam attendi, niſi forte in lege VI. Codicis, de patria poteſtate. Ante vero quam ad conſiderationem huius legis veniamus, ad prius conuertemur, vnde fuit orta dubitatio. Non additur certa ratio, cur nihili pendatur hodie, quidquid in ſtatu antiquiſſimo fuit receptum: interim vario ſignificatu praeſtatur vtilitas. Vel enim de ipſis legibus regiis, aut iure Papiriano ſermo eſt, an vigore ſuo retineatur apud nos, vt ſecundum illud feratur ſententia. quod nemo vniuerſaliter temere affirmauerit. Vel de interpretatione legum agitur: et tunc quidem negari vix poteſt, ad caput eius praecipuum ac ſummam veluti pertinere, haut ignorare, quid olim ſtatutum ſit, quid eadem ciuitas ab origine inter ſcita ſua ad-

l) ad l. 1. ff. de legat. n. 8.

admiſerit. Id neque Iuſtinianus *m*) Imp. adſpernatur, quando *Romanam ſanctionem, ab vrbe condita vsque ad Imperii ſui tempora vacillantem, in vnam reduxit conſonantiam.* Vel denique in fontes iuris inquiritur, tunc nihil magis neceſſarium deprehendimus, quam diſcernere poſſe antiquas fabulas ab eo, quod ſemper obtinuit, et leui facta mutatione deinceps perdurauit. Adeo pluſcula hinc deriuata eſſe illimia, quae hactenus delibauimus ſolum, plane liquidum fore arbitramur. Quod autem noſter vſum quendam tribuit iurisprudentiae regiae, in dicta lege Codicis, de ea paucis adhuc diſpiciendum eſt. Romulus praeter modicas diſciplinae patriae vires, quibus Graeci ſuos in officio continebant, licet maiora conceſſerit omnia, ipſius etiam necis arbitrium; tamen ex prudentia horum ciuili gradus veluti poſuit coercitionis domeſticae, antequam patres ire ad extrema ſineret; inter quos erat, *τοὺς υἱοὺς ἐξελάσαι τῆς οἰκίας, domo pellere* filios, qui et hoc nomine dicebantur a Graecis *ἐκπίπτειν τοῦ γένους, ius familiae perdere*, tanquam abdicati, excluſi a ſucceſſione hereditaria. Inualuit nimiopere ius iſtud apud Romanos, viridique obſeruantia, ceu vulgo loquuntur, ad tempora vsque Imperatorum propagabatur. Cuiacius, *n*) quamuis dicat, abdicationem iure Romano probatam non fuiſſe, fateri tamen cogitur, eam ciues Romanos interdum vſurpaſſe, more quidem peregrino, non proprio, cuius loco exheredationem habuerint. At magna inter vtramque differentia noſcitur. Abdicatio viuo patre ſolet fieri: exheredatio poſt mortem illius. Abdicatione filius non amplius eſt patris; exheredatione manet, iure tantum hereditatis ablato, ceteris iuribus plane integris; quando nimirum participat nuptialia lucra, a matre profecta, et ſepulcro tumulatur eodem. Exempla ſub Imperatoribus obuia ſunt. Suetonius:

m) l. 2. C. de vet. iur. enucl. *n*) ad l. 6. C. de patr. pot. p. m. 1357.

tenius: [o]) *Agrippam, breui, ob ingenium sord'dum ac ferox, abdicauit sepofuitque Surrentum.* Idem in Tiberio: [p]) *Agrippa abdicato et sepofito.* quod Dio Caffius [q]) ita describit: ἀπεκηρύχθη, καὶ ἥ τε οὐσία αὐτοῦ τῷ στρατιωτικῷ ταμιείῳ ἐδόθη, καὶ αὐτὸς ἐς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον ἐνεβλήθη. *abdicato illo facultates in aerarium militare deferebantur, ipseque in Planasiam, Corsicae propinquam insulam est relegatus.* Neque dehinc similia desunt, si quidem heic eorum cumulum strueremus. An vero tantae esse potuerint sordes in Agrippa, vt e conspectu suo, ac longissime illum remoueret parens, merito dubitatur, praesertim quod Tacitus [r]) illum nullius flagitii compertum ostendat. Quintilianus [s]) duplicem abdicationis formulam exhibet, alteram criminis perfecti, alteram imperfecti, pendentis quasi, et adhuc in conditione positi, vt si filius incomposito viuendi habitu, aut pessimis moribus aliis, parentem laedat grauiter. Ibi acerba semper actio datur abdicantis, heic deliberatione opus, aut si processerit abdicatio, in gratiam facilis est reditus. quo ipso filius Graecis dicitur ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸ γένος, *in familiam restitui.* Conferatur Luciani *Abdicatus.* Scilicet patres non eodem affectu complectebantur liberos, maxime pluribus domi natis, per nuptias repetitas, vnde multae illorum temporum querelae, de filiis inique habitis, sicut ex controuersiis Senecae, et Fabii declamationibus, haut obscure colligimus. Principes hinc singulari humanitate adducti, conditionem infirmae aetatis tutiorem esse volebant, adeo vt vitae necisque potestatem abrogarent parentibus, eosque parricidii reos pronunciarent, si forte Quiritum [t]) iure vsi suos enecassent. Abdicatio pariter, ira

o) in Aug. c. LXV. p) cap. XV. q) lib. LV. p. m. 652. r) I. annal. cap. III. s) VII. Institut. cap. IV. t) l. 2. C. Theod. de liber. caussa.

ira odioue facta, tamdiu permiſſa, donec Imperiali prouiſione emendaretur, ac velut iniuſta penitus aboleretur. Aut enim in publica commoda filii peccarant, et ſic publice ſolebant puniri, ſupplicio adſtante parente: aut domeſticis fuerant moleſti, tunc aequa delicto reſpondebat coercitio. Venditio contra ſolennis, ac paternae domus exilium, ſuis circumſcribebatur limitibus. Antea pater et e republica, et priuatis ſimul aedibus eiicere poterat filium, patriſque poteſtas erat prope infinita; iam in ſtatu monarchico tantum competebat modicum imperium, et poteſtas maior paullo, quam tutoria. Antea libripens adeſſe debebat, cum quinque teſtibus, ordine vocatis, ſicuti monſtrauimus antea, vel pater fiduciarius requirebatur, eodem cum emtore ſine, quod ex Caii ac Theophili inſtitutionibus declarauimus: iam ſatis eſt, imaginaria illa caerimonia ſpreta, cauſſam probare magiſtratui. [v]) Rem omnem ſingulari ſtudio illuſtrat Maranus, ad titulum I. Pandectarum, *de bonorum poſſeſſionibus* Ex his igitur conſtat, Zaſium loqui de vſu legum, conſuetudinumque regiarum, quatenus in explicatione deducunt nos ad vera principia. quo ſenſu non iſta lex ſola, verum tot aliae mutuam accipiunt lucem. ex regia iurisprudentia. Schiſordegherus: [x]) *pragmatici, et aretologi rident eos, qui loquuntur de tabulis, aut ex priſco ſaeculo petunt leges. ſed iſtos velim attendere, qui fieri poſſit, vt bene percipiamus ius vſu neceſſarium, nondum probe cognito iure, quod minus neceſſarium iudicatur. qua de cauſſa mirum non eſt, ſi, ſpreta veteris iuris notitia, plurima in iurisprudentia noſtra erroribus inuoluta ſint, et adhuc inuoluantur.* De iure perſonarum hactenus pauca, de iure rerum pauciſſima, in exemplum quaſi attulimus; iam de teſtamentis, ac ſeptem teſtibus, hodienum propter

v) §. 6. Inſtit. quib. mod. x) libro III. tract. XXV. praef.

pter solennia necessario requirendis, de contractibus plura superessent, si quidem ex aeuo regio disciplinam legum expendere vellemus, ac singula adplicare ad praesentia. Huberus: [y]) *non nescimus, iureconsultum tam ius, quod in ipsis obtinet rerum argumentis, quam quod desuetudine inumbratum est, scire oportere, quatenus altera pars sine alterius notitia plene accurateque intelligi nequit.*

y) Orat. auspic. III. de iure Ciuit.

EXER-

EXERCITATIO SECVNDA

DE FATIS

IVRISPRVDENTIAE ROMANAE

SVB CONSVLIBVS.

CAPVT I.

DE AVCTORIBVS LEGVM POST REGES EXACTOS.

§. I.

SENATVS AC PLEBIS SIMVLTAS IN FERENDIS LEGIBVS.

Libertate itaque, post exclusos Tarquinios parta, legum fata non tam videbantur mitia, vtut noua rebus facies induceretur, ac nemo esset inter Romanos, quin vel expeteret meliora, vel metueret contraria. Legum enim vsus libertatem promouet: legibus autem oppressis, et conculcato aequo iure, pro vi et arbitratu imperantium pleraque geruntur. Qui sanguine maiorum censebantur, et honoribus, ab vrbe prope condita in sese deriuatis, comiter habebant ciues, dummodo sibi relinquerent sponte praecipuas in rebus administrandis partes, beneficii memores, quod Brutus illis contulisset, et honorum, quos antea sustinuissent moderate nimis atque humaniter. Isti contra spe tacita erigebantur, plebem excludi nequaquam posse a negotiis publicis, quod sub regibus etiam huc vocarentur, cum patria viribus ac belli studio floreret, semperque aduersus vicinos hostes fortiter defensa, robur virtute domestica sumeret. Valerius Poplicola maxime, δημοτικὸς γενόμενος νομοθέτης καὶ μέτριος, legislator popularis inde dictus ac moderatus, quod gratificaturus populo, leges ferret, quae non regni tantum suspicione consulem absoluerent, sed quae verterent adeo in partem alteram, vt popularem etiam facerent.

Plutarchus: [a]) *νόμους ἔγραψεν, ὧν μάλιστα μὲν ἰσχυροὺς ἐποίησε τοὺς πολλούς. ὁ τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ὑπάτων τῷ φεύγοντι δίκην ἐπικαλεῖσθαι διδούς. δεύτερος. ὁ τοὺς ἀρχὴν λαβόντας, ἣν ὁ δῆμος οὐκ ἔδωκεν, ἀποθνήσκειν κελεύων. leges scripsit, quibus plebem inprimis potentem effecit altera dedit prouocationem a consulibus ad plebem: altera iussit mori, qui magistratum sine populi suffragio sumsisset.* inde senatores laudabantur, qui muneris tanti participes, vbique *populares*, arte reipublicae salutari, inferiorum animos conciliarent patribus. Quam inuisa autem vel sola Appiorum nomina aliquandiu post fuerint, qui nihil spirabant humile, plebi vbiuis oppositi, temporum illorum documentis exploratissimum est. Hi enim vt consulatum, et quaecunque erant summa, aduersus populum tuerentur, dies noctesque agitabant vnice. At potestate sua, quod ita se priuari cerneret plebs, et conditione haberetur deteriori, quam vixerat cum regibus, perpetuas ex libertate contentiones mouebat. Neque sic interualla regiminis publici apte discernunt, qui ex solo prouocationis iure meram democratiam instituunt aut secundum dogmata scholarum quidquid Romani tum peregerunt, hanc vel illam ciuitatis formulam, pro varia temperamenti ratione, praeualuisse opinantur. Id certum est, haec minime scriptorum verbis, sed interiori contextu diiudicari; vnde nouimus, commune fuisse imperium vtriusque ordinis, quo velut ad libram aequati; neque optimates, neque plebeii maiora sibi tribuere debebant. Ante vero, quam hoc firmiter obtineret, aemulationes continuae, lites ac turbae in foro erant. Hinc secessio triplex, hinc acerba illa et repetita expostulatio, hinc dicteria iniquissima, et mutuae imprecationes, caedes, vsque dum aequalitati paullatim adsuescerent, et omissis pristinis odiis, consulatum

liber-

a) in Poplic. p. m. 102, 103.

libertatemque fociari paterentur. quae non poterant filentio transmitti, fiquidem legislationem, et huius fatalia penitus infpicere vellemus.

§. II.

NON OMNES LEGES REGIAE EXOLEVERVNT PROPVLSA REGVM LICENTIA.

Iureconfultus [b]) ὡς ἐν γένει rem prodit: *exactis regibus lege tribunicia omnes leges exoleuerunt.* quae, ex nudo verborum fenfu accepta, magnam inferunt libertati recens conftitutae iniuriam. Qualis enim fuiffet emendatio ftatus, quae prifcae dominationis mutatio, vbi fucceffiffet ἀναρχία, et confufio plenaria? Talis autem futura erat Roma libera, nullis aut propofitis, aut ex vtilitate publica retentis legibus, quod ftatim aliae, vel meliores faltem latae non fuerint. Corpus ne momento quidem, fi mobile ac victurum putemus, anima deftituetur: ita nunquam ciuitas absque legibus confiftet. Demofthenes apud Stobaeum: [c]) ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει, ὅυτω καὶ πόλις, μὴ ὄντων νόμων, οὐχ ἵσταται. *ficut exanime corpus procumbit: fimiliter ciuitas, fi leges abfint, non confiftit.* Immo, lege femel recepta, *euidens debet effe vtilitas*, funt verba Vlpiani, [d]) *in rebus nouis conftituendis, vt recedatur ab eo iure, quod diu aequum vifum eft.* Iam vero tanquam vngues nouerant Romani ftatuta principum, quibus contra Tarquinium addicti potiffimum; ideoque coeperunt odiffe illum, quod legum contemtor effet, ac data occafione per Lucretiae ftuprum, vrbe regnoque expulerunt, ad ius maiorum aequumue reuerfuri. Scilicet hic folutus legibus, grandi fupercilio adfpernabatur omnia, quae cum fructu fingulorum ab origine inualueruut, et affectui humano mire

b) l. 2. ff. de O. I. c) Serm. XLI. p. m. 270. d) l. 2. ff. de conftit. princ.

mire deditus, bonis male, malis bene esse cupiebat. Neque ratio erat alia, quam *sic velle, sic iubere Superbum.* Inter voces seditiosas iuuenum quorundam ferocium, qui Tarquiniis studebant, ingerebantur sequentia, libertati maxime aduersa: *e*) *leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem inopi, quam potenti: nihil habere laxamenti, nec veniae, si modum excesseris: regem hominem esse, a quo impetres, vbi ius, vbi iniuria opus sit: esse gratiae locum, esse beneficio, et irasci et ignoscere posse: discrimen inter amicum et inimicum nosse.* Tanaqu. Faber sine ratione vocem intrudit, ac legit, *regem hominem vnum esse*, quasi hac omissa, partes oppositae sibi legitime vix responderent, aut nemo regem hominem, tanquam vnum, ac leges tanquam plures, discernere valeret. Interim nihil est in hac annotatione, quod a regio simulacro, et per contrariam formam, a ciuili aequitate longius digrediatur. Regium est, siue accommodate loquendo, tyrannicum, vitiis adplaudere, et iustitiam pro arbitrio dispensare: in statu populari contra; et libertate, nihil adprobat ciuis, nisi quod cum legibus, ac iure patrio conuenit. Regium est, innocentem damnare, ac petulantiae malignorum exponere, praeter fas piumque: at nihil hac in parte admittit populus, iuri stricto adhaerens, neque vllius dignitatem, aut merita tanti faciens, si grauius impegerit. Qui principi fauent, ex illius gratia leges vel interpretantur, atque detorquent, vel plane reiiciunt: qui reddunt ius in populari coetu, aequalia semper obseruant. Illi per facinora sua confugiunt ad regem, salu is ancoram: hi poenas irrogant secundum exempla legum, quarum sunt ministri. Cicero: *f*) *legum ministri, magistratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco serui omnes sumus, ut liberi esse possimus.* Libertatis igitur anima in lege posita est, vinculo pacis,

e) Liu. II. hist. cap. III. *f*) pro Cluent. p. m. 277.

pacis, concordiae, ac fidei. quam tollit nemo, nisi toties concessa impunitate flagitiis, licentiam amplectatur atque colat praecipue: Lex tunc erat meta, quorsum tendebant Romani, qui meliora sibi persuadebant in mutata reipublicae forma. Lucianus: [g]) *πάντα εἰρήνης μεστὰ, πάντως οἱ νόμοι καὶ ἐλευθερία σαφὴς, καὶ δημοκρατία βέβαιος.* *omnia pacis plena, vbique leges, et manifesta libertas, respublica firma et stabilis.*

§. III.

ET RETENTAE QVAE LIBERTATI FAVERENT SINE NOVA PROMVLGATIONE.

Neque sic liquida censentur omnino, quae Pomponius conclusit tam generali effato, ac spatium praeterea viginti annorum, velut inane, sine certis leg bus adsignauit nisi malimus ex codicibus manu exaratis, Ludouico Charonda, et Iulio Pacio, pro XX. substituere LX. qui numerus decemuirali aetati propior esse noscitur. qua de re paullo inferius dicendum. Sunt, qui illum restricte explicandum esse arbitrantur, quod de publicis, non autem de priuatis loquatur: integras enim perstitisse Tullii leges quinquaginta de contractibus, priuatis iniuriis, ciuium libertate, manumissionibus. Numae pariter in pretio semper fuisse, ac regum aliorum, de quibus cum supra laudatis praeclare egit Vinandus Pighius, *in annalibus Romanorum.* Verum neque publicae omnes exoleuerant. Dionysius [h]) de praeda hostili vendenda, et pecunia in aerarium referenda: *Καὶ τοῦτον τὸν νόμον ἐξ οὗ τήνδε οἰκοῦμεν τὴν πόλιν, οὐχ' ὅπως κατέλυσέ τις, ἀλλ' ἐδὲ ἠτιάσατο μὴ ἐχὶ καλῶς ἔχειν,* quod et locis adhuc pluribus indicat similiter. Tacitus: [i]) *quaestores, regibus etiam tum imperantibus, insti-*

g) in Tyrannic. p. m. 699. h) lib. VII. antiqu. n. 345.
i) XI. annal. p. m. 231.

instituti sunt: quod lex curiata ostendit, a L. Bruto repetita. Vnde priscarum legum auctoritatem, a consulibus vindicatam, diserte cognoscimus Regulam Zasii [k]) teneamus: *vniversalis enunciatio non solum in moralibus, ac positiuis, verum et in quocunque sermone, minime vniversaliter et illimitate, effusoque excursu intelligi, sed determinari, temperari et coerceri debet, iuxta naturam et qualitatem rerum, personarum, loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, quae generali pronunciato sese accommodarint.* Ius itaque regium desiisse statuamus, quod libertati obfuit: quod contra ciuium vsibus inseruire visum est, cum cura retinebatur, ita tamen, vt noua confirmatione et auctoritate opus esset illorum, qui legis ferendae potestatem in statu libero habebant.

§ IV.

HINC QVID LEX TRIBVNITIA QVA EXOLEVISSE DICVNTVR POMPONIO LEGES REGIAE?

De *lege tribunicia* quaerunt praeterea, num recte dicatur, per eam regias leges exoleuisse, cum non lege, sed desuetudine soleant iura exolescere, et quasi inumbrari. Ita apud Tacitum [l]) Heluidius: *nihil euenisse, cur antiquitus instituta exolescerent.* quasi diceret, nondum cessasse mores maiorum, aut hominum abiisse memoria. Verum non est, quare incusemus iureconsultum soloecismi, eiusque latinitatem suspectam habeamus Intentus fuit rei describendae, quae siue lege, siue consuetudine desierit, parum quis interesse putabit. Alii neque huc pertinere ista verba volunt, sed potius ad antecedentia: quod reges nimirum exacti sint lege tribunicia, leges eorum vero exoleuerint postmodum. Neque id nos tantopere mouebit, cum eadem dubitatio maneat, an regiae nullum prorsus in libertate vsum praestiterint, de quibus

k) Zas. 1. respons. cap. VI. n. 3. l) IV. histor. c. 8.

quibus abunde satis. Tribuniciam, a tribuno celerum deriuant, quem plane mutato statu regio non fuisse, credi par est. Si enim rex non erat Romae, cur dux ibi esset satellitii regii? Liuius: m) *Romulus trecentos armatos ad custodiam corporis, quos celeres adpellauit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit.* Hisce autem tribunus praeerat semper. Hortè a lege tributim facta per populum denominatio censenda, vt quemadmodum a curiis dictae sunt curiatae, ita a tribubus, ante tribunos, leges quaedam tribuniciae conditae, siue populares mere tales, in quarum locum mox plebescita successere. Sic *tribunicia potestas.* quae a singulis tribubus in quem collata est, *vetus lex tribunicia,* itidem condita in tribubus, apud Ciceronem n) pro domo sua. quamuis vsu et analogia vocis a tribunis magis, quam a tribubus, id fere noscatur prouenisse, quod tribunicium erat.

§. V.

QVID NVNC LEX? QVAE FVERINT CIRCA LEGES FERENDAS IVRA I. CONSVLIS.

Auctor legum idoneus quis hoc in statu fuerit, porro docendum, quod nondum plane constet de illo apud nonnullos, istarum rerum ceteroquin haut imperitos. Neque enim sufficere poterant, quas Brutus eiusque successores reuocabant, sed multa contingebant in dies, quibus legitima dispositione cauendum, ne praui mores diuturnitate sua placerent melioribus, inque neruum conualescerent. In hac praesertim gente, et, vt sic loquamur, ciuitate legali, ad iustitiae normam exigebantur cuncta, quare et certo iure, certa lege opus erat, cuius peritiam et interpretandi artem, inde a conditore Romulo nobiliores tractabant. Iustinianus o) legem proprie dicit, *quam populus, magistratu senatorio rogante, veluti*

m) 1. histor. c. XVI. n) p. m. 424. o) §. 4. Instit. de I. N. G.

veluti consule. constituit. Haec quemadmodum verissima sunt, et inter iuris tyrocinia referuntur: ita non facile interpres erit, quin huc e triuio congerat, quae ad populi iussiones, ad magistratum, cui agendi cum populi data potestas, quae ad senatus auctoritatem, rogationes, ac similia discernenda, pertinent. Sunt adeo, qui consuli omnem adscribunt vim, in lege et perferenda, et iam perlata, vt si huic non probaretur, neque legis nomen haberet. Et saepe magna erat consulis potentia, qui haut aliter, quam rex praeerat vniuersis, in senatu princeps, in comitiis omnium honoratissimus. Polybius; [p]) ὕπατος πρὸ τȣ̃ μὲν ἐξάγειν τὰ ϛρατόπεδα παρὼν ἐν Ῥώμῃ, πασῶν ἐισι κύριος τῶν δημοσίων πράξεων. ȣ̃τος τὸν ὅλον χειρισμὸν τῶν δογμάτων ἐπιτελεῖ. καὶ μὴν ὅσα δεῖ διὰ τȣ̃ δήμȣ συντελεῖσθαι τῶν πρὸς τὰς κοινὰς πράξεις ἀνηκόντων, τȣ́τῳ καθήκει φροντίζειν, καὶ συνάγειν ἀεὶ τὰς ἐκκλησίας. τȣ́τῳ εἰσφέρειν τὰ δόγματα, τȣ́τῳ βραβεύειν τὰ δοκȣ̃ντα τοῖς πλείοσι. *consul, ante copias educendas, quamdiu in vrbe est, quae publice fiunt omnia, sunt in potestate illius. In manu eiusdem est, senatus consulta perficere; quin per populum quae fieri decet, ad communem vtilitatem, curare debet, ad conciones eum vocare, rogationes ferre et statuere secundum maioris partis suffragia.* Vocabantur ὕπατοι a magnitudine rerum gerendarum, et singulari eminentia, quod regum iura et insignia tenerent; nisi quod ambo fasces praeferre nequirent, per menses alternos mutari solitos.

§. VI.

II. SENATVS AC III. POPVLI.

Verum licet ornamenta tam eximia ipsis relicta sint, vt puta sceptrum eburneum, cum aurea corona, et trabea purpurea: ex istis tamen non conficitur, solos consules

p) VI. histor. p. m. 460.

sules fuisse legum auctores. Polybii locus non omnia complectitur, nec tam perspicue exponuntur ibi, quae fieri olim consueuerant, quia ibi et in sequentibus, iuris dicundi munia, et praeter negotia publica, senatusconsulta inprimis a consulibus procurata significat, quae ferre similiter ad populum solebant, populumque rogare, quod scriptor grauissimus ait, *δόγμα εἰς δῆμον εἰσφέρειν*, an iuberet ea valere, num improbaret. Isthaec vero legis nomen vix meruisse primis temporibus, tralatitium est. Illud, in senatu proponere, cum senatoribus deliberare, Graecis est, *προβουλεύειν*, Romanis *auctorem fieri*, ac per sententias pares consultum facere: hoc autem *κυροῦν*, *ἐπικυροῦν*, per suffragia publica consentire, stabilire, et quasi *αὐθεντεῖν*, quae parti maiori placuissent ex populo. Dionysius ita hanc rem describit: *οὐδὲν πώποτε ὁ δῆμος, ὅ, τι μὴ προβουλεύσειεν ἡ βουλή, οὔτε ἐπέκρινεν, οὔτε ἐπεψήφισεν. nihil quidquam sine senatusconsuto populus vel decreuit, vel suffragiis adprobauit.* addit: *ὅσα τῷ συνεδρίῳ δόξειεν, οἱ βασιλεῖς ταῦτα εἰς δῆμον ἐκφέροντες ἐπεκύρουν.* Vt sic vis maior senatusconsultorum non fuerit in libertate, quam quae fuit sub regibus. Formulae solemnes erant: VELITIS IUBEATIS QVIRITES. ID VOLVMVS IVBEMVSQVE. in singulari: VTI ROGAS, vel ex aduersa parte: ANTIQVO, legem promulgatam, ac recitatam non accipio, improbo, reiicio. Illud consulum ac senatus, hoc populi ius erat. quod nisi coniungatur, ac partibus aequatis distribuatur vtrinque, lex proprie dicta, aut fieri, aut intelligi non potest. In eo magna senatus vis adparet, quod sine rogatione consulis, dictatoris, aut praetoris, iussio populi esset nulla, neque cum populo ageretur sine praeuio senatusconsulto, nisi concitatior factus contra auctoritatem senatus quaedam iuberet. Liuius g) statim post Romuli excessum: *ita gra-*

g) I. histor. c. 17.

gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, vt non plus darent iuris, quam retinerent. Decreuerunt enim, vt cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent: hodieque in legibus et magistratibus rogandis vsurpatur idem ius. quod sophisma vere aristocraticum erat, cuius virtute multa patribus contraria impediebantur, ante legem praecipue Horatiam atque Hortensiam. Quotiescunque enim recte consultis obniteretur procax et inconstans multitudo, rogatio omittebatur, atque sic etiam forensis tumultuatio. Immo patres indignatione, et causis aliis moti, interdum nec populo gratificabantur in lege roganda, rixarum semina continua sparsuri, quibus ordines decertarent inuicem, nec sine fatis iurisprudentiae iniquissimis. Plutarchus: [r]) ὁ μὲν δῆμος ἄκυρος ἦν τῇ ψήφῳ, καὶ νόμῳ τὶ ποιεῖν, ἄνευ προβουλεύματος, *populus neque suffragio, neque lege quidquam statuebat, nisi ex senatusconsulto conuocaretur.* Προβούλευμα autem senatoribus tantum conueniebat, quo dicebantur *auctores fieri*, item *censere*, populo contra datum *iubere*, βεβαιοῦν, *adprobare*. Antiqua lex est Maenia; *vti, rogatore comitiorum iusto postulante, patres ante inita suffragia, fierent auctores eius rei, quam populus tunc iussurus erat.* Ex Varrone, et Bruto Ciceronis, eam docte explicat Pighius V annalium, anno v. c. CDLXVIII. Liuius: [s]) C. Marcius Rutilus, *sine auctoritate patrum, iussu populi triumphauit.* ibidem: *Fabius interrex aiebat*, XII. *tabulis esse legem, vt quodcunque postremum iussisset populus, id ius ratumque esset: iussum populi et suffragia esse.* Idem: *Samnitibus inferri bellum et patres censuerunt, et populus iussit.* Vlpianus [t]) noster: *Antoninus Aug. oratione in senatu habita, auctor fuit senatui censendi.* vbi perpetua obseruatione *censio senatus*, aut

r) in Coriol. p. m. 227. s) VII histor. cap. VII. it. X. 12.
t) l. 32. ff. de donat. inter vir. et vx.

aut etiam *auctoritas*, opponitur *iussioni populi*, legis complemento. Haec quoque ratio, quare Capito legem definiat, *generale populi iussum*, apud A. Gellium. [v]) Non ergo concedendum viro cumprimis magno, qui ordinem instituti Romani peruertit, ac legem esse non vult, si adprobare illam patres nolint. Quae exempli loco adducit ex Theophili paraphrasi, de auctoritate tutoris, a praesenti negotio sunt nimiopere aliena. Auctoritas enim senatus non est confirmatio, adprobatiove, sed fere vnde coeperit lex, eius origo, primordium. quo sensu auctor est, qui rem aliquam suadet, aut incipit. Sic auctor sermonis, rumoris, a quo primum fluxit: sic auctor sententiae vocatur in senatu, qui illam tulit. Nec aliter senatus auctor fieri solet, quam si decreto eius refertur ad populum, quid forte censeat, quid ad rogationem praetractauerit. Iam vero si populus iubeat, legemque a magistratu recitatam, suffragiis comprobet, *iudicio suo recipiat*, [x]) aut verbo Imperatoris, *constituat*, nihil ad perfectionem eius desiderari poterit amplius.

§. VII.

NVM HIC SENATVS CONTINEATVR NOTIONE POPVLI?

De populo iubente dubitatur adhuc, quisnam fuerit ille, aut quinam generali hac voce comprehendantur? In verbis institutionum tam sunt clara omnia, vt lucem inferat soli meridiano, qui addat plura. Sed quando senatores etiam accensentur [y]) populo, ibi nubecula videtur obducta, adhue discutienda. Quae fausta erant ac fortunata, quae domi gerebantur, inque bellis, nomine auspi-

v) X. Noct. Attic. cap. XX. Papiniano est commune praecept. l. 1. ff. de LL. x) l. 32. ff. de leg. y) §. 4. Inst. de I. N. G. C.

auſpicatiſſimo SENAVS POPVLIQVE ROMANI commendabantur. quo ipſo ſenatus differebat a populo. Ad haec tanta erat veneratio ſenatus, vt ſi cum populo exiſtimetur paria facere, aut hic ſaltem illi permiſceatur, magna oriretur honorum perturbatio. quin centuriatis comitiis, quae cogebantur ex ſenatusconſulto, non fore opus videbatur, denuo ferre ſententias, aut in centurias ire ſenatores, qui cum conſule, aliove magiſtratu curuli, praeerant centuriis, easque rogabant. Et ſane aduerſatur rationi, in ciuitate libera, eos in re veluti propria ſuffragari, qui non niſi ſuffragiorum arbitri erant, ex illorum numero obſeruaturi, quid concedi, quid omitti deceret. Ita enim antiquiſſimo populi inſtituto, aut ſecundum formam ſententiae ferendae vſitatam, ſenatori non licebat reſpondere: *quod ſenatus maxima pars cenſeat, qui adſidetis, id vo unus iubemusque.* Tandem vix poſſet indicari verum diſcrimen, quid populi iuſſu quid auctoritate patrum fieret, item quae ſit prouocatio a ſenatu ad populum, ſi populo ſenatores omnino coniunctos fuiſſe opinaremur. Nec aliter hiſtorici loquuntur, ac veteres quique, ſicubi ordinis vtriusque faciunt mentionem. Liuius: [z]) *iudicium populi reſcindi a ſenatu non poteſt, praeterquam quod nullo nec exemplo. nec iure fieret.* Cicero: [a]) *an populum Rom. illum eſſe putas, qui conſtat ex iis qui mercede conducuntur, qui impelluntur, vt vim afferant magiſtratibus, vt obſideant ſenatum?* a quibus perpetua oppoſitione ſingulos diſcerni videmus, nec ſenatores ita promiſcue populo inſeri. Verum ne quid Iuſtiniano tribuatur, contra decus iuridici ſyſtematis, notanuum ante omnia, variam eſſe ſignificationem in voce populi, pro varietate temporum, ac ſenatus toties immutati. Ab initio ſoli patricii eius facti participes, omnem in ſe poteſtatem transferebant, cuius denique im-

z) IV. hiſtor. cap. VII. a) pro domo p. m. 418.

impatientes plebeii, beneficia libertatis fruendae porrexerunt eo, vt et ipsi struerent sibi aditum ad honores in patria summos. Simpliciter igitur accepta vox populi, et senatum, et patricios, et plebem includit. Theophilus: [b]) τῇ γὰρ τῦ δήμυ προσηγορίᾳ πάντες σημαίνονται πολῖται συναριθμυμένων πατρικίων καὶ συγκλητικῶν. A. Gellius: [c]) *in populo omnis pars ciuitatis, omnesque eius ordines continentur.* Quando autem in actu rerum versantur ordines, neutrius iura, aut nomina confundi debent. Alius enim est senatus, quando subsellia occupauit in curia, siue regiis insignibus in comitiis foroque conspicuus, agit cum populo. Tunc adparet maxime, quae sit vtriusque differentia, quaeque sint munia, ad communem vtilitatem inuenta. In lege praesertim rogaanda, iubendaue, senatus προβύλευμα habebat, qui facto consulto in trinundinum, quo de lege promulgata apud populum, patricios non senatores equites ac plebem uniuersam, certabatur: si hi pariter vellent, aut iuberent, post institutam δοκιμασίαν, quae senatus recitari curauerat, ciuitatis totius consensus, omniumque ordinum vota praesto erant. Nec aliter de Graecis Aristoteles [d]) νόμος γάρ, inquit, ἐςιν λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως. μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαςα. *Lex est, quae communi ciuitatis consensu definita, iubet quo pacto vnum quodque agendum sit.* Eadem fere habet Athenaeus, sub finem vndecimi δειπνοσοφιςῶν. Atque hinc vniuersalem legis naturam ac mentem simul Imperatoris haud dubie perspicimus luculentissime.

§. VIII.

IVRIS INTERPRETATIO ET IVRISDICTIO PENES SENATVM. PATRICIORVM AVARITIA, PLEBIS CALAMITAS

Quamuis igitur hoc modo legislatio fieret, atque sic etiam

b) §. 4. Inst. de I. N. G. c) X. Noct. Att. XX. d) Rhet. ad Alex. c. 1.

F

etiam lex *Iunia* de imperio consulari, *Valeria* de prouocatione, item constitutione magistratuum, suffragiis populi, *sacrata* de potestate tribunicia, *Cassia* de agris diuidundis, mox ab Icilio repetita, *Publilia* de aedilibus, *Terentia*, de Imperio consulari circumscribendo, *Tarpeia* de mulctis, aliaeque consensu plenario perferrentur: difficiliora tamen erant fata iurisprudentiae Romanae per haec tempora, quod publico iuri, ac magistratuum auctoritati, fere intenti essent Romani, priuato autem parum tribuerent, vnde augeretur. Ita enim adsueti patricii sub regibus, iuris interpretationem, ceu priuilegio duraturo, sibi permittebant solis; vt adeo cum consulibus omnem paene iurisdictionem in arbitrio suo, siue incerto iure collacarent, eandem administraturi pro studio partium liberrimo. Inde quamdiu haec illis relicta fuit illibata, tamdiu ferebant aegerrime, leges a populo desiderari, quia his imminuta fuisset potestas, ac praecipua vis nobilium. quin legislationem quoque in se trahere, et senatusconsultis, tanquam legibus, diiudicare audebant fori negotia. Verum senatusconsultis prius haut erat locus, quam vbi deficerent leges. neque tamen simpliciter admittebantur, nisi publico consensu adprobarentur. Decius [e]) consul apud Dionysium: περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, περὶ τούτων ὑμεῖς τὸ προβουλεύεσθαι κύριοι, καὶ ὁ δῆμος ἐπιψηφίσαι. *De quibus non exstant leges, de iis valet senatusconsultum a populo adprobatum*, quod cum lege idem est. Plebs itaque ad libertatem suam nihil magis profuturum cernebat, quam leges certas, aequabili suffragiorum iure conditas, de grauioribus causis, quotidie emergentibus, quas huc vsque potentiorum libidine, non aliter quam sub principatu, disceptari videbat. Tacitus: [f]) *quidam statim, aut postquam regum pertaesum est, leges maluerunt.* In primis occupauerat ani-

e) VII. Antiq. p. 331. f) III. Annal. p. m. 110.

animos patriciorum foenebre malum, ingens auaritia, cuius intuitu ſtimulabantur inferiores, obluctandi magiſtratibus, quaſi ad perniciem ciuium inclinarent. Auditu miſeranda ſunt verba Licinii apud Liuium: [g]) *an placeret, foenore circumuentam plebem in neruum ac ſupplicia dare? gregatim quotidie de foro addictos duci, et repleri vinctis nobiles domos: vbicunque patricius habitet, ibi carcerem priuatum eſſe.* quae ad priora tempora, ſiue quae tabulas antecefferunt, ſunt aeque proferenda. Tanta miſeria preſſi ciues, a regibus exactis, prope credebant conditionem ſuam minime factam eſſe meliorem. Valerius quidem dictator nexis opem ferre decreuerat, iamque retulerat de iis in ſenatu, quid fieri placeret; ſed reiecta eſt illius relatio, nec placuit auctor concordiae, quare vicem ſuam indignatus magiſtratu abiit. Popularem ac benignam plane ſententiam propoſuerat: quid nobis proderit, foris hoſtem viciſſe, ſi domi foeneratoribus licet, nos ob debita in neruum abducere? et adſerto vrbi imperio, ipſi ne corporum libertatem retinebimus? Inſtabat plebs, modum denique ponerent malo, et incommodis maximis, in vrbe graſſantibus, lege mederentur: ſed nequaquam precibus aequa impetrare poterat. [h]) *quod enim libertati plebis cauebatur, id iuris decedere opibus exiſtimabant patricii.* Senatusconſultum deinceps factum eſt de ſuſpendendis exactionibus verum ſatis ambiguum, nec diuturnum, quod ex ſuffragiis ſenatoriis, apud Dionyſium Halicarnaſſeum. [i]) colligitur: *οἱ μὲν γὰρ αὐτὰς μόνον ἀφεῖσθαι τῶν χρεῶν τὰς μηδὲν κεκτημένας ἠξίουν τὰ χρήματα ποιοῦντες ἀγώγιμα τοῖς δυνασαῖς. οὐ τὰ σώματα. οἱ δὲ τὸ δημόσιον ὑπὲρ τῶν ἀδυνάτων διαλῦσαι τὰ συμβόλαια συνεβούλευον. ἵνα ἥ τε πίσις τῶν πενήτων ὑπὸ τῆς δημοσίας φιλαχθῇ χάριτος, καὶ οἱ συμβεβληκότες αὐτοῖς*

 μηδὲν

g) lib. VI. hiſtor. cap. XXXVI. h) Liu. III. hiſt. cap. LV.
i) V. antiq. n. 246.

μηδὲν ἀδικηθῶσι. alii remitti cupiebant vſuras bis, quibus nihil in bonis: alii in locum nexorum ciuium, aut qui breui ob debita libertatem amiſſuri erant, mancipia reſtitui volebant.

§. IX.

CAVSSAE SECESSIONIS ET ORIGO TRIBVNATVS A QVO EXCLVSI PATRICII.

In tam ambigua concertatione, et quod rem arduam lege definire patres nollent, commoti ſunt ciues, vlturi ſuorum iniurias, [k]) L. Sicinio auctore ſeceſſerunt in montem ſacrum, nec prius redieruut, quam plebi concederetur magiſtratus, qui auxilium praeſtaret contra conſules, ac ſcitis peculiaribus inſtitutisque, redderet ciuibus iuſtitiam. Tribunitiae poteſtatis haec eſt origo, libertatis plebeiae fundamentum, vnde tot ſaeculis deinceps multa extiterunt commoda, incommoda plurima. Cicero: [l]) *haec mihi peſtifera videtur. quippe quae in ſeditione et ad ſeditionem nata eſt: cuius primum ortum, ſi recordari velimus, inter arma ciuium, et obſeſſis et occupatis vrbis locis, procreatam videmus.* ita ſub Quincti perſona loquitur Marcus noſter, mox tamen addit: iniqua eſt in omni re accuſanda, praetermiſſis bonis, malorum enumeratio. Ac licet non ſtatim honores adepti ſint magiſtratus tribuni plebis, ſufficiebat inter haec, quod ſacroſancti eſſent, aedesque habitarent inuiolabiles, potentia agendi cum populo inprimis conſpicui: reliquos magiſtratus prehendendi, et in vincula ducendi licentia, ſuperabant: implorati ſupplicem quemuis a iudicio liberare, vel a praetore damnatum adſerere poterant. quae cauſſa fuit, cur praeſides ſeſe atque cuſtodes publicae libertatis iactarent ac domus eorum interdiu noctuve paterent omnibus, afflicto-

k) Liu. II. hiſt. cap. XXXII. l) III. de Leg. p. m. 345.

flictorum portus certissimus, m) *λιμὴν καὶ καταφυγὴ τοῖς δεομένοις, ἱερὸν καὶ ἄγιον, καὶ ἄσυλον.* Sane patres postquam tribunatum cum fremitu admittere coacti essent, arte interim ciuili hoc sollicite agebant, per clientes, vt sibi tantum gratis ac fauentibus munus tam anceps obueniret, donec lege Voleronis Publilii, a quo et nomen indepta est, ediceretur. vt plebeii magistratus tributis comitiis fierent. Liuius: n) *haud parua res, sub titulo prima specie minime atroci; sed quae patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi, quos vellent tribunos, auferret.*

§. X.

HINC IVRA PLEBIS CERTA PER PLEBISCITA PATRICIOS OBLIGANTIA POST LL. HORAT. PVBLIL. HORTENSIAM.

Ab hoc tempore multa in fauorem plebis facta, quae potentioribus inuisa, praesertim cum propriis rogationibus sibi consuleret. Neque hinc male suspicantur, qui Pomponii annos vicenos hoc interuallo terminari existimant. quoniam tribuni, vtut plebescita tantum conderent, prospexerunt suis egregie, ac iuri priuato augendo succedentibus annis quadraginta, ad tabulas vsque, praebuerunt occasionem auspicatissimam. Etenim legis o) nomen illis quoque tribui, ante tabulas, inque legis vim denique eualuisse constat, per Horatiam primum, deinde Publiliam, ac denique efficacius et uniuersalius, per Hortensiam legem, qua de alibi pluribus. Dionysius de lege Horatia: p) *ἔτος ὁ νόμος ἐξέβαλε τὰς ἀμφισβητήσεις τῶν πατρικίων, ἃς ἐπιοῦντο πρὸς τοὺς δημοτικοὺς πρότερον, οὐκ ἀξιοῦντες τοῖς ὑπ' ἐκείνων τεθεῖσι νόμοις πειθαρχεῖν.* *Ista lex sustulit lites, quas plebi nobiles moue-*

 rant

m) Plutarch. Quaest. Rom. p. 283. n) II. histor. cap. LVI.
o) l. 1. ff. ad L. Aquil. p) lib. XI. antiquit. n. 54c.

rant prius, nolentes eius scitis, aut legibus obedire. Verba legis con epta, et ipsius consulatus popularitatem, Romanae historiae scriptor facundissimus ita proponit: [q]) *omnium primum, quod velut in controuerso iure esset, tenerenturne patres plebiscitis, lex centuriatis comitiis lata,* VT QVOD TRIBVTIM PLEBS IVSSISSET, POPVLVM TENERET' *qua lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est.* Tam celebrata autem est, ac semper laudata illa constitutio, vt Horatius, cum Valerio collega, ante omnes consulari honore digni baberentur a ciuibus. Antea enim, si credimus Zonarae, solum praetoris, στρατηγȣ̃ titulum prae se ferebant; quod autem plebi adeo praeclare sucurrerent, prodessent, consulerent, noua adpellatione ac solenni posthac a ceteris magistratibus secerni debebant, quam et posteri susceperunt, CONSVLES dicti. Sic enim ille: [r]) τότε γὰρ λέγεται πρῶτον ὑπάτȣς αὐτȣ̀ς προσαγορευθῆναι, στρατηγȣ̀ς καλȣμένȣς τὸ πρότερον. nempe ȣ̓αλέριον καὶ ὁράτιον. *tunc primum consules vocati, quos antea praetores adpellabant.* Liuius ipse testis est ibidem: *his temporibus nondum consulem iudicem, sed praetorem adpellari mos fuit.* Cicero quoque non vno loco praetores vrbanos atque consules iungit, argumento certissimo, vtrumque nomen sibi proximum esse, sicut et ipsum munus. Idem Planco: [s]) *placuit ad praetorem vrbis deferre litteras, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum.* Id fere legi Horatiae fatale, quod impugnaretur quotidie a patribus, quorum ob rectatione perpetua, et senio temporis euenit, vt aliquandiu negligeretur, donec Volero Publilius Philo eandem reuocaret, ac tandem Q. Hortensius firmum ei decus conciliaret, sub hac formula: QVOD PLEBES ROGATA STATVIT, EO IVRE OMNES QVIRITES

TES

q) III. histor. LV. r) tom. II. p. 28. s) X. ad fam. ep. XII.

TES TENENTOR. [t]) Rationem fubiiciunt aliqui, quod Hortenfius dictator, plebis iura hac ratione voluerit augere, vel potius, quod ex vtilitate reipublicae fore exiftimauerit, fi aequata lege ciuitas adminiftraretur, quae ceteroquin ex conditione iuris inaequali, aeterna difcordiae femina retineret.

§. XI.

HAE LEGES CAVSSAE CONCORDIAE ITERVM SVBLATAE ABVSV TRIBVNATVS.

Atque haec celebrata lex eft illa Horatia, quadriennio circiter poft tabulas nata, nouum rei Romanae vinculum, et ad ad mutuum amorem inter ordines conferuandum, infigne monumentum. quam vel tribus indicare voluimus ante tabulas, vt magis pateret, quaenam poteftas tribunorum, quaenam vis plebefcitorum, ante et cum tabularum legibus paria facientium. Antiqui non eodem fenfu loquuntur. nam quod Hortenfio Laelius apud A. Gellium tribuit, id Liuius ad Voleronem Publilium refert, qui diu vixit ante illum: rurfum a neutro iftorum, fed M Horatio Barbato eam legem perlatam effe Dionyfius prodit, ficut modo vidimus. Qui nuper huc refpexere, in partes iuerunt, quafi a fe inuicem diffiderent veteres, ac Horatio, mox Publilio, aut Hortenfio etiam abiudicarunt. Componere fluctus laborauit Chriftoph. Riccius, *in vindiciis Iuris*, capite I. Verum vna lex aft, quam traducere ad perpetuitatem conabantur plures, eamque conceffit Hortenfius, inter plebis, eiusque iuris conciliatores vltimus. qui fublato omni difcrimine, rogationes tribunitias pariter ac fenatoriis coniunxit, et vim iisdem parem adfcripfit. Theophilus: [v]) *ὁρτήνσιός τις φιλόπολις ὢν συνεβούλευσεν αὐτοῖς,*

 ἀπο-

t) A. Gell. XV. Noct. cap. XXVII. §. 4. Inftit. de I. N. G.
v) §. 5. Inftit. de iur. nat. G. et. C.

ἀποτίθεσθαι μὲν τὴν πρὸς ἀλλήλοις δυσμένειαν, εἰς ὁμόνοιαν δὲ τραπῆναι, τὰ διὰ τὴν ἔχθραν συμβαίνοντα δυσχερῆ διηγησάμενος. καὶ πείσας εἰς φιλίαν συνήλασε. *Hortensius, patriae amans, suasit eis, vt posita maleuolentia ad concordiam redirent, enarrans mala, quae ex discordiis consequi solent, et persuasos tandem reduxit in gratiam.* Et cur a Iustiniano tantum Hortensia nominetur, nulla mentione illata ceterarum, facile patet ratio. Semper enim posterior lex derogat priori, quae vtut hoc loco sit vna eademque, tamen propter auctoris merita postremo adscribitur, sicut alias fieri consueuit. Cicero: x) *veteres leges vetustate sua aut consenescunt, aut nouis legibus tolluntur.* Modestinus: y) αἱ μεταγενέσεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν. *leges posteriores sunt firmiores antiquis.* Quamuis autem cresceret ita nimiopere tribunicia potestas, vt non tam aequa videretur nobiliorum studiis, quam superior, inde tamen contentiones in foro nondum erant sublatae. Diuisi manebant magistratus, et quidquid alter decernebat, alteri minus gratum et acceptum erat. quae caussa etiam fuit, quare tribuni circumspicerent singula, ne forte senatus potentia augeretur. Dionysius z) post exortos tribunos: μετὰ τοῦτο πολλαὶ καὶ περὶ πολλῶν ἐγένοντο τοῖς δημάρχοις πρὸς τοὺς ὑπάτους ἀντιλογίαι, καὶ οὔτε ὁ δῆμος ὅπόσα ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο κύρια ἡγεῖτο, οὔτε ἃν ὁ δῆμος γνοίη, τῇ βουλῇ φίλιόν τι ἦν. *posthaec multae fuerunt altercationes inter tribunos et consules: neque plebs, quae senatus decreuerat, neque senatus, quae plebs sciscere solebat, rata habebat.* AEquissima hic saepius proponebat; illi vero, auctoritate sua perinde abusi, senatusconsultis, edictis quibuslibet, et actis intercedebant. immo suas leges vrgebant, senatum vel cogebant, vel dissoluebant, ponti-ficum

x) I. de orat. p. m. 133. y) l. 4. ff. de constit. Princ.
z) VI. antiqu. n. 319.

ficum augurumque collegia denuntiabant. Eo enim res peruenerat, vt fatali ciuitatis malo, sacra quoque ad se traherent, quorum cura penes nobiliores ab vrbe condita fuerat. Cumque lege nihil sanciretur, nisi auspicato, siue conscis auguribus, qui adstabant, et pro disciplinae sanctioris arcano enunciabant: [a]) *licere per Iouem ferri legem:* istos facile submouebant, quotiescunque libuerat: quam formulam quis miretur a Brissonio fuisse omissam, huius doctrinae studiosissimo. Sed hactenus ista sufficiant, quantum ad inane post reges abiuratos interuallum attinet; interea propius accessuris ad leges decemuirales, cognitu haec non iniucunda duximus, vt, quae fata legum fuerint omni tempore, quatantenus intelligeretur.

a) Cic. IV. ad Att. ep. XIIX.

CAPVT II.

DE CAVSSIS ET FONTIBVS LEGVM XII. TABVLARVM.

§. I.

QVARE ODIOSAE FVERINT SENATVI LEGES SCRIPTAE A PLEBE EXOPTATAE.

Qualis a libertate accepta status fuerit Romanus, qualis administratio iuris et legislatio, per sexaginta annos, breui enarratione hactenus executi sumus. Nempe per acerrima odia concitati patres obluctabantur tribunis; hi autem oppositi illis, quaecunque iusserant publice, irrita reddebant, vt, quoties otium esset ab externis, domi signis infestis congrederentur. Illi ferebant aegerrime,

 esse

esse in plebe, qui alias vrgerent leges, praeter vsitatas, secundum quas lites ciuium diiudicarentur: hi contra omne collacabant in iure praesidium, ac libertatis tuendae spem superesse nullam putabant, dum penes consules ac senatum foret, leges ferre, interpretari, et caussas ad se delatas quaslibet pro arbitrio definire. Ratio autem, cur ipsis difficile et molestum videretur, cuncta exigere ad normam legum, aut quod Graeci aiunt scite, *κατὰ νόμους πολιτεύεσθαι*. procul dubio haec fuit, quod si leges accumularentur. scientia patriciorum, et de iure respondendi facultas. nimium euiluisset, ipsaque potestas et clientum adfectatio imminuta fuisset. Cicero: [a]) *veteres qui huic scientiae praefuerunt. obtinendae atque augendae potentiae suae caussa, peruulgari artem suam noluerunt.* Pontificum libris consignabantur praeiudicia veluti, quae sub regibus prudentissimi Romanorum, et inde nobiles viri in libertate fecerant, quaeque vulgo minus innotuerant. Haec omni studio solebant occultare patricii, vel vt aristocraticis deluderent artibus plebem, et iura sibi concessa obseruarent. Instituta maiorum hinc atque consuetudines praetexebant, aeque ac leges, quibus obtemperarent ciues necesse erat, siue vellent, siue nollent, libertate ita a principio constituta Plerique rudes erant, agriculturae, commerciis, et artificiis dediti, neque curabant, in tanta simplicitate, studia legum, quas senatores et illorum filii nossent. Dionysius: [b]) *νόμων γνῶσιν οἱ πατρίκιοι εἶχον μόνοι, διὰ τὰς ἐν αὐτῇ διατριβάς. οἱ δὲ πολλοὶ ἐμπορευόμενοί τε καὶ γεωργοῦντες ἄπειροι ἔτι ἦσαν. Legum scientia penes solos patricios erat. quod hi fere in illis operam darent. promiscua multitudo plebis negotiationi et agriculturae studebat, iuris imperita.*

§. XIII.

a) 1. de orat. p. m. 126. b) lib. X. antiqu. n. 463.

§. XIII.

LEX TERENTILLA DE IMPERIO CONSVLARI ET SCRIBENDIS LEGIBVS NON PERLATA.

Quando autem iniquiora fubinde contingerent, et arbitraria poteftas degeneraret in fuperba imperia, ficut alibi demonftrauimus, Terentillus, aliis Terentius Arfa, tribunus plebis, auctor fuit multitudini, vt crearentur quinque viri, fcribendis de imperio confulari legibus, *vti quod populus in fe ius dederit, eo confules vterentur, non libidinem ac licentiam fuam pro legibus haberent.* [c]) Adeo inuifa erant *arbitria*, quae non amplius tanquam boni et honefti viri tulerant. Poteftatem *infinitam, immoderatam* adpellant, quae ne *licentia* patribus effet *aeterna*, quinque optimorum hominum collegium excogitant, quorum prudentia coerceretur tam faeua libido. Vberius haec adduco, quod ad fata XII. tabularum pertineant, ac fatis oftendant, vnde nata fit occafio iuris Romani augendi, amplificandiue. Confules, cum fenatu, pro viribus obfiftunt, et auxilia tribunorum, ad iuuandos fingulos comparata, in concionibus paffim criminantur, quafi ad perniciem ciuitatis tenderent, ac qui amici effe deberent, hoftes fierent. Poft multa in coelo prodigia, libri quoque facri, et reconditi euoluuntur per duumuiros, et vulgo monentur ex his omnes, vt abftineant feditionibus. Etfi non ignorarent fagaciores, haec religionis metu fieri, ad cohibendos imperitos, et mobiles animos, tamen aliquandiu ceffatum eft a publicis rixis. Anno fequenti ab vrbe condita CCXCII. ac deinceps quoque, lex Terentilla, fiue etiam Terentia relata, et numerus eorum, qui legibus fcribendis deftinabantur, altero dimidio auctus fuit, vt iam decemuiri legumlatores futuri effent. Dionyfius: [d]) *ἄνδρας αἱρεθῆναι δέκα ὑπὸ τοῦ δήμου, συναχθείσης ἀγορᾶς ἐννόμου, τοὺς πρεσβυτάτους*

c) lib. III. hift. c. IX. d) antiqu. n. 464.

τούτους τε καὶ φρονίμους, οἷς ἐστι πλείστη πρόνοια τιμῆς τε καὶ δόξης ἀγαθῆς. τούτους δὲ συγγράψαντας τοὺς ὑπὲρ ἁπάντων νόμους, τῶν τε κοινῶν καὶ τῶν ἰδίων, εἰς τὸν δῆμον ἐξενεγκεῖν· τοὺς δὲ συγγραφησομένους ὑπ' αὐτῶν νόμους, κεῖσθαι ἐν ἀγορᾷ ταῖς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀποδειχθησομέναις ἀρχαῖς, καὶ τοῖς ἰδιώταις, ὅρους τῶν πρὸς ἀλλήλους δικαίων. *Decemuiri ſolennibus comitiis a populo eligantur, aetate ac prudentia conſpicui. quibus honoribus et exiſtimatio publica curae foret: illi ſcribant leges, de omnibus, priuatis iuxta atque communibus negotiis, et ad populum referant in foro deinceps ponant, vt hinc annui magiſtratus, et qui magiſtratui ſubditi ſunt, legitimos tramites cognoſcant.*

§. XIV.

TVRBAE POST LEGEM TERENTILIAM TRIBVNICIAE. IVDICIVM CAESONIS.

Ex quo promulgata erat haec lex, more conſueto, poſt trinundinum, Virginius tribunus concione vocata, rogationem vt acciperent ſuadebat. Sed non deerant e ſenatu viri praecipui, qui diſuaderent. qua de re Paullus Manutius, ex antiquitate Romana, exempla deſcribit, libro *de legibus*, prope finem. Graeci hunc actum forenſem eleganter vocant κατηγορίαν, ipſos autem, qui diſſuaſere κατηγόρους τοῦ νόμου, diem autem, quo certabant inuicem, δοκιμασίας ἡμέραν. non quod apud illos ſimilia obtinuerint, ſed ex Romanorum inſtituto. Neque enim aequiſſimae rogationi adſenſere patres, veriti, ne iugum imponeretur conſulari imperio, quo effrenis atque liberrima poteſtas magis magisque ad legem adſtringeretur. Caeſo Quintius, militari iuxta et ciuili arte clarus, inter eos praecellebat, cuius ductu pulſi foro ſaepe tribuni, ipſaque fuſa ac fugata plebs eſt. Liuius: *) *Caeſo,*

*) III. hiſtor. cap. XI.

Caeso, ferox iuuenis, qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine ac viribus, nemo non lingua, non manu promtior in ciuitate habebatur. Virginius autem TR. PL. tantam ferocitatem diutius ferre haut poterat, quod priuatus regnaret studiis suorum, et audacia propria: quare diem capitis illi dixit, et hominem arripi, inque vincula duci iubet. Resistunt patricii, atque Caesonem indemnatum violari non debere indicta caussa clamitant, ac simul appellant reliquos tribunos, qui intercederent. Mox isti vetant. Decem igitur vades reum dare iussit, quorum singuli, nisi die iudicii sisterentur, populo mulctam trium millium aeris soluerent. Et hoc quidem iudicium notabile, quia primus dedit Caeso vades publicos, a cuius patre, ob desertum vadimonium, diuenditis bonis, pecunia crudeliter exacta fuit. qui aliquandiu commoratus pauper trans Tiberim, ceu relegatus, rusculum quattuor iugerum coluit, Liuio f) scriptore. Insederat animis lex isthaec, quam septem deinde continuis annis tribuni, quoties negotium insperatum occurerret, cuius expediundi periculum ac magnitudo plebem tangeret, contra senatum deposcebant, neque prius in sententiam ire volebant, quam sibi esset satisfactum.

§. XV.

HERDONII FACINVS. POTESTAS SENATVS ET PLEBIS AEQVALIS PER TRIBVNITIOS MOTVS.

Herdonius quidam cum seruis et exulibus, quattuor mille quingentis, occupauerat capitolium, cui opprimendo ciues in subsidium relicti erant. Non poterant, aliud ingerentibus tribunis. Valerius Cos. ad instar Poplicolae in comitium prodit, et sacramento pollicetur, sese rebus vrbanis compositis, *ἰσονομίαν, ἰσηγορίαν*, siue rogationem de aequali iure inter ciues admissurum At fortiter occubuit in praelio, nec praestitit, quae promiserat,

f) lib. III. histor. cap. XIII.

rat, πλησίον ἐσης τοῦ θανάτου μοίρας. siue fato vrgente.[g]) Proludebant interea temporis, lege Virginia, tribuni magistratui decemuirali, et collegium suum, habitis comitiis, mire propugnabant, creatis e singulis classibus populi Romani itidem binis, vt adeo decem forent. L. Icilius princeps horum, praeter morem auctor suis erat, conuocandi senatum, exemplo consulum, quibus debebatur iste honos, in quo promulgauit legem, de Auentino publicando, et aedificiis ibi struendis. Qui ex patriciis laeserant tribunos, graui multa coercebantur, noua et insolita ratione, cum lege Valeria [h]) id ante solis consulibus permitteretur. quam ne posthac irrogarent successores illorum aut praeiudicio velut iuuarentur, redemtam a populo damnatis restituit ordo nobilium Iam ad potestatem aequatam, siue hodierno dicendi modo, ad conformitatem aliquam processerant, vt neutra pars alterius vim extimesceret adeo, si turbis omissis viuere, et iniuriarum obliuisci voluissent. Nunquam tamen ita coniungebantur, quin pristini mali, et legis Terentillae, nondum perlatae, memoria rediret. Ipsi consules, caussa vtcunque adsumta, mulctae subiiciebantur, accusante tribuno, publicae vtilitatis vindice, quam deposito magistratu soluere cogebantur. Erat autem haec grandis, siue vt ab A. Gellio [i]) describitur, suprema, triginta boum, atque duarum ouium. quae statim post eiectos reges coepit, postea certa pecuniae vi aestimata, quamuis cum aliqua moderatione, pro delictorum grauitate, vt heic Romilius X millibus aeris, Veturius XV. millibus damnatus esse legatur. Tanta vtrinque contentio, tanta aemulatio intercedebat, vt qui praerogatiua generis nixi adspernerentur moderatiora, a coetu ignobili cogerentur in ordinem.

§. XVI.

g) Dionys. X. antiqu. n. 473. h) Plut. in Poplic. p. 103.
i) XI. Noct. Att. cap. 1.

§. XVI.

TANDEM CONCORDIA PER COSS. ET SCTVM DE FERENDIS LEGIBVS. INCERTVM QVIS FERRET.

Sp. Tarpeius denique et A. AEternius coff. finem certaminum facturi, quod parum anteceffores profecif-fent altercando, cum tribunis egerunt comiter, quos et leniores ita fenfere. De legibus ferendis certa erat fen-tentia omnium, de latoribus adhuc dubitatum, quando patres pertinere ad fe refponderent, nec quenquam, nifi ex patribus leges dare poffe, grauiter pronunciarent. Dionyfius [k]) confules laudat: *οἱ τάτε ἄλλα θεραπεύοντες τὸν δῆμον διετέλεσαν, καὶ τὸ περὶ τῶν δημάρχων δόγμα προεβέλευσαν*, quod tum alia peregerint, mitius haben-tes populum, tum et fenatusconfultum de tribunicia ro-gatione, fiue *ἰσηγορίᾳ* ediderint: vbi male Sylburgius interpres: *fenatusconfultum de lege per tribunos ferenda fecerunt.* Quippe hiftoriae non tantum, fed et verbis repugnat. Illa docet, patricios nunquam conceffiffe folis plebeiis eam vim atque poteftatem: ex his nihil tale ex-fculpas, vbi confideres, quae fupra diximus, de *δογμά-των*, et *προβελευμάτων* auctoritate. Liuius [l]) quidem hifce videtur contrarius: *tum abiecta lege, quae promul-gata confenuerat, tribuni lenius agebant cum patribus*, quafi non opus fuiffet fenatusconfulto, lege Terentia peni-tus neglecta. Verum quae lex omnibus prope celebrata concionibus, ac toto fuperiore luftro et biennio amplius adhuc iacuerat, cum ftrepitu antea promulgata, inque pofterum haud dubie repetenda pari vehementia, propter maiora difcrimina in nouam tranfit formam, et confenfu plebis atque patrum, vtut priftina illa manferit, paullo poft reducitur. Qui XII. tabulas magno iudicio digeffit, Iacobus Gothofredus, [m]) in narrationibus veterum, de hac

k) X. antiqu. n. 496. l) III. hiftor. cap. XXXI. m) lib. II. font. iur. p. 5.

hac legislatione, ad verba Liuii *abiecta lege* addit vocem, *Agraria.* sed eius quoque per haec tempora nulla in vrbe concitata actio, quin Sex. Titius revocaturus legem agrariam, ante Terentillam, impediebatur ab ipsa plebe, feliciora tempora expectare iussus, κωλύσαντος τȣ̃ δήμȣ καὶ εἰς ἐπιτηδειοτέρȣς ὑπερθεμένȣ καιρȣ̀ς, notante Dionysio sub finem libri noni. Vt adeo Liuius de lege Terentilla potius, non de agraria locutus esse videatur.

§. XVII.

SCTVM DE LEGATIS IN GRAECIAM MITTENDIS.

Inter haec consules, siue plebem sibi obligaturi, facta spe legum, siue eandem ad mediocre spatium a turbis auersuri, legatos mittunt Athenas, et aliorsum ad leges ciuiles conquirendas. Sigonius, n) de antiquo ciuium iure, tempus adsignat, sub consulatu T. Romilii Veturiique. Sed illo exconsule, auctore tantum ac suasore senatusconsultum factum est, cuius orationem plures arbitrabantur plebem exasperaturam. ideo meliora vix sperabant. Quando autem dixisset sententiam, reliqui suffragabantur ei, ipseque Sicinius, quem alii Siccium o) adpellant, tribunus plebis, aequitate rei, et felicitate adductus, laudauit illum, publico munere et gratia dignum, statimque effecit, vt senatusconsultum de legatis mittendis plebescito confirmaretur. p) γραφέντος δὲ τȣ̃ προβȣλεύματος, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπικυρώσαντος τȣ̃ δήμȣ. Atque hoc est penetrale, et sanctius Romanae ciuitatis perfugium, quorsum deinceps aequalia iura, et quidquid lege inter controuertentes definitum, adscribi decet. Hoc aduersa Romanis fata quasi mitigauit, vnde perpetuae rixae, caedes et innumera mala distrahebant ordines, ac maximum reipublicae bonum, concordiam reconciliauit. Patres cum filiis patriciis, ex optimatum arcanis, plebi ad-

n) lib I. cap. V. o) conf. Pigh. II. annal. p. m. 135.
p) Dionys. X. antiqu. n. 498.

aduerſabantur, in iure praeſertim reddendo, contumelioſe ſpreta prouocatione ad populum, ac tribuniciae poteſtatis auctoritate inuiolabili: haec tot incommodis fuit edocta artes nobilium, et conſilia de dominatione paucorum illaetabili, opprimendisque pauperibus, vt propter nexorum multitudinem ciuitas prope tota ſeruiret patriciis, adminiſtrationis publicae robur in legibus collocauit, inque curarum et honorum partes admitti voluit. quamvis occulta vi, et miris rationibus inde arceretur, quod iam proditum eſt alibi. At ſalubri hoc propoſito vulgato, maior erat amoris mutui ſpes, et ad ſemina aemulationis deperditae extirpanda conſenſio.

§. XVIII.

AD CONQVIRENDAS LEGES CIVILES MAXIME SOLONIS, TRES MISSI NON DECEM SEC. POMPONIVM.

Legati erant ex praecipuis familiis Sp. Poſtumius, Ser. Sulpicius, A. Manlius, iuſſi Solonis inclitas leges deſcribere, et aliarum Graeciae ciuitatum inſtituta, mores iuraque noſcere. Dionyſius, q) qui Liuio plenior eſt atque vberior, addit, iis triremes ex aerario fuiſſe inſtructas, ornatasve pro imperii Romani magnitudine. *οἷς τριήρεις τε παρεσκευάσθησαν ἐκ τοῦ δημοσίου, καὶ ἄλλος κόσμος εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἡγεμονίας ἀποχρῶν. triremes publico ſumtu inſtructae, et ornatus inſuper additus demonſtrandae magnitudini Romanorum ſuffecturus.* Legatorum enim haec ſumma cura eſt, ne quid admittant contra patriae decus, et vnde minores forte habeantur aliis, nec omittant ea, quae apud exteros vel minimam contemtus opinionem inſinuare queant. Illud, promtum licet atque explicatum a multis, huc afferri meretur, quod Pomponius manifeſto *ἀνιϛορησίας* vitio laboret, ac ſecum

q) antiqu. l. 10. n. 499.

fecum traxerit interpretes auctoritatis haut vulgaris. Pro tribus enim quos ad Graecos diximus miffos, decem annumerat. Verba eius haec funt: r) *poftea vt diutius hoc fieret, placuit, publica auctoritate* DECEM CONSTITVI VIROS, PER QVOS PETERENTVR LEGES A GRAECIS CIVITATIBVS. Quidam in littera, qua fuerit expreffus numerus, aberraffe librarios volunt, vt fic nulla fcribi poffit dica iureconfulto: alii conquifiuere alias rationes, quas ne tanti quidem puto, quippe totus obeft contextus, et quam heic medicinam exercent, illa verbis confequentibus venenum prope adferent. Nec melioris notae funt, quae in eundem fenfum habet Caroli Annib. Fabrotti fcholiaftes s) ad Theophilum: *ἐλθόντες ὖν παρὰ Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις δέκα ἄνδρες ἔλαβον τὸς ἐκεῖθεν νόμυς.* Ac tolerari quidem hoc poffet, nifi occafionem fumfiffent inde nobiles gloffarum fcriptores, Accurfius et Odofredus, infulfis fabulis dicati, ac rem dictu mirabilem litteris confecraffent. Scilicet Athenienfes non ftatim adplaufiffe decem Romanorum legatis, neque fidem omnino habuiffe; fed iuffiffe, vt ciuis de fuis trans mare curreret, ac referret comperiora. Quae de fatuo illi oppofito addunt, deque colloquio per figna externa, atque micationem digitorum, inter fatua cenfeamus oportet. Conr. Rittershufius, t) et ante illum Budaeus, narrationem lepidam integro fenfu componunt. Zafius v) ad Pomponii librum exiftimat, iocos mifcuiffe Accurfium, nec plane alienum videtur a temporum iftorum barbarie, fi maxime confulamus prudentum vitas. Exemplis ille vtitur fubinde, petitis, e facris litteris, quorfum pertinent quae in praefenti de vnitate, trinitate, atque prouidentia, imperite accumulat. Simile quid de operis, cum vfufructu iisdem pronunciat

r) l. II. ff de O. I. s) §. 1. de legit. agn. tut. t) Comment. ad XII. tab. prol. c. 1. v) ad l. 4. ff, de oper. ferv.

ciat, conuenientiam ex vtraque parte oftenfurus. fed profanum eft, quando verba SALVATORIS adducit, *ego fum in patre, et pater in me eft,* quafi mentem illius adprime illuftrarent, et hae in vfufructu effent, ficut hic in operis. Praeter vfum profanum diuinae fcripturae, ex his verum effe difcimus, quod Lud. Viues docet: [x]) Accurfium, cum aequalibus, non obliuio hiftoriae, fed ignorantia oppreffit, *quare pro caelo expofuerunt cucurbitam, et hiftorias confinxerunt, cum veras ignorarent.* Neque tamen primus forte eft celebris ifte gloffator, qui fuorum animis concitandis, in frequenti concurfu feria temperauit iocis, vt placeret magis, et omne ferret punctum. abfit modo impietas, petulantia fcurrilis, et iniqua meliorum obtrectatio, quae hodie tanquam virtus blanditur ignaris.

§. XIX.

VNDE ROMANIS LEGVM SOLONIS NOTITIA?

Vnde autem Romani notitiam habuerint legum Solonis, qui faeculo circiter vixerat antea, cuiusque leges in acropoli, fiue loco Athenarum munitiore, ita repofitae et occlufae erant, vt non prius infpicerentur, quam controuerfia de verbis legum moueretur, dubitari poffet. Pollux: [y]) *ἀπέκειντο δὲ αἵ τε κύρβεις καὶ οἱ ἄξονες ἐν ἀκροπόλει πάλαι. Olim tabulae legum in acropoli recondebantur:* cum vero per aetates verba ciuibus non adeo effent familiaria, legum *ἀντίγραφον* in curiam deferebatur. *αὖθις δ' ἵνα πᾶσιν ἐξῇ ἐντυγχάνειν, εἰς τὸ πρυτανεῖον καὶ τὴν ἀγορὰν μετεκομίσθησαν. rurfum quod liceret omnibus infpicere tabulas, inde eas tandem in curiam et forum transtulerunt.* Itaque poftmodum, fi anceps foret fenfus, comparatio facta eft exemplarium,

 διὰ

x) VII. de cauff. corrupt. art. p. m. 221. *y)* VIII. onom. cap. 10.

διὰ τῦτο ἔλεγον τὸν κάτωθεν νόμον, ἀντιθεντες πρὸς τὴν ἀκρόπολιν. legem in curia oppoſuerunt legi in Acropoli. Simile quid in gente Ebraeorum notatur, qui nefas eſſe putabant, legem diuinam, *hereditatem, atque peculium eccleſiae*, cum exteris fieri communem, quare et libri Moyſis inter *ἀποκρύφυς*, arcanos, reconditos, a Graecis et Romanis recenſebantur. Iuuenalis: [z]) *metuunt ius, tradidit arcano quodcunque volumine Moyſes.*

§. XX.

LYCVRGVS ATQVE SOLON VNDE DIDICERINT QVAS DEDERE LEGES.

Verum ſi mores priſcorum in Graecia ſpectamus, tam inuidi haud erant, quin aliis, decore petentibus, impertirent, quae domi, quae in bello obſeruarent. maxime poſtquam nauigationibus, et commerciis in varias terrae partes, vulgarentur ipſorum inſtituta. Lydiae populi [a]) Graecorum legibus vtebantur, niſi quod filias ſuas adigerent ad turpiſſimum quaeſtum, corpore faciendum. Immo, qui legum ac ſapientiae ſtudio praecipue laudantur, Lacedaemonii atque Athenienſes, aliunde acceperant *δικαιώματα*, quibus ciuitates illorum adminiſtrabantur. Socrates [b]) apud Platonem, quando ſermo eſt de antiquiſſimis patriae legibus, quaerit, vnde profectae ſint? reſpondet Minos, *Φασὶν ἐκ κρήτης, ex inſula et regno Cretenſi.* Lycurgum etiam ciuilem diſciplinam, ad Spartiatas, e Creta attuliſſe, ſcribit Herodotus, [c]) *ἐπιτροπεύσαντα ἀδελφιδέυ*, cum tutor eſſet fratris filii, tanquam ſenior domus, et proximius agnatus. Thucydidis [d]) ſcholiaſtes: *αἰνιττεται τὺς τῶν Λακεδαιμονίων νόμυς, ὓς Λυκῦργος ἔγραψε, μιμησαμενος τὺς κρητῶν καὶ Αιγυπτίων. Indicat Lacedaemoniorum leges, quas* *Ly-*

z) Sat. XIV. v. 102. a) Herodot. I. 94. b) in Minoe. p. m. 318. c) I. 65. d) ad lib. II. p. m. 234.

Lycurgus ſcripſit, imitatus Cretenſes et Aegyptios. Plato [e]) alibi Cretam et Lacedaemonem fraternis legibus inſtitutas dicit. ἥκει γὰρ ἐπι τὴν εἰς Λακεδαίμονα κατόικησιν, ἣν ὑμεῖς ὀρθῶς ἔφατε κατοικεῖσθαι καὶ κρήτην, ὡς ἀδελφοῖς νόμοις. *venit ad Lacedaemonas habitaturus ibidem, quam vrbem vos ſicut et Cretam ſiue Candiam, fraternis legibus admiuiſtrari teſtamini.* Ariſtoteles [f]) ad metam vtriusque reipublicae ſpectans ait; ἐν Λακεδαίμονι καὶ κρήτῃ πρὸς τὰς πολέμες συντέτακται σχεδόν ἥτε παιδεία, καὶ τό τῶν νόμων πλῆθος. *Lacedaemone et in Creta ad bella gerenda ferme ordinata eſt diſciplina et legum multitudo.* Attica Themis ingenio Solonis potiſſimum nititur. Hic autem niſi ex itinere transmarino, ex aula Croeſi apud Sardes, et Amaſis AEgyptii, regum clariſſimorum, rediiſſet prudentior, tot in foro caſibus tuto mederi vix potuiſſet. Plutarchus [g]) quidem auctor eſt, ipſum leges tuliſſe, antequam peregre abiret: ἐπεὶ δὲ τῶν νόμων εἰσενεχθέντων ἔνιοι τῷ Σόλωνὶ καθ' ἑκάςην προσῄεσαν ἡμέραν, ἐπαινοῦντες ἢ ψέγοντες, ἢ συμβουλεύοντες ἐμβαλεῖν τοῖς γεγραμμένοις, ὅ, τι τύχοιεν ἢ ἀφερεῖν. δεκα ἔτῃ παρὰ τὰς Ἀθηναίων ἀποδημίαν αἰτησαμένος. *Cum vero poſt leges a Solone perlatas aliqui ipſum adirent et laudarent eas, alii vituperarent, aut monerent; vt vel adderet, vel demeret nonnulla: per decennium vt ſibi peregre abeſſe liceret, petiit;* ea ſpe, vt interea temporis magis adſueſcerent legum praeceptis. Sed quis negaret, illum poſt reditum plures dediſſe leges? quod ex numero tabularum, et veterum ſcriptis teſtificari longum nimis, promtum tamen foret.

e) III. de leg. p. 683. f) VII. Polit. c. 2. g) in vita Solon. p. 92.

§. XXI.

QVARVM PATRIAM AEGYPTVM ESSE EXEMPLO EST LEX ALIQVA XII. TABB.

Vnica lex nouarum tabularum inſpiciatur, Bocchoris, AEgypti rex, diu antea iura commerciorum conſtituerat, inque his, de facultatibus obaeratorum. vſuras duntaxat exigendas eſſe iuſſerat, corpora autem nullo modo debere in nexum duci. Diodorus hoc affirmat liquido, atque Solonem Athenis idem ſtatuiſſe, more AEgyptiorum, commemorat, ſub titulo *σεισαχθείας* [h]) ſiue *oneris excuſſione.* quod corpora reipublicae deberentur, ad belli et pacis munia referuanda. *τὰ δὲ σώματα ἵνα τὰς καθηκούσας λειτυργίας ἔχωσιν αἱ πόλεις καὶ κατὰ πόλεμον, καὶ κατ' εἰρείνην.* quin abſurdum eſſe, ciuem communibus periculis obnoxium, propter foenebre malum priuatorum vinculis conſtringi. Io Schefferus male Siculum noſtrum id tradere ſcribit, in *Agrippa liberatore*, [i]) ratione permotus, quam indicauimus, leges nimirum ante peregrinationem Solonis eſſe perlatas. At minime ſequitur, leges ille ſcripſit ciuibus, ante iter ſuſceptum, ergo redux nullas amplius addidit. vnde enim certi ſumus, in axonibus Solonis hanc legem fuiſſe, antequam peteret AEgyptum? Quidquid vero ſit horum, antiquitate ſua certant leges AEgyptiorum, cum legibus gentium cultiorum, quas et largiuntur vltro, inde ad ſe pridem deriuatas fuiſſe. Solon apud hos aliquandiu commoratus, ſicut iam vidimus, [k]) deque legibus et administratione ciuili cum ſacerdotibus AEgypti collocutus, profitebatur aperte, neque ſe, neque alium quemcunque, antiquiora nouiſſe. *τὰ δὲ παλαιὰ ἀνθρωπων, σχεδὸν ὔτε αὐτὸν, οὔτε ἄλλον ἕλληνα, ὐδένα ὐδὲν εἰδότα, περὶ τῶν τοιύτων ἀνευρίσκει.* *cum de rebus antiquis*, incolas AEgypti,

h) lib. I. biblioth. p. 71. i) cap. II. p. 14. k) Plato in Tim. p. 21.

AEgypti, et facerdotes maxime *interrogaſſet, comperit, neque ſe, neque unquam Graecorum, neque quemquam alium ſciuiſſe, quae ab his intellexiſſet.* Iam ſi conſurgamus ad primra, non obſcure colligitur, DEI hoc eſſe mandatum, a Moyſe Iudaeis promulgatum, libro III. [l]) de anno Iubilaeo, ac libro V. [m]), de anno remiſſionis, vbi Graecus interpres exſerte ponit, ἄφεσιν τοῦ χρέους, quod vir doctiſſimus in ſequentibus et adprobat ipſe, et aliis adhuc locis firmat. Familiaritas itaque et quotidiana conſuetudo, mutuam in vicinis populis humanitatem legis commendarat: quam ex parte hodienum in terris illis ſeruant incolae, et non ſine beneficio praedicant, qui ſeruitutis iugum, poſt exactum miſerum et crudele ſeptennium deponunt. Sic nauticae leges Rhodiorum antiquiſſimae, iam Imperatorum tempore, in Romanorum iudiciis obtinuere. Harmenopulus in promtuario [n]) εἰσι γὰρ οἱ τῶν Ῥοδίων νόμοι τῶν ἄλλων ναυτικῶν παλαιογενέστεροι. *ſunt Rhodiorum leges aliis nauticis antiquiores.* quarum et fragmenta in pandectis integro titulo ſuperſunt. Non abſimiles fuere Wysbienſium vetuſtae nauales: et poſt eas ius Lubecenſe, cuius apud vicinas gentes vſum alibi demonſtrabimus. Sic Poloni a Saxonibus, Hungari a Francis iura petierant, teſte Io. Sambuco, praefatione ad Tripartitum. Fertilior nobis pateret campus, heic deſcribendi migrationes legum ad ciuitates varias, ac fata pariter, ſi quidem id exequi vellemus. Ita Noribergenſium, in propinquo veluti, ſapientiam laudat Ludouicus Quicciardini, [o]) quod Romanorum exemplo, ex multis vrbibus ac Hannoniae quoque metropoli Valencena, leges quasdam petierint. Iidem ſe Venetis debere tutelares aliasve conſtitutiones, publica in curia pupillari teſtantur inſcriptione. Sane in rem

 ſuam,

l) cap. XXV. m) cap. XV. n) lib. II. tit. XI. l. 1. §. 1. ff. de L. Rhodia. o) part. II. Belg. p. 179.

ſuam, nihil praeclarius adſumere poterant, nihil durabilius, ſiue prudentiam comparemus, ſiue curam patriae.

§ XXII.

DRACONIS ETIAM AC TOTIVS GRAECIAE LEGES A LEGATIS R. CONSIGNATAE.

Neque vero Solonis tantum, ſed Draconis etiam leges, per conſulares ſuos atque legatos, impetraſſe Romanos, Steph. Vinandus Pighius [p]) in annalibus ſcribit. Dionyſium, Liuium, Caſſiodorum, teſtes aduocat. nemo tamen iſtorum Draconis meminit. Vixit hic ante Solonem, ac ſi audimus A. Gellium, [q]) primus omnium leges tulit, quibus vſi ſunt Athenienſes. Ariſtoteles [r]) illas tanquam ſeueriores perſtringit, a dracone, non ab homine profectas. ἐκ ἀνθρώπε οἱ νόμοι, ἀλλὰ δράκοντος. χαλεποὶ γάρ. Demades [s]) igitur ſanguine, non atramento ſcriptas dicebat, quod omnibus delictis, capitale ſupplicium, ſine diſcrimine ſtatueretur. Eadem cauſa fuit, quod non diu eſſent in pretio, easque Solon paene omnes reſcinderet διὰ τὴν χαλεπότητα καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἐπιτιμίων, *propter grauitatem et magnitudinem poenarum.* Auctor etymologici nominibus diſcernit leges Draconis ac Solonis: θεσμὸν ἐκάλεν τόν νόμον. καὶ διαφέρεσι προσώποις. θεσμὸν γὰρ εἶναι τε Δράκοντος. νόμον τε τε Σόλωνος. at nec perpetuum hoc eſt, quod Lectionis Graecae peritis notum abunde. Io. Marshami diligentia inſignis eſt, qui legislationem hanc ex antiquis collegit in canone Chronico. [t]) Abrogatis autem ſanctionibus Draconteis, praeter paucas de ſicariis, quomodo facere tanti eas Romani potuerint? Iuuat Pighium forte, quod verba legationis vniuerſalia ſint, *ad Graeciae ciuitatum*

[p]) II. annalium p. 135. [q]) XI. Noct. Attic. c. 18. [r]) II. Rhetor. XXIII. n. 100. [s]) Plutarch. in Sol. p. m. 87. conf. Ariſt. II. Polit. c. X. [t]) ad Saec. XVIII. p. 640.

tatum instituta, mores et iura noscenda. quare vix omitti debuerat praestans ac seuerae disciplinae vir, Draco legislator. Verum sic plures vtique nominandi videbantur, quorsum et Liuii [v]) narratio pertinet: *iam redierunt legati cum Atticis legibus.* quibus nullum certum auctorem exprimit. Dionysius [x]) generali adpellatione *ἑλλήνων νόμους* describit. Cassius [y]) apud Ciceronem tradit explicatiora; quando comparat Romanos cum Graecis, atque his anteponit suos. *quantum praestiterint maiores nostri prudentia ceteris gentibus, tum facile intelligetis, si cum illorum Lycurgo, Dracone et Solone, nostras leges conferre volueritis.* quibus ad fontes respicit, et primos quasi legum conditores, vnde ad se profluxerant meliora instituta. Vlpianus [z]) exemplo probat, Draconis *θεσμὸς* non incognitos fuisse: *Labeo statuit, in rebus veneris deprehensum occidi. quod Solon et Draco dicunt, ἐν ἔργῳ.* Non enim certo loco Romanos destinatos, non vni fuisse dicatos prudenti, qui legum notitiam sibi comparabant, sed *quidquid vsquam egregium, id accivisse*, Tacitus [a]) prodidit. antea paullo Minoem, Cretici regni principem, Spartanorum Lycurgum, ac denique Atheniensium Solonem celebrauit. Ad hos inprimis oculos intendisse legatos, dubio caret.

§. XXIII.

ET LYCVRGI LEGES NON MINVS QVAM SOLONIS.

Augustinus [b]) eos Lycurgi leges non accepisse, neque accipere voluisse, scribit, quod primordia harum ad Apollinem referret. Atqui ex allatis modo cognoscimus, minime idoneis hanc sententiam fulcris subnixam, et sanctissimi patris interpretem, Lud. Viuem, longius digredi,

v) III. histor. c. 82. x) X. antiqu. n. 498. y) de orat. p. m. 127. z) l. 23. ff. ad leg. Iul. de adult. a) III. annal. p. m. 109. b) II. de civ. DEI cap. XVI.

digredi, quasi Lacedaemoniorum ingenia bellica cum Romanis non conueniant. Quae gens magis dedita Marti? cuius gentis virtus et opera in bello magis enituit? cui rei fundamenta maximi imperii transcriberemus? nonne fortia agere, et pati Romanum est? Meta haec vrbi aeternae, ab initio constituta, *fines bello proferre.* Iustinianus [c]) Imp. contra: *origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum scilicet, ac Lacedaemoniorum fluxisse videtur.* quamuis exciperet forte nonnemo, hoc membrum de iure non scripto capiendum esse. Nihilominus certum est, mores et iura Graecorum consignasse Romanos, vt domi ex illis retinerent ciues, quod patriae vtile, quod sibi profuturum noscerent. Athenaeus [d]) praeclare significat, Romanos decreuisse disciplinam Spartonorum retinere: immo constantius vel ipsis Lacedaemoniis in ea permansisse, *μιμησάμενοι τε κατὰ πάντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν, διετήρησαν αὐτοὶ μᾶλλον ἢ ἐκεῖνοι. Romani Lacedaemonios imitati sunt per omnia, ac disciplinam horum retinuerunt magis quam illi ipsi.* Ideoque Velleius Paterculus: [e]) *Lycurgus disciplinae continentissimus. cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit.* ne iam de rhetris eius, Romam translatis, luculentum Ammiani testimonium producamus. quin argumentum fallax est, atque infirmum: scriptores Romani Lacedaemoniorum, hac in re, nullam fecere mentionem; proinde nec Romani quidquam iis ferunt acceptum. Verba haec magno ICto exciderunt, sed quo sensu, aut quo fine, latius haut inquiro. Immo si audimus Plutarchum, cuius mentem superius iam exposuimus, Romulus Lycurgum in plerisque imitatus est. vt adeo, receptis a condita vrbe legibus Lacedaemoniorum, proximum esset, a tabulis non excludere eas, vbi e re fore ciui-

c) Inst. §. 10. de I. N. G. d) Sub fin. lib. VI. *Δειπνοσ.* p. m. 273. e) Histor. lib. 1. cap. 6.

ciuitatis putarentur. P. Scipionem quoque Africanum fuis quaedam Lycurgi exemplo tradidiffe, Polybius f) teftatur: ἐμοὶ δοκεῖ πόπλιος Λυκούργῳ τῷ τῶν Λακεδαιμονίων νομοθέτῃ παραπλησίαν ἐσχηκέναι φύσιν, καὶ προαίρεσιν. Mihi videtur Scipio natura et genere inftitutorum fimilitudinem aliquam cum Lycurgo legislatore habuiffe, libro fexto antea dixerat, in comparatione rerumpublicarum, Carthaginem ab initio fimillimam fuiffe Lacedaemoniorum et Romanorum ciuitati.

§. XXIV.

CVIVS REI EXEMPLVM EST LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

Vnicum fupereft argumentum, in legislatione Romanorum, quod Lycurgum aeque ac Solonem fuerint fecuti, legitima agnatorum tutela. Haec Athenienfibus poft Solonis aeuum incognita, apud Lacedaemonios frequens, et per legem neceffaria. Laertius in vita Solonis: κάλλιςον δὲ κἀκεῖνο. μὴ ἐπιτροπεύειν, εἰς ὃν ἡ οὐσία ἔρχεται τῶν ὀρφανῶν τελευτησάντων. pulcerrimum et illud: ne fit tutor, ad quem, pupillo defuncto, hereditas venit. quibus vtique exclufit a tutela omnes, genere ac fanguine propinquos. Ifti enim tutelam, ceu onus, debebant fuftinere, quia hereditatis commoda ad eos pertinebant: commoda vero et onera fe inferunt mutuo, vt, qui illa fperant, haec etiam ferant. Lacedaemonii ftatuebant ita, vbi Lycurgus ipfe tutor Leobatae, fratris filii erat, fecundum Herodotum: g) Λακεδαιμόνιοι λέγουσι, Λυκοῦργον ἐπιτροπεύσαντα λεωβώτεω ἀδελφιδέου μὲν ἑωυτοῦ, ἐκ κρήτης ἀγαγέσθαι ταῦτα. Lacedaemonii dicunt, Lycurgum tutorem Leobatae, haec attuliffe ex Graecia, nempe iura hofpitii et priuatae confuetudinis. Athenienfes contra de Solonis confilio non admifere tutores, qui

f) X. hiftor. p. m. 576. lt. p. 493. g) in Clione, fine l. I. 65.

qui proximi fuerunt agnati. Ratio videtur; quod facilius impellerentur ad opimiora bona, in primis si cum diuitiis simul transiret imperium. Iam autem Romani, Lycurgi potius instituta, quam Solonis hac in re adiectati, in tabulis exstare voluerunt legem: *si paterfamilias intestato moritur, cui impubes suus heres sit*, AGNATVS PROXIMVS TVTELAM MANCITOR, siue nanciscitor. Imperator [h]) noster ipsam laudat, ac Theophili Scholiastes disertim addit: post reges eiectos denique legem hanc accessisse, *κατὰ τὸ ἐξελάσαι τὰς Ῥῆγας οἱ Ρωμαῖοι νόμον ἔθεντο.* ne quis sub Regio statu iam obtinuisse forte opinaretur. Vlpianus: [i]) *legitimos tutores nemo dat: sed lex duodecim tabularum fecit tutores.* Vt hinc pateat Romanos, cum Lacedaemoniis existimasse ab initio, agnatos proximos et affectu et fide coniunctiores, bona pupilli frugaliter magis ac pie administraturos esse. quod [k]) Plato quoque consulit, *ἐπιτρόπους εἶναι τοὺς ἐγγύτατα γένει πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς κυρίους. qui genere sunt proximiores, tam respectu patris, quam matris, tutores eligantur.* conueniunt haec cum Iustiniani constitutione nouella CXIIX. capite IV et V. vbi differentiam inter agnatos et cognatos abrogauit, et sanguine propinquiores hos vocauit indistincte, nisi quod a philosopho discrepet in datione tutoris legitimi, quam cum diligenti circumspectione magistratus iste requirit, Imperator contra fecundum tabulas fere admittit. quamuis nec omnino Romani neglexerint munus suum circa legitimos, si perinde cum aliis fierent suspecti. Ita enim Diocletianus et Maximianus: [l]) *vtrum nepos ex filia apud te, an apud patruum morari debeat, ex singulorum affectione, et qui magis ad suspicionem ex spe successionis proprior sit, aestimabitur.* quae de remotione potius, quam admissione [illegible] sunt

h) §. I. Instit. de legit. agnat. tut. i) l. 5. ff. de legit. tutor. k) XI. de Legib. p. m. 914. l) l. vlt. C. vbi pup.

ſunt capienda. Conf. Huberus III. *Digreſſionum elegantiſſimarum*, capite V.

§. XXIV.

LEGATI MISSI QVOQVE IN MAGNAM GRAECIAM. CVIVS LEGVMLATORES PYTHAGORAS, ZALEVCVS, CHARONDAS.

Dionyſius Halicarnaſſeus, loca notauit, quorſum viri conſulares, et legati ire fuerunt iuſſi: [m]) *κεφάλαιον δὲ ἐςιν ὧν ὑμῖν παραινῶ, πρέσβεις ἑλέσθαι, τὰς μὲν εἰς τὰς ἑλληνίδας πόλεις, τὰς ἐν Ιταλίᾳ, τὰς δὲ εἰς Αθήνας. Caput ſiue ſumma ſuaſionis meae eſt, legatos mittendos eſſe partim ad Graecas vrbes in Italia, partim Athenas.* Ita vero ſollicite conſul Romilius loquitur. Quam Graeciam in Italia vocat, iam olim *magna* Graecia, in lege Cod eis *antiqua*, ab Ouidio [n]) *maior* dicitur, verſu ita poſcente: *Itala nam tellus Graecia maior erat.* Aut ſi Feſtum Pompeium auſcultamus, *maior* dicta, *quod in ea multae magnaeque ciuitates fuerunt, ex Graecia profectae,* vt ſic filia matrem ſuperare crederetur. Athenaeus, [o]) ex Archilocho poeta, ita pariter nominatam exiſtimat, *διὰ τὴν εὐδαιμονίαν καὶ πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, propter felicitatem et multitudinem hominum.* Pythagoras in hac praeſertim celebratur, fama et ſapientiae cultu, nullo ſuperiorum inferior, e cuius ſchola prodierunt Zaleucus, Locrenſium, atque Charondas, Catanenſium legislator. Diogenes Laertius: [p]) *ἄλλας τε κατὰ τὴν Ιταλίαν ἀπεργάσασθαι καλάς τε καὶ ἀγαθὰς ἄνδρας, ἀτὰρ καὶ ζάλευκον καὶ χαρώνδαν, τὰς νομοθέτας*, Seneca: [q]) *Zaleuci leges Charondaeque laudantur. Hi non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagorae tacito illo ſanctoque ſeceſſu*

m) X. antiqu. n. 498. n) l. vn. C. de athlet. Ouid. lib. IV. faſt. v. 64. o) XII. δειπνοσοφ. p. m. 523. p) in vita Pythag. p. m. 218. q) ep. XC.

secessu didicerunt iura. Nominis honor, et amor suorum, dudum conciliauerat istos Romanis, qui solliciti de legibus, hos quoque tanquam viciniores praeterire nolebant. Et hinc quidem repetere cogimur, quae Stoici prudentes a Pythagoreis didicere, quaeque in legibus Romanis passim superstant. Primum quasi praeceptum erat Pythagorae, ἕπϐ Θεῷ, DEVM SEQVERE. Plutarchus [r]) de amici et adulatoris discrimine, summam beatae vitae collocat in duobus: πείθεσθαι τῷ Θεῷ, quod idem cum antecedenti, καὶ γνῶναι σαυτὸν, nec aliunde, nisi ex placitis sectae Italicae, sicut adpellabant Pythagoreos, hauserat. Atque hanc imitationem DEI, suique cognitionem, Graeci ὁμοίωσιν, ἐξομοίωσιν, Latini per *vitam adsimilatam, vicinum, ac similem fieri* DEO, DEO *se dignum fingere, imaginem* DEI *exprimere*, prope enunciarunt. Clemens Alexandrinus: [s]) τὴν ἐξομοίωσιν ὁ νόμος ἀκολουθίαν ὀνομάζει. Cicero sensu eodem, verbo tamen mutato: NATVRAM SEQVERE, *et non errabis.* Ambrosius [t]) NATVRAM IMITARE: *eius effigies formula disciplinae, forma honestatis est.* Ita quoque Marcus Tullius: [v]) *repertam stirpem iuris a natura, qua duce est nobis omnis disputatio explicanda.* respondet Atticus; *rectissime et quidem ista duce errari nullo pacto potest.* Vberius philosophatur de natura, eiusque igniculis nobis insitis, quos in vita sequamur duces, III. *Tusculanarum*, ab initio ac legem inde definit, quod sit *ratio summa, insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria.* quis autem impingeret, qui huius ductu in ciuitate ageret vbique, qui in neutram partem excederet, ac nunquam deficeret? Seneca [x]) rursum hanc velut DEVM praedicat. *quaerendum est, quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari, quo nihil melius possit optari.*

r) p. m. 65. s) II. Strom. p. m. 123. t) I offic. cap. 19
v) I. de LL. p. m. 324. x) ep. XXXI.

optari. Quid hoc est? animus: sed is rectus, bonus, magnus. quid aliud voces hunc, quam DEVM *in humano corpore hospitantem?* pergit et hortatur Lucilium. *exurge modo et te quoque dignum finge* DEO. *finges autem non auro, non argento. non potest ex hac materia imago* DEO *exprimi similis.* praecipit autem de honesta vita, et virtutem commendat, secundum quam incedamus.

§. XXVI.

PYTHAGORAE DECRETA IN STOAM MIGRARVNT EIVSQVE INSTITVTA A ROMANIS RECEPTA.

Stoica ista sunt, immo Pythagorica omnia: vnde constat mentem hominis, naturam, ac DEVM, efferri coniunctissime. Plutarchus [y]) in placitis de Pythagora: *duplex principium admisit*, ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικόν, ὅπερ ἐςὶ νῦς, ὁ Θεός, *effectiuum, atque formale, quod est mens,* DEVS. alterum παθητικὸν καὶ ὑλικόν, ὅπερ ἐςὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος, *passiuum, siue materiale, quod est mundus visibilis.* Viderat nimirum sapientissimus vir, atque ex tot hominum institutis certior erat, recedere illos in dies magis magisque a iustitia; quam tamen colere debebant, DEI parentis omnium, et propriae rationis iudicio conuicti. Viderat, in plerisque animum obsitum esse, aut hebescere, vt fere sine instinctu naturali, sine ratione viuerent, neque ad arbitrium DEI se compararent, eique honesti amore, et vita eleganti, similes fieri studerent; ὁμοίωσις δὲ ἐςι, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. *similitudo autem illa est, iustum et sanctum cum prudentia fieri*, docente Iamblicho II. commentariorum Pythagoricorum cap. XV. Plato [z]) etiam: ὐκ ἐςιν Θεῷ ὁμοιότερον ὐδὲν, ἢ ὃς ἂν ἡμῶν ἂν γένηται ὅτι δικαιότατος. DEO *nihil similius est, quam si quis nostrum fiat iustissimus.* Ciuiliter haec de natura, DEO, et ratione acci-

y) lib. I. p. m. 876. z) in Theaet. p. m. 176.

accipiamus necesse est, nec cum quibusdam nimis φυσικῶς, substantialiter explicemus. quod improbum dogma in ecclesia damnatum legitur. Aliud enim est, rebus naturalibus DEVM largiri impetum, quo ferantur ad finem suum, et non velint magis recta, quam peragant: aliud contra, rectitudinem illam esse diuinae substantiae particulam, item animas rerum ex dinina substantia procedere. Absurdum hoc Gobari Tritheitae, non Pythagorae δόγμα, apud Photium, *Cod.* CCXXXII. M. Aur. Galuanus [a]) Iureconsultus doctissimus, contemplatione horum adductus, doctrinam Vlpiani tritam, qua ius diuiditur in naturale, gentium et ciuile, e porticu Zenonis manasse ait. qui pluribus id exequitur, ideoque consulendus. *Nos*, intenti fontibus, in Stoam haec a Pythagoricis venisse commonstramus: nec dubitabit, qui recitata in praesenti considerabit. Est enim natura, siue DEVS, quem in hoc iure sequimur. Chrysippus περὶ τοῦ καλοῦ, apud Diogenem Laertium. [b]) φύσει τὸ δίκαιόν ἐστι, μὴ θέσει. quare et immutabile: est recta ratio, qua vtentes nouerunt ex insita vi, quid deceat. Cicero: [c]) *lex est recta ratio imperandi et prohibendi; quam qui ignorat, iniustus est.* Est princeps, aut magistratus, a quo honestum praecipitur, vnde *sanctio ciuilis.* hinc inter χρυσᾶ ἔπη Pythagorae: τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας, ἔννομα ῥέζων. quin ex paraeneticis, ac παραγγέλμασι similibus Pythagoreorum, Stoicorumve monitis, perquam esset facile, multiplices indicare sententias, quibus καλοκαγαθίαν, communia iuris principia, honeste viuas, καλῶς πράττειν, ἐνεργάζεσθαι κατ' ἀρετὴν, suum cuique tribuas, πᾶσι δίκαια νέμειν, neminem laedas, μηδένα ὑβρίζειν enixe inculcant. Neque imperitum fuisse Zenonem philosophiae Italicae, conficitur

a) V. de vsufr. p. m. 31. b) lib. VII. p. 194. c) I. de LL. p. 328.

tur ex integro monumento, quod inter priſcae ſapientiae argumenta, de diſciplina Graecorum, de lege et officio, reliquit ſub titulo: *πυθαγορικά*. teſte Laertio [d]). Cicero autem, Romanos inprimis Pythagoram adſectatos fuiſſe docet, quarto *Tuſculanarum*, ab initio: *erat noſtris paene in conſpectu praeſtanti ſapientia et nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberauit. eius doctrina cum longe lateque flueret, permanauiſſe mihi videtur in hanc ciuitatem. idque cum coniectura probabile eſt, tum quibusdam etiam veſtigiis indicatur.* Nam per Italiam Graecam tanta ferebatur auctoritate, vt viri, feminae, omnis fere aetas, Pythagorae leges, velut praecepta diuina, imbiberent atque conſeruarent. Malchus: [e]) *νόμους τε παρ' αὐτοῦ δεξαμένους καὶ προστάγματα, ὡσανεὶ θείας ὑποθήκας, ἐκτὸς τούτων πράττειν μηδέεν.* nec ſine ratione deinde concluſit Cicero, quae ſuperſunt in tabulis, de carmine, ne id fieret ad iniuriam alterius, ab iſto philoſopho ſumta, et illuc translata fuiſſe.

§. XXVII.

ITEM DECRETA ZALEVCI ET CHARONDAE SECTATORVM PYTHAGORAE.

Planiora oſtendunt veſtigia Zaleuci atque Chorondae fragmenta, quibus inſunt Romanae prudentiae capita, non vulgaria. Huic tribuit Ariſtoteles [f]), inter ciuiles leges, ſiue *νόμους ἰδίους δίκας τῶν ψευδομαρτύρων*, cauſſas falſi teſtimonii. Atqui tabula VII. legitur. *ſi quis falſum teſtimonium dicaſſit, ſaxo deiicitor.* Vlpiani verba ſunt: [g]) *qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa inuicem dicenda, dolo malo coierint.* ex quibus adparet ſimilitudo exquiſitiſſima. Nimirum a doctore ſuo Charondas

d) lib. VII. p. 165. e) in vita Pyth. p. 13. f) II. Polit. cap. X. g) l. 9. ff. ad leg. Corn. de falſ.

rondas erat adſuetus cultui numinis; ac veritati in omnibus religioſe praeſtandae. quare nec videbat quidquam ad commoda priuatorum in contractibus, et negotiis aliis, conferre magis, quam fidem ſeruare, ac nihil contra conſcientiam, ſiue pretio et largitione inductum, ſiue odio aliave perturbatione commotum, in iudicio ſtatuere. Stobaeus: [h]) *Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, τί ποιῦσιν ἄνθρωποι θεῷ ὅμοιον, ἔφη. ἐὰν ἀληθεύωσι.* *Pythagoras rogatus, quidnam homines DEO ſimiles faceret? ſi, inquit, vera et amant, et loquuntur.* Diodorus [i]) Siculus plures Chorondae leges in tabella veluti exhibet. quas ipſe, conſtitutus *νομοθέτης* Thuriorum, ex variarum gentium moribus excerptas, in certum redegit corpus, interque eas celebratur maxime, quae eſt de honeſta iuniorum educatione, bonarum artium amore. Liuius de Camillo, vrbem ingreſſo, poſt Gallos Senones depulſos, Volſcos ſubactos: [k]) *tabernis apertis propoſita omnia vidit in medio, intentos opifices ſuo quemque operi, ac ludos litterarum ſtrepere diſcentium vocibus.* antea paullo tanta non erat cura ſtudiorum, quam denique exemplo vicinorum habere coeperant. Idem Diodorus de Zaleuco: *τὸ γένος ἐκ τῆς Ἰταλίας, Λοκρὸς, ἀνὴρ εὐγενὴς, κατὰ παιδείαν τεθαυμασμένος, μαθητὴς πυθαγόρυ.* *natiuitate Italus, Locrenſis, vir nobilis, eruditione ac diſciplina admirabilis, auditor Pythagorae.* Et hic a ſuis, magno conſenſu, electus ad ferendas leges, a Diis immortalibus primordia cepit: quod autem primo loco de amicitia, ſiue vnione cum DEO, pariter ex *παραινέσει* Pythagorae, *ἕπυ θεῷ*, docuit, id mox accommodauit ad ſeruandam ciuium concordiam, et inimicitias tollendas, quae ſingula expoſuit vbertim bibliothecae hiſtoricae ſcriptor, a nobis laudatus: Conradus autem Rittershuſius, iuris et

h) Serm. XI. p. m. 139. i) lib. XII. biblioth. p. m. 79. 85.
k) VI. hiſtor. c. 25.

et antiquitatis eruditae consultissimus, verba decemvirorum, et legum in pandectis, cum vtriusque, Charondae ac Zaleuci mente, componit perspicaci sensu, integra commentatione, Institutionum Imperialium libris ab eo praemissa. de cuius sententia, nostra quoque illustratur oppido atque diducitur.

§. XXXVIII.

HINC CONSTAT QVOS LEGVMLATORES SECVTI SINT ROMANI.

Ex quibus manifestum est haud dubie, quas vrbes non tantum adierint Romani, sed praecipue, quos legislatores in prudentia ciuili secuti sint. Neque enim satis est longius digredi, ad lustranda tot emporia, tot insulas ac maria, vbi leges optimae fuerint receptae, non cognitis prius auctoribus legum, et prudentiae ciuilis cultoribus. At haec nimis otiosa quaestio est. an sumtu et adparatu classico instructi tunc fuerint Romani, quando suos mitterent quaquauersum in Graeciam, ad leges conquirendas. Aut enim, si hoc negamus, tabulae, ex moribus indigenarum, in Latio confectae nullae; quippe leges aliunde sunt illatae. aut, si aceeperunt, emendicare potius, et clam sublegere, non legatione splendida petere voluerunt: quod argumentum foret capitis insani. contra omnem historiae rationem, atque tot saeculorum fidem indubitatam. IS. Vossius, CL. V. meminit hominis, eximii profecto opinatoris, sibique praefidentis, qui copiose volebat ostendere, *Caesarem nunquam transiisse Alpes*, nec Galliam vidisse vnquam. Quaerenti quibus testibus rem tantam peragere vellet, promte ait: mille testium loco sufficiunt mihi recti sensus, quos semper ego sequor. Valida certe demonstratio, in quaestione praeterrim facti, vt loquuntur. Ita parum sibi constat, qui nixus quorundam coniecturis, Romanos ante decemvirales tabulas fuisse admodum pauperes, infert: ergo

neque legatos mittere, neque Solonis inclytas leges, aliorumve Romanos adferre potuisse. cum tamen aliud scriptorum, ciuitatum, immo gentium cultissimarum adsensu euincatur. Sed istud genus hominum mittamus.

CAPVT III.

DE CONDITORIBVS ET SANCTIONE LEGVM XII. TABVLARVM.

§. XXIX.

DECEMVIRI. APPII CLAVDII IVRI CONDENDO PRAEFECTI POPVLARITAS.

Allatis igitur e Graecia legibus, cum institutis ac iuribus descriptis, exspectatio summa erat, de aequo iure constituendo, et quotidianis in foro caussis adplicando. Antea lis erat anceps, cum in leges consensissent patricii, quisnam eas ferret? Tribuni, plebis commoda praeferentes vbique, instabant intentius, vt tandem scribendarum legum fieret initium: quod autem singulorum, in publico negotiorum, conscii essent, partemque cum senatu ad se pertinere dicerent, inter legislatores et ipsi reputari volebant. Neque iniqua videbatur haec postulatio, ad euitanda mala, postmodum euentura. Sed ne quid contra plebis vtilitatem fieret, alia ipsi praesto erant iuris remedia, certo dierum spatio, siue δοκιμασίας tempore adhibenda liberrime. quo etiam tribuni concurrebant, de quibus iam supra egimus. Quod enim in manu nobiliorum semper fuerat, id neque heic vlli concedere poterant. Liuius: [a]) *rem non adspernabantur patres: daturum*

a) III, histor. cap. 31.

turum leges neminem nisi ex patribus aiebant. In tanta omnium spe diuersae multorum sententiae audiebantur. Erant qui pristinum obtinere malebant, nempe ciuitatem nullis certis legibus administrari debere; sed recepta huc vsque consuetudine, in qua vera libertas adpareret. non quod leges non fuerint in illo statu, sed quod plures ac peregrinae inducendae non essent. Alii contra leges omnibus profuturas, et aequabiles deposcebant. Dionysius Halicarnasseus: [b]) ἐλέχθησαν καὶ τότε πολλοὶ ὑπ᾽ ἀμφοτέρων λόγοι, τῶν τε παραινούντων κατὰ νόμους πολιτεύεσθαι, καὶ τῶν ἀξιούντων, τοὺς πατρώους φυλάττειν ἐθισμούς. *tum vero in vtramque partem sermones erant varii, aliis monentibus, secundum leges rempublicam esse administrandam, aliis consuetudines patrias vrgentibus.* Verum quorsum communes impensae, et vota spectarent omnium? si frustra sic quoque fuissent Romani, seditio maior procul dubio exorta, secessione repetita, patriciis interitum attulisset. Placuit ergo decem ex iis creari viros, aetate, moderatione, studio et aequitate aduersus alios insignes, πρεσβυτάτους, φρονίμους, οἷς πλείστη πρόνοια τιμῆς τε καὶ δόξης ἀγαθῆς, qui honore et fama a reliquis celebrati, rempublicam lege firmarent. vt adeo rursum plebs cesserit patribus, *modo ne lex Icilia de Auentino, aliaeque sacratae abrogarentur:* ex quo mansit etiam, vt nunquam deinceps abrogarentur, saepius violarentur. Ap. Claudius inter hos princeps, nouum sibi ingenium induerat, pro truci saeuoque insectatore plebis, aurae popularis captator, tunc *praefectus condendi iuris* erat, sicut a Liuio vocatur. Hic vero vt gratior populo foret, alios mores, aliud vitae genus sumserat; C. Iulius etiam, diem Sextio dicturus, ad populum accusator extitit, arte ciuili recondita, qua libertati plebis crederetur adiicere, quod sibi reseruabat, et ordini suo.

 Omnes

b) X. antiqu. n. 500.

Omnes id agebant ſtudioſe, vt leges darent, non accipe-rent Superior enim habetur omnino, qui conditionem praeſcribit aliis, non qui ferre paratus eſt. At ius aequatum heic ſcopus erat, quo ſinguli obligarentur, patres aeque ac ciues reliqui. quae ſola quoque cauſſa fuit, cur tamdiu cunctarentur potentiae cupidi, ac ſe legibus nollent ſubiicere.

§. XXX.

PROMVLGATAE X. TABVLAE, VT EXAMINARENTVR.

Compoſitis autem decem tabulis, et legitime diſpoſitis, ad ſenatum de iis relatum, et concio populi vocata eſt, Appio forte ita loquente: c) *quod bonum, fauſtum, felixque reipublicae, vobis, liberisque veſtris ſit, ite et leges propoſitas legite Nos, quantum decem hominum ingeniis prouideri potuit, omnibus, ſummis, infimisque iura aequauimus plus pollent multorum ingenia, conſiliaque: verſate in animis vobiscum unamquamque rem, agitate deinde ſermonibus: atque in medium, quid in quaque re plus minusve ſit, conferte. Eas leges habebit populus Romanus. quas conſenſus omnium, non iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet.* Non occurrit verbum in his, quin ad beneuolentiam captandam promatur: non eſt in oratione, quod vel quenquam negotio infenſum turbare queat. Legislatores, praediti ſumma auctoritate, plebi, exemplo maiorum, leges vel ſuadendas, vel diſſuadendas commendant, virtute admodum populari. Formam ciuitatis, ex temperatiſſimo ſtatu, in paucorum manus, decem nimirum compegerant; quos eo ipſo humaniores factos diceres, ad fauorem omnium natos. Alibi creſcit cum honoribus ambitio, heic modica et humilia, quaecunque ſunt obuia. Alibi ex poteſtate rigor ac metus, heic

c) Liu. III. hiſt. c. 34.

heic amor ciuium, et adplausus festiuus. Qui pro arbitratu suo publice mandare debebant, ipsi prouocant ad consensum, sine prouocatione creati. Qui ferre leges debebant, aliis ferendas transmittere, videri cupiunt. Scilicet nouerant decemuiri, quis esset genius populi, cui praeessent ciuitati: quorsum prudens in νομοθεσία respicit semper. Papinianus, quasi huc digitum intenderet: [d]) *lex est*, inquit, *commune praeceptum*, *virorum prudentum consultum*, *communis reipublicae sponsio*. quod idem mox sequenti membro ex Demosthene Marcianus Iureconsultus habet: Νόμος, πόλεως συνθήκη κοινή, *pactum quoddam ciuium inter se consentientium*, quam descriptionem Aristoteles [e]) tribuit Lycophroni sophistae. sed addit: ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων, *sponsor eorum, quae inuicem iusta sunt*. In eo enim Romani conuenerant, vt cuncta in republica essent aequalia, siue vt historicus explicat, *iura summis infimisque aequarentur*.

§. XXXI.

COMPOSITAE EX MORIBVS LEGIBVS PATRIIS ET PEREGRINIS. DECEMVIRORVM PRVDENTIA.

Iam vero si prudentiam istorum propius contemplemur, et qua circumspectione legibus instruxerint ciuitatem, benignum fatorum ordinem deprehendimus. Obtinebant adhuc regiae quaedam leges, vsu firmatae et aequitate sua: erant in sacris libris, ἀποκείμενα ἐν ἱεροῖς βίβλοις, apud plerosque instar legum admittenda: erant plebescita magna contentione introducta, nec deinceps plane spernenda: erant, vt ita dicamus, praeiudicia et senatus decreta: erant alia plura, consuetudine recepta, quibus pretium seruare, certamque auctoritatem illis relinquere, necessarium habebatur. De regiis probauimus hoc alibi, deque patria potestate inprimis. Nec

H 4 obstat,

d) l. 1. ff. de LL. e) III. Polit. cap. VI.

obſtat, quod Vlpianus [f]) affirmat, *moribus ius patriae poteſtatis receptum eſſe.* Romulus inſtituta Lycurgi ſequebatur, quae non niſi ex conſuetudine aeſtimabantur, ſed et, quod hinc ipſi placuerat, legis vim ſuſcipiebat. Eleganter ſcholiaſtes Sophoclis: [g]) νόμος ἐϛιν ἔγγραφος συνήθεια. συνήθεια δὲ ὁ ἄγραφος νόμος, *lex eſt conſuetudo ſcripta: conſuetudo eſt lex non ſcripta.* Accedebat non poenitenda farrago legum, quas legati ex Graecia largiter acceperant. Haec ſeges erat, et copioſa materia, quam prouide inſpicerent decemuiri, ac ſeponerent placitura, iuxta et profutura ciuibus. Dionyſius [h]) Halicarnaſſeus: ὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, πρὔθηκαν ἐν δέκα δέλτοις τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν, πᾶσαν δεχόμενοι ἐπανόρθωσιν ἰδιωτῶν, καὶ πρὸς τὴν κοινὴν εὐαρέϛησιν ἀπευθύνοντες τα γραφέντα. *Decemuiri poſtquam ex Graecorum legibus et conſuetudinibus tabulas decem confeciſſent, publice propoſuerunt, ſi qui forte inſpicere vellent. quibus deſcripſerunt omnem ciuibus iuſtitiam, et commune egregium.* Neque rem poterant aliter gerere, quam vt antiqua cum nouis componerent, et quibus vel adſueti erant ſui, vel quae cupidius expetebant, normam actionis conſtituerent. Non heri demum didicerant, ſocietati leges ferendas eſſe illas, quae ex vtilitate communi, patriae moribus, contextu ac forma publica, ingenioque partis melioris probarentur. Atqui momenta haec noſtri in ſcribendo iure, emendandis et augendis legibus, diligentiſſime attendebant. Cicero igitur, quoties aeui huius memoriam recolit, laudibus tollit in aſtra Romanos, et prudentiam nulli genti tantam, ac ſuae tribuit. Verba eius ponamus: [i]) *incredibile eſt, quam ſit omne ius ciuile, praeter hoc noſtrum, inconditum ac paene ridi-*

f) l. 8. ff. de his qui ſunt ſui iur. g) in Aiace p. 21. h) lib. X. antiqu. n. 502. i) 1. de orat. p. m. 127.

ridiculum: de quo multa foleo in fermonibus quotidianis dicere, cum hominum noftrorum prudentiam ceteris hominibus, et maxime Graecis antepono. Loquitur quidem de iure ciuili, quod poft fori difputationem, prudentum auctoritate, ex tabulis ortum eft; nec adeo quis putabit, ad rem facere, quae adduximus. Sed non poteft conftringi tam arcte Tullius, quin vtrinque fe porrigat, ac decemuiros quoque intelligat. Pomponius [k]) *ius Papirianum*, ius ciuile adpellat, quo regiae leges continebantur, fenfu laxiore. cur heic in anguftias redigeremur? Paulus fane hoc ei nomen dedit, alii pariter dedere. Nam orator paullo antea tabulas, *fontes legum*, auctoritatis pondere, et vtilitatis vbertate, fuperare omnium philofophorum bibliothecas dixerat. Has efficere affeuerabat, quare omnes inflammarentur amore erga patriam, propter has Romam vnam in omnibus terris effe domum virtutis, imperii, dignitatis. Ariftides; [l]) πολιτείαν εὕρετε, ἣν οὔπω πρόσθεν οὐδείς, καὶ θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασιν ἐπεστήσατε. *rempublicam conftituiftis, Romani, qualem antehac nemo, legibus et ordine perpetuo, fingulis tradito.*

§. XXXII.

FACTIS ANTEA SACRIS PERLATAE LEGES X. TABB. ADDITAE II. TABVLAE SVMTAE A FALISCIS.

Interea vero dum ceffit interuallum, quo deliberabant ciues, et tabulae de vnoquoque legum capite edito, fatis correctae erant, nec vllo hominum de iis conquerente amplius, centuriatis comitiis, magna pompa caerimoniave, perlatae funt. Aderant pontifices, augures, facerdotes, qui ante collegiorum, aut centuriarum fuffragia, rem facram facerent: neque enim prius ad dura-

k) l. 2. ff. de O. I. l. 7. ff. de bon. damn. l) orat. in Rom. p. m. 122.

durabile et magnum opus aliquod procedebant Romani, nisi implorato numine, eoque placato. Plinius iunior: *bene maiores instituerunt, vt rerum gerendarum initium a precationibus caperetur. quod nihil rite nihilque prouidenter homines sine DEORVM immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Dionysius [m]) alibi: *ἱεροφαντῶν ποιησαμένων τὰς νομίμους εὐχὰς καὶ ἀρὰς. ἐν τῇ λοχίτιδι ἐκκλησίᾳ ὁ νόμος ἐκυρώθη. pontifices fuderunt preces et sacra fecerunt, antequam lex ferretur in populo.* Quo fine alias, in rogationibus vocarentur sacri homines, iam supra paucis notauimus. Vtque firmiter leges tabularum animis imprimerentur, et vigore intemerato consisterent, praeter senatusconsultum de iis robur inconcussum nactae sunt a plebeiscito. Laetabantur qui ex sententia arbitraria hactenus cadebant caussa, vel iudici nobili repugnare ducebant nefas. In foro ius persequebantur, qui fiducia quadam erga tabulas incitabantur, sibique redditum iri tamdiu expetitum dubio euentu. Sed in pace leges scriptae, pacis quoque argumenta solum complectebantur. Vtrinque desiderabantur plura, caussis priuatis aeque publicisque suffectura. quae spatio mediocri prouideri minime poterant. Additae hinc tabulae duae, quibus satisfieret societati tam amplae. Seruius ad Virgilium: [n]) *AEquos dixit Faliscos, quia populus Romanus missis decemuiris ab ipsis iura fecialia collegit, ac nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit. nam ab Atheniensibus iam decem habebant tabulas.* Non aurum, neque gemmas putemus veterum glossemata; in his tamen latet saepius, quod nuspiam alias occurrit. Falisci crebra bella cum vicinis gessere, armorum et iustitiae gloria insignes, teste historia. Romani postremos inter hostes finitimos, eosque fortissimos senserunt, quibus deuictis incrementa pate-

m) X. antiq. n. 486. n) VII. AEneid. v. 695.

patebant maiora. Scipio [o]) Gentilis, non AEquos tantum et Faliscos, sed alios quoque coniungit Italiae populos, vnde hauserint iura Romani. Si alios praeter Graecos in Italia significat, nominare debuisset: si vero hos ipsos nobis describit, sufficiunt ea, quae superius adduximus. Num vero decemuiri ad ipsos nomine publico iuerint, complementum legibus suis quaesituri, incertum est. Quidam forte ex istis, iussu ceterorum, quique nuperius Graeciam obierant, harum rerum satis periti, vtilia sibi petiere e proximo, ne quid aequabili legum corpori deesset, quod Liuius eodem cum Cicerone elogio *fontem omnis publici priuatique iuris* vocat, vnde mox extiterit immensus aliarum supra alias aceruatarum legum cumulus. Tacitus [p]) contra tabulas *finem aequi iuris* describit, quasi per eas patriciorum iudicia *arbitraria* terminata ac sublata fuerint, quibus posthac *legitima* opponerentur. Neque inusitatum hoc melioris aeui scriptoribus, finem iungere cum principio, vt, quod alibi definit, pro succedentis rei auspicio sumatur. Alio sensu verbum hoc Dionysius [q]) Halicarnasseus vsurpat, de tabulis pariter locutus: *νόμυς κεῖσθαι ἐν ἀγορᾷ, ταῖς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν ἀποδειχθησομέναις ἀρχαῖς, καὶ τοῖς ἰδιώταις, ὅρυς τῶν πρὸς ἀλλήλυς δικαίων*, *leges ponere fines in foro, magistratuum annuorum et ciuium iura mutua*, ex quibus iusto seruato ordine, velut intra limites coercerentur, qui iuri dicundo praeerant, nec opinarentur secum inique agi, qui iuxta leges iudicarentur, quas ipsi probauerant.

§. XXXIII.

QVIS FVERIT HERMODORVS.

Ad leges tabularum conficiendas accessit insuper alius, vir prudens, et bonus. Pomponius: [r]) *quarum* [illegible] *ferou-*

o) orat. in fun. Baumg. p. m. 11. p) III. annal. c. 27. q) X antiq. n. 464. r) l. 2. ff. de O. I.

ferendarum auctorem fuisse decemuiris Hermodorum quendam Ephesium, quidam retulerunt. Operae fecisset pretium iureconsultus, vbi designasset eos, qui aliquid tale memoriae posterorum tradidere. Prolixe hactenus indicauimus, et cum taedio lectoris vtique, longe diuersissima Romanos traxisse ad iura tabularum scribenda, idque ex consensu scriptorum. Neque parum obesset Ciceronis laudationi, maiores suos prudentia, in condendo iure ciuili; antecelluisse gentibus reliquis, si auctor fuisset exterus ipsis Hermodorus. Sed dixeris: idem cum decemuiros scribit *necessario fuisse prudentes*, Hermodorum s) deinceps inter praeclaros numerat oratores: de quibus alibi semper: *nemo orator, nisi prudens:* vt hinc pateat, ei quoque prudentiae ciuilis laudem deberi, quam inclito viro abiudicamus minime. At neque hic est ille, de quo loquimur. Salaminius enim fuit, vt vulgo creditur, qui cum Philone architecto, de naualium opere, certauit Athenis, cuius meminit Vitruuius III. *de architectura cap. 1*, ad quem locum vide notata Bosiana in fragmento vndecimo ad Cornelium Nep. Differt ab isto Hermodorus Siculus, Platonis auditor. Suidas: t) *λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται, ἀκροατὴς γενόμενος Πλάτωνος.* orationes ab illo scriptas in Sicilia vendidit. Cicero v) quamuis vtatur prouerbio, maius tamen quid significare videtur. *Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est diuulgare.* quae circumspecte adeo dixit, vt Siculum Hermodorum discerneret ab Ephesio, qui propter continentiam vitae, ac legis disciplinam, a ciuibus exire patria iussus est, ac Romae tandem exulauit. Strabo x) auctor est, *νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψαι, ipsum leges quasdam Romanas scripsisse.* Plinius y) contra, *legum, quas decemuiri ferebant,*

s) I. de orat. p. m. 113. t) in voce λόγοις. v) XIII. ad Attic. ep. XXI. x) XIV. Geogr. p. m. 642. y) XXXIV. hist. nat. c. V.

bant, interpretem, eique propterea ſtatuam in comitio poſitam fuiſſe, docet: magnum vtrinque diſcrimen adparet. Malim largiri poſterius ſcriptori, de patria bene merito, cuius aeque orbis, naturaeque totius hiſtoriam accurate complexus eſt. Nihil enim dignius viro ſapienti, quam roganti iuſtitiae rationem, legum et aequitatis vim explicare. Qui Hermodorum exiſtimant interpretem legatorum fuiſſe, et Graeca ſolum in Latinum ſermonem tranſtuliſſe, faceti ſunt, ac praeter modum ingenioſi. Poterant Romani certo confidere, ipſum Graeciae morum, ac patrii iuris quoque expertum, legum tunc receptarum intellectum habere, ac ſi quid in adpli atione durum eſſet, rectius noſſe Aut, ſi tot populorum inſtituta per legatos exquiſiuiſſent, indecorum videbatur, celebres Hermodori leges ignorare: in tabulas certe adſumtas fuiſſe, tam facile non probabitur.

§. XXXIV.

A DECEMVIRIS FORTE IN CONSILIVM VOCATVS, CVM ESSET IVRIS GRAECI PERITISSIMVS:

Nomen eius tanquam regium z) innotuerat apud Epheſios, qui illum propter legum ſtudia ciuitate eiecerant. Et hoc mouebat plures, cur in conſilium vocarent, et cauſſam ei diiudicandam committerent. *Praeterea auctor quis fieri* dicitur, qui ſuadendo, qui declarando negotio, aut expediundo ſubminiſtrat adiumenta. An Graeciae iura Hermodorus prae ceteris commendauit? An dubiis Romanis, et ex ſe dare nolentibus, leges exterorum patefecit, ac mores ſuis quam ſimillimos? Quod vero his leges ſcripſerit ipſe, contra gentis imperium eſt, atque auctoritatem, in primis patriciorum ambitum, qui poſt reges abiuratos ferendae legis honorem ſibi confirmabant vbique. Vanum ſic notatur merito

z) Diog. Laert. Lib. IX. p. m. 237.

fito elogium, quod magnus Iureconfultus illi tribuit: *Romulo maior eft Hermodorus Ille condidit vrbem: hic legibus fundauit. Ille homines in coetum coegit: hic focietatem ciuilem probis ornauit inftitutis.* quafi ab illo, in haec tempora, Romani fine more, lege, ac ratione vixerint. Theodorus Marcilius quoque et Guilielmus Maranus, Iureconfulti Galli [a]) operofe nimis Hermodorum colunt, ex epiftola Heracliti tertia, fomnium laudantes, quo praeuiderit, aduentare reges terrae vniuerfae, leges Hermodori adoraturos: *τοῖς ἑρμοδώρου νόμοις τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματα προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν περσῶν ἐγκλείοντας τὸ σῶμα προσκυνεῖν αὐτούς. οἱ δὲ πάνυ σεμνῶς καθειςήκεσαν.* immo leges eius fore in perpetua veneratione. qui locus admodum fufpectus redditur, fequenti verfu Sibyllae. cuius vaticinio praenuntiatum fit exilium Hermodori, et legislatio apud Romanos, Ἐξ Ἰάδος γαίης ἥξειν σοφὸν Ἰταλίησιν, *Ex Ionia profecturum effe fapientem in Italiam.* quantum eruditi tribuere foleant hifce Graecorum commentis, publice conftat. Si fidem adhiberemus Heracliti verbis, illa ad leges Ephefiis datas accommodanda potius effent, non ad Romanas tabulas, quae, vnde petitae, quibus auctoribus fcriptae fint, iam demonftrauimus abunde. Iuftinianum etiam ad *fomnium hoc diuinum*, quod ita fuperftitiofe vocant, oculos conuertiffe, quando imperat: *Has itaque leges et adorate, et obferuate* [b]) probatu difficillimum eft, vtut quae de continuo vfu legum decemuiralium, ceu fonte iuris Romani perenni, connectuntur, optime fubfiftant: quo de porro fatorum ordo hinc furgit laetior, inque republica floret libertas, tum ad leges exiguntur, quae, legibus nondum de omnibus editis, arbitriis faltem et fententiis nobiliorum antea committebantur. Quis enim, diffidentibus a fe inuicem confulibus, ac tribunis in

a) comm. 2. de aequ. et iuft. p. 72. b) l. 2. C. de vet. Iur. enucl.

foro, numeroque ciuium in dies prope augescente, simul cum litibus, iura putaret singulis suffectura, quibus huc vsque gaudebant?

§. XXXV.

DIVERSAE TABVLARVM SPECIES APVD GRAECOS. ROMANAE IN AERE SCRIPTAE ET RECONDITAE A CONSVLIBVS ITEMQVE SACERDOTIBVS, INPRIMIS PONTIFICE MAXIMO.

Constitutis igitur legibus decus erat conciliandum duraturum. Solon firmam legibus suis aetatem a saeculo impetrauit, ne citius abrogarentur. Plutarchus: c) ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτὰς ἔδωκεν. addit, vt memoria testatior esset, *iussit eas scribi in tabulis*, quarum varietas controuersiis doctorum virorum occasionem praebuit. Latini vnica voce tabularum contenti sunt. Graeci contra, a quibus mos Romam peruenit, leges in columnis, aut tabulis consignandi, ἄξονας habent, δέλτας itemque κύρβεις, ac singulis paene singulas adscribunt leges. Plutarchus ibidem: κύρβεις ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως, ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίαι περιέχονται. Cyrbes proprie dicunt, in quibus res diuinae ac sacrificia describuntur: at vero ἄξονας τὰς ἄλλας ὠνομάσθαι, axones reliquas tabulas adpellari. Idem profert in voce ἄξονες et κύρβεις Harpocration, sed plenius. Pollux d) cumprimis perspicuus est. de triplici legum tabula: δέλτοι χαλκαῖ, αἷς ἦσαν πάλαι ἐντετυπωμένοι οἱ περὶ τῶν ἱερῶν καὶ τῶν πατρίων. *tabulae aeneae fuerunt, quibus olim inscriptae leges, de rebus sacris et ciuilibus.* Et haec vox generalis est, quam retinent, in composito δωδεκάδελτον historici, cum Iureconsultis Graecis, tabularum decemuiralium mentionem facturi: pergit, et a figura certa Pollux designat ceteras tabularum species. κύρβεις, τρί-

c) in vita Sol. p. m. 92. d) VIII. onom. cap. X.

τρίγωνοι, σανίδες πυραμοειδεῖς οἷς ἦσαν γεγραμμένοι οἱ νόμοι. ἄξονες δὲ τετράγωνοι χαλκοὶ ἦσαν, ἔχοντες τὰς νόμους. *cyrbes triangulares erant tabulae, instar pyramidum, quibus inscriptae leges. axones, quadratae fuerunt ex aere tabulae, in quibus pariter exstabant leges.* quando χαλκὰς, *aeneos* vocat *axones*, nota id perpetuum haut esse, quod Plutarchus ἄξονας ξυλίνας, Solonis *tabulas ligneas* cognominet. Atque hoc aeque valet, in dirimendis opinionibus contrariis, quas de Romanis tabulis eruditi fouent. Cum primum tabulae fierent, ac vulgarentur, nemo veterum prodit, leges aere statim signatas fuisse. Liuius [e]) post euersum decemuiratum, coss. Horatio et Valerio, priusquam vrbem egrederentur, leges *decemuirales, quibus TABVLIS DVODECIM est nomen, in aes demum incisas* commemorat. et hoc ministerio functos esse aediles, iussu tribunorum. qui sicut auctores fuerant, ac hortatores legum, ita easdem ab interitu conseruare omni ope nitebantur. Ab initio igitur perscriptas in tabulis roboreis credi par est, quod mutationi et emendationi ciuium, suasioni ac dissuasioni populi exponerentur. postea vero consensu omnium probatas, receptas, senatusconsulto plebisque scito firmatas, στήλαις χαλκαῖς, aereis columnis, ἐνεχάραξαν, conspicuis litteris insculpserunt, secundum Dionysium [f]) Halicarnasseum. Idem aëris vsum, in columna antiqua, inter Tullium regem, et Latinas vrbes; iam diu cognitum ostendit: ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτὰς νόμους ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκὴν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά δὲ δόξαντα τοῖς συνεδρίοις, καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις. aes sumtum ait, ne iniuria temporum perirent conuentuum decreta. Venuleius Saturninus ex hoc more *aeream legis, formamve agrorum* dicit. [g]) Ouidius fabula

e) III. histor. c. LVII. f) X. antiqu. n. 502. IV. antiqu. n. 171. g) l. 8. ff. ad l. Iul. pec.

fabula III, libro I. ex emendatione Heinſiana: *verba minacia fixo aere legebantur.* Tabulae autem, ita ad futura commoda inſtructae, diligentiſſime cuſtodiebantur, tanquam *ἀυτόγραφα*. Diodorus Siculus [h]) *πλασθείσης τῆς ὑποκειμένης νομοθεσίας ταύτην εἰς δώδεκα χαλκᾶς πίνακας χαράξαντες οἱ ὕπατοι, προσήλωσαν πρὸ τοῦ βουλευτηρίου τότε κειμένοις ἐμβόλοις*, tabulas aereas conſules ſuffigi roſtris curarunt. Qui ibidem *Oſcarum tabularum*, ſiue poſtremarum duarum ſupplementa his transſcribit. Sed intelligendus eſt de plenaria confirmatione, quia teſte Liuio, [i]) *iam proceſſerat maior pars anni, vltimi nempe decemuiralis, et duae tabulae legum ad prioris anni tabulas erant adiectae: nec quidquam ſupererat, ſi hae quoque leges centuriatis comitiis perlatae eſſent.* Item, plebe iam ſeceſſionem faciente, *decemuiri quaerentes, ſe in ordinem cogi, non ante quam perlatis legibus, quarum cauſſa creati eſſent, depoſituros imperium ſe aiebant.* Nondum igitur poſteriores tabulae centuriatis comitiis robur acceperant. Ac ſimile perquam vero eſt, non ſemel tantum fuiſſe deſcriptas, et vno loco promulgatas, ſed, ob rei amplitudinem neceſſitatemve, plures tabularum apographa repoſuiſſe. Sacerdotes hauddubie exemplar habebant, quorum pontifex maximus, a principio rerum Romanarum, annales componebat, auctore Cicerone, [k]) in quibus res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris, *efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi.* Quando autem res omnes continuit albata pontificis tabula, domi militiaeque geſtas, leges excludi ab illa non debebant, quas neque confirmari potuiſſe, ſine collegio ſacerdotum et augurum, iam indicauimus. Quin Liuius [l]) praeclare teſti-

h) XII. biblioth. hiſtor. p. 87. i) III. hiſt. c. XXXVII. et LI.
k) II. de orat. p. m. 142. l) I. hiſtor. c. XXXII. III. Antiqu. n. 132.

teſtificatur, ex commentariis pontificis maximi, leges in album retuliſſe Ancum Martium. Vbi rurſum Dionyſius Halicarnaſſeus notat, ante inuentas columnas aereas, ἐν δρυΐναις σάνισι, leges *in tabulis roboreis* exaraſſe Romanos. Vt adeo videamus, ex inſtituto Numae regis, pontificem Maximum velut archiuarium ſenatus populique Romani fuiſſe. Sacerdotes Romanorum certe, tanquam patricios, noſſe leges oportebat, quare Cicero: m) *ſacerdotes et reſpondendi iuris, et confitendarum religionum, facultatem adferunt.* Quomodo autem cuſtodire mente ſuſtinuiſſent, niſi cum cura annotaſſent, inque libris ſacris et templis ſuis adſeruaſſent. Zonaras n) verbo θησαυρίζεσθαι vtitur, quod huc adprime facit: ὅσα γὰρ φυλακῆς ἐκρίθησαν ἄξια, ἐν σανίσιν ἐθησαυρίζοντο. *quaecunque digna iudicabantur diligenti cuſtodia, illa tanquam theſaurum reponebant.* A Romanis iſte mos tranſiit ad Chriſtianos, quorum ſacerdotes monumenta publica in eccleſiis, vt loquebantur, recondita habuere. Iuſtinianus o) chartam reponi iubet ἐν τοῖς ἐκκλησίας ἀρχείοις, ἐν τῷ ἐναγεῖ κειμηλίῳ φυλακίῳ. Apud Francos, Scotos, et Germanos quondam, Archiuum dicebatur *capella*, quod ſacri homines iis praeeſſent, ibidemque regia inſtrumenta occluderent. In concilio Francofurdienſi Carolus praecepit, *vt tres breves ex hoc capitulo fierent, ac tertium in ſacri palatii capella reconderetur.* Quique hinc ab aeuo Carolingico audiebant *Capellani*, *Archicapellani*, ſunt iidem cum *cancellariis*, *archicancellariis*. Mallinkrot, de hoc argumento, in Ludouico Pio: Lambecius, parte II. bibliothecae Vindobonenſis, capite quinto.

§. XXXVI.

m) II. de LL. p. m. 336. n) Tom. II. p. m. 27.
o) Nov. LXXIV.

§. XXXVI.

MOS GRAECIS AC ROMANIS LEGES IN LOCIS PVBLICIS AFFIGENDI.

In locis publicis, exemplo Graecorum, inprimis Athenienſium, ſubinde adfixas Romae leges fuiſſe, quamuis non vno modo, facile adſtruitur. Sicut enim in foro pro roſtris, vniuerſae adparebant, ita ſimiliter in comitio, in capitolio, in curia, in aliis, quae ad certam iurisdictionem, aut ciuitatis procurationem ſpectabant, peculiares adſcriptae noſcebantur, vt in oculos paſſim incurrerent, ſtimularentque magiſtratus, legum miniſtros. Cicero [p]) *leges ac decreta in aes incidenda, et in Capitolio figenda curauit.* In Verrem per iocum: *iſte praetor ſeuerus, ac diligens, qui populi R. legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperabat.* Veſpaſianus Imp. [q]) aerearum *tabularum tria millia*, quae ſimul conflagrauerant, *reſtituenda ſuſcepit.* Graecos in porticibus exhibuiſſe leges, Iſocrates [r]) ſcribit: *δεῖ τοὺς εὐπολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. non porticus implere decet legibus. ſed iuſtitiam animis inſcriptam habere.* Ita quoque in Areopago, ad quem cognitio de caede *ἐκ προνοίας* pertinebat, leges Draconis proſtabant inſcriptae tabulis. Ita Tiſameni decreto codex legum *εἰς τοῖχον ἀναγράφεσθαι* debebat, quem morem obſeruant in curiis, aulis et collegiis, probe conſtitutis, vbi ordinationes ſuffigunt parietibus, ac ſtatis temporibus eas praelegi curant, ne quid excidat memoria ſubiectorum.

I 2 §. XXXVII.

p) Philipp. III. p. m. 611. lib. V. p. m. 192. q) Suet. in Veſpaſ. c. VIII. r) Areop. p. 148.

§. XXXVII.

CONTROVERSIAE SVPER DVABVS TABVLIS POSTREMIS.

Quamuis autem accuratiſſima ſcriptura caueretur nouis legibus, per licentiam tamen decemuirorum accidebant denique multa, quibus redderentur exoſae, ac prope exſpirarent cum illorum imperio. Inſignia magiſtratuum ad inuidiam augebant, vt pro decem ac duobus lictoribus centum ac viginti implerent forum, terrorem ſimul odiumque concitaturi omnium: in humiliores libidinoſe et crudeliter ſaeuiebant: domi conflabant iudicia, pronunciabant in foro, tanta animorum perturbatione, famaque clamante, [s]) *qui legum ferendarum cauſſa creati ſunt, nihil iuris in ciuitate reliquerunt.* Ad haec fine auctore opinio exierat, non in praeſentis modo temporis iniuriam eos conſpiraſſe, ſed fedus clandeſtinum inter ipſos iureiurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque decemuiratu poſſeſſum ſemel obtinerent imperium. Vltimum ſcelus a libidine ortum, haut minus foedo euentu, quam quod, per ſtuprum caedemque Lucretiae, vrbe regnoque Tarquinios expulerat: *vt non finis ſolum idem decemuiris, qui regibus, ſed cauſſa etiam eadem imperii amittendi eſſet*, ſicut haec fata Liuius comparat eleganter. Permouebatur quoque melior pars ciuium, tabularum adiectarum inuſitata et arroganti compoſitione, maxime ob capita quaedam legum plebi minus grata. Dionyſius Halicarnaſſeus ſub finem decimi libri: *ἐν οἷς καὶ ὅδε ὁ νόμος ἦν, μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τὰς δημοτικὰς ἐπιγαμίας συνάψαι. δι᾽ οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἕτερον ἢ τὸ μὴ συνελθεῖν εἰς ὁμόνοιαν τὰ ἔθνη γάμων ἐπαλλαγαῖς καὶ οἰκειοτήτων κοινωνίᾳ συγκερασθέντα. non licere nobili matrimonium inire cum plebeia: ne familia et ſanguis confunderentur*, aut ne conceſ-

ſis

s) Liu. III. hiſtor. XXXIX.

fis promiscuis, inter plebeios et patricios matrimoniis, per adfinitates, et iura sanguinis, animorum coniunctio tandem fieret. Zonaras in annalibus, fidem secutus veterum, de senatoribus ait: [t]) ὀψὲ δέ ποτε ἐπ' ἐξόδῳ τȣ̃ ἔτȣς ὀλίγα ἄττα ἐν δύω σανίσι προσέγραψαν, ἐς πάντα δὲ αὐτογνωμονήσαντες, ἀφ' ὧν ȣ̓χ' ὁμόνοια, ἀλλὰ καὶ διαφοραὶ μείζȣς ῥωμαίοις γενήσεσθαι ἔμελλον. *sub anni finem prope auctoritate propria quaedam in duabus tabulis adscripsere, non ad concordiam, sed ad maiora dissidia Romanorum.* quod et mox euenit. Liuius a primordio libri quarti demonstrat, ea vehementia, de connubio patrum ac plebis, in foro disputatum fuisse, vt de alterutro magistratu tollendo sententiae ferrentur, summumque a tumultuante plebe immineret periculum: consules ordini suo nihil amplius patiebantur derogari: tribuni contra virtutem cuiusque praemio dignam existimabant, et plebeium ducere patriciam iure posse: legem quae id prohibebat, superbissimam esse, ac plebi contumeliosam, societatem ciuilem dirimere, et duas facere ex vna ciuitate.

§. XXXVIII.

LEGES XII. TABB. TRIBVNITIIS MOTIBVS ROBORATAE.

Ex hisce palam est, neque tabulis omnino adquieuisse tribunos, licet perlatae, ac vim adeptae sint constantissimam. Non adsurgit in patulos ramos arbor, nisi ventis concutiatur, et indurescat tempestatibus. Squalida sunt corpora, ac putrescunt, situ informia, terra et caduca, quae rarius impelluntur. Leges aeque negliguntur, nisi iactentur in foro, et diuersis hominum studiis obnoxiae fiant. quae tamen si exsuperauerint obtrectatorum calumnias, firmius persistunt, et qui oppugnauerant

 antea,

t) Tom. II. p. 27.

antea, mox pro iisdem inhaerent, atque hinc sibi iuris auxilia pollicentur. Philo Iudaeus, leges suorum, et gentium ceterarum, inter se componens, argumentum diuinitatis certissimum ostendit, quod in illis nihil desideretur, istae contra saepius mutentur [v]) *οἱ νόμοι κάλλιστοι. καὶ ὡς ἀληθῶς θεῖοι, μηδὲν ὧν χρὴ παραλιπόντες, ἐναργεστάτη πίστις ἥδε. τὰ τῶν μὲν ἄλλων νόμιμα, εἴ τις ἐπίῃ τῷ λογισμῷ, διὰ μυρίας προφάσεις εὑρήσει κεκινημένα. argumentum efficacissimum legis optimae et vere divinae est, si nihil possit in ea desiderari: aliarum gentium iura, si quis cogitatione percenseat, innumeris de caussis antiquata inueniet.* addit fatalia per tyrannidem, per bella, per casus fortuitos, seditiones, aliosque fortunae lusus. Verum neque vbiuis ab obsequii gloria Ebraeos laudari posse nouimus, pertinacia et contemtu legislatori diuino molestissimos. Quando deinceps concludit: sola lex nostra firma, immobilis, inconcussa, tanquam signis naturae expressa, *τὰ τούτου μόνου βέβαια, ἀσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφραγῖσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα, μένει παγίως ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, manet in hunc diem ex quo scripta, mansura donec sol erit:* ibi de morali agit, qua non soli gaudent Iudaei, sed qui recta vtuntur ratione populi omnes. Ipse hoc fateri cogitur in libello, quod omnis virtuti addictus liber homo sit: [x]) *νόμος δὲ ἀψευδής, ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς. lex vera est recta ratio, non huius aut illius mortalis institutum, in tabulis chartisve scriptum in animis, sed incorrupta ipsa stilo naturae immortalis exarata in mente immortali.* Ciceronis [y]) quaedam superius adduximus. eundem porro sectemur philosophum;

v) de vita Mos. p. m. 507. x) p. m. 675. y) vid. II. de legibus p. 152. seq.

phum: *prima lex illa et vltima mens eſt omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI.* Reliquas autem leges, in republica Ebraeorum vſitatas, Philo minime in hunc referre numerum poterat. Iis enim nouo federe abrogatum: iis iam tum vigor inſitus deceſſerat.

§. XXXIX.

VT, NVNQVAM SIMVL IMPVGNATAE FACILIVS PERDVRARENT, NOVIS LEGIBVS INSTAVRATAE.

Romanorum tabulae, ex parte licet aduerſariorum tela exciperent, nunquam tamen ſimul oppugnatae ſunt. Facilius itaque perdurabant, et vbi maior legum pars valebat, ibi reliquae pariter conſiſtebant. Incidunt quidem tempora, quibus latent quaedam velut in occulto, nec vſum praeſtare poſſunt in ciuitate, ob nimiam acerbitatem potentiamve infectantium, ob bella et mala publica. ſed quamprimum redit honor legibus, et ius ex iis redditur ciuibus. Prouidentiae coeleſti tandem recte adſcribitur tabularum conſeruatio mirabilis, quae contra tot inſultus hominum improbiſſimorum, ac dolos iuxta inconcuſſae permanſerint, ac toto iuris corpore diffuſae, inſtar animae, vigeant hodienum ac viuant. Cicero z) exprobrat Verri, *quod leges dixerit antiquas et mortuas, quae vetant.* nec ſui temporis formulam ſtatuit, ſed quondam in iudiciis eandem reprehenſionem fuiſſe. Neque ſic diffitebatur, leges decemuirales hanc etiam inſcriptionem habuiſſe. verum adeo nunquam euiluerunt, quin vel nomine tabularum proprio, vel transmiſſione, et, vt ita dicam, μετεμψυχώσει quadam, in aliis legibus adparerent, repetitae ſaltim ac nouo habitu indutae, ad temporis hominumque captum de integro accommodatae.

z) lib. V. p. m. 155.

datae. Macrobius [a]) Didiae legis eandem cum Fannia ſententiam probaturus, rationem hanc adfert: *in ea enim ferenda quaeſita nouae legis auctoritas, exoleſcente metu antiquioris legis. Ita hercules, vt de ipſis XII. tabulis factum eſt, quarum vbi contemni antiquitas coepit, eadem illa, quae illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina tranſierunt.* De Horatia lege in Hortenſiam transfuſa iam alibi: quae non ſunt doctorum ſententiae de lege *Atinia*, ſiue de vſucapionibus furtorum? Panzirolus [b]) contra omnes fere adfirmat, male dici Atiniam, quod ſit *Atilia*, a M. Atilio condita, poſtremo triumuiratu Antonii, Lepidi et Auguſti. Verum antiquior haud dubie lex eſt, legis tabularum de furto interpres. Eadem difficultas circa latores, premit alias quoque leges, quarum numerum heic inire nolumus. Et haec fata iurisprudentiae Romanae, multis fuere ſaeculis, quibus fere accidit, vt non magis aliae, quam genuinae tabularum leges difficulter agnoſcerentur, et qui in hunc diem collegerunt eas, integrum corpus reſtituere non poſſent. Quis peritior iuris ciuilis patrii Cicerone? is tamen a multis notatur, quod adſcripſerit quaedam tabulis, eo minus pertinentia. Quique cum eo fecerunt poſteri, tanto auctore non erubuerunt falſa adfirmare.

a) III Saturnal. cap XVII. p. m. 338.
b) II. var. lect. c. 277.

CAPVT

CAPVT IV.

VARIA DE LEGIBVS XII. TABVLARVM.

SECT. I.

VNDE LEGES IVDAEORVM IN XII. TABB. MIGRASSE PROBETVR.

---

§. XI.

EBRAEIS CVM AEGYPTIIS MVLTA COMMVNIA AB HIS VICINIS TRADITA.

Non defuerunt, qui ficut omnem religionem ex AEgypto, et infti uto Ebraeorum, ad gentes alias tranfiiffe putant: ita leges quoque XII. tabularum inde primum commigraffe ad Graecos docent. De AEgyptiis certiffimum eft, illos cum vicinis leges communicaffe faepius, et fapientes veterum ibi commoratos effe, diuinarum pariter et humanarum rerum ftudiofos. Diodorus Siculus:[a]) πολλὰ γὰρ τῶν παλαιῶν ἐθῶν τῶν γενομένων παρ' Αἰγυπτίοις, οὐ μόνον παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις ἀποδοχῆς ἔτυχεν. ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἕλλησιν οὐ μετρίως ἐθαυμάσθη. διόπερ οἱ μέγισοι τῶν ἐν παιδείᾳ δοξασθέντων, ἐφιλοτιμήθησαν εἰς Αἴγυπτον παραγενέσθαι, ἵνα μετάσχωσι τῶν τε νόμων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ὡς ἀξιολόγων ὄντων. Eadem fub finem primi libri habet, et inter antiquiffimos peregrinatores nominat Homerum, cuius inter Romanos, inque foro et ipfis legibus, auctoritas magna, Orpheum, Mufaeum quos fecuti fint Lycurgus, Solon, Pythagoras, a nobis modo laudati. Iam et id planum habe-

a) I. biblioth. p. m. 62.

habetur, AEgyptios cum Ebraeis, ab aeuo praefertim Iofephi proregis, in plurimis conueniffe, quae ad externam difciplinam fpectant. Acceperant igitur hi quaedam ab illis, dum iunctas colerent fedes: hi rurfum ex quotidiana confuetudine admiferunt in coetu fuo, quae diuinis mandatis non repugnarent, vti femper fieri folet, in genere morum. Immo fi diu antea praecepta Noachidarum iuxta cum populis migrarunt in varias terrae partes, legum AEgyptiarum cunabula dilucent nobis aperte. quippe facerdotes omnium, quae a maioribus defcendebant, erant retinentiffimi. Cum his ideo verfabantur, qui penetrauerant in AEgyptum, fiue Thebis, fiue Heliopoli, cum his ieiunabant, lauabant, vt difcerent fibi profutura.

§. XLI.

EBRAEORVM LEGES HAVSTAE A PEREGRINANTIBVS IN AEGYPTVM ET SYRIAM.

Quomodo autem leges Ebraeorum peruenerint in manus exterorum, nemo tam promte dixerit. Gens fancta ab egreffu AEgyptiaco fecum habitabat fola, velut in finu numinis, nec hofpitia facile praebebat homini alienigenae. Iofephus: [b]) *ἰδιότης περὶ τὸν βίον ἡμῶν πρόσεισι. ὐδὲν ἦν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις τὸ ποιοῦν πρὸς τοὺς ἕλληνας ἡμῖν ἐπιμιξίαν, ὥσπερ Αἰγυπτίοις μὲν τὰ παρ' αὐτῶν ἐξαγόμενα, καὶ πρὸς αὐτοὺς εἰσαγόμενα; propria viuendi ratio noftris eft: nihil erat antiquis temporibus, cur inuicem Graeci cum noftris rem haberent, ficut cum AEgyptiis, a quibus multa exportata, multa rurfum ad eos importata.* Sic peculiare vitae inftitutum id efficiebat, quo recipere prohibebantur, aliena facra profeffum; et quod nulla cum Graecis commercia exercerent, ficut AEgyptii. Praeterea contra Apionem, ab

b) 1. contra Ap. p. 1038.

ab initio ſtatim oſtendit idem, Graecos neglexiſſe Ebraeos, nec dignos iudicaſſe, quorum in hiſtoriis mentionem facerent. Duplex hinc ratio conſtat; quare diuinas leges impetrare, aut etiam cognoſcere, difficile fuerit atque impeditum. Iudaei nimirum inuidebant aliis ſuas; ipſi rurſum aliis inuiſi. Sed minime dubitandum, legis diuinae Ebraeorum notitiam inter AEgyptios hauſiſſe gentiles, eiusque iuſtitia motos, Syriam adiiſſe, vt mox probaturi ſumus. Theophilus [c]) Antiochenus ad Autolicum: Μωσῆς ὁ θεράπων τȣ̃ θεȣ̃ παντὶ μὲν τῷ κόσμῳ, παντελῶς τε τοῖς Ἑβραίοις τȣ̃ θείȣ νόμȣ, διάκονος γεγένηται. *Moyſes, DEI famulus, legem vniuerſo orbi, praecipue vero Ebraeis, ſubminiſtrauit.* Philo [d]) ſimiliter: τὸ δὲ τῆς νομοθεσίας ἱεροπρεπὲς, ὡς ȣ̓ παρ' Ἰȣδαίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις τεθαύμασαι, *diuinum decus legum noſtrarum, non Iudaei ſolum, verum et aliae gentes admiratae ſunt.* Nec aduerſatur prouidentiae coeleſti, per eam variis modis innotuiſſe praecepta ſanctiſſima populis, qui tamen religionem ſuam, et iuris cultum, pro ſuperſtitione ſemel inolita, et moribus patriis adſectabantur. Deum in monte tabulis manu ſua leges inſcripſiſſe, et per tremendam promulgationem Ebraeis venerationem illarum impreſſiſſe, a puero legimus. Cauſſa haec eadem, cur ſtare ſemper, inque oculis eſſe deberent. Vndecunque acceperint transmarini, Cretenſes, Lacedaemonii, Romani ſub Numa, Diis auctoribus leges ſuas adſcribebant. Cicero: [e]) *Lycurgus, qui Lacedaemoniorum rempublicam temperauit, leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici confirmauit, quas cum vellet Lyſander commutare, eadem eſt prohibitus religione.* De ceteris paria ſunt in promtu: quibus viuaci legum ſuarum honori praecauebant. Spartanos certe mille circiter

c) Lib. III. aduerſ. calumn. p. 123. d) II. de vita Moſ. p. m. 509. e) I. de diuin p. m. 271.

citer annis, a morte legislatoris, vſos eſſe priſcis inſtitutis Xiphilinus[f]) ſcribit; nempe aeuo Neronis adhuc obtinuiſſe Lycurgi rhetras. ἠγωνίσατο ἐν πάσῃ ὁμοίως πόλει, ἀγῶνα ἐχούσῃ, πλὴν Ἀθηνῶν καὶ Λακεδαιμονίων. ταύταις γὰρ μόναις οὐδὲ ἐπεφοίτησε τὴν ἀρχήν. τῇ μὲν διὰ τοὺς Λυκούργου νόμους, ὡς ἐναντίους τῇ προαιρέσει αὐτοῦ ὄντας. τῇ δε διὰ τὸν περὶ τῶν Ἐριννύων λόγον. Solon contra, et alii, peregrinatione ciuili ſapientiores facti, Deum lege colendum iuſſere, quod ab eo in ſocietate cuncta penderent, ac modum in ſacris peragendis fere praeſcripſerunt. Quod autem exemplo Moſis, cum Deo congreſſi, et ab eo leges conſecuti ſint, perſuadere ſuis noluerunt. Hinc quoque illius ac magnae ſimul Graeciae inſtituta maxime placuerunt Romanis, ex AEgypto et Syria adſumta. Auguſtinus, [g]) quando hoc argumentum perſequitur, neque id Romanos crediciſſe Lycurgo affirmat. ſed vbi ſubiungit, nec propterea Lacedaemone accipere voluiſſe leges, parum fidei meretur. Quidquid vspiam occurrebat in ciuitatibus Graecis egregium, ſicut alias euicimus, conquirebant legati; domi ex vberrima ſegete pauca decerpturi, quae vſui forent reipublicae. Neque deſcribebant iura aliena, a ſe inuicem mire diſcrepantia, vt ita conſeruarent integra, verum vt emandarent, et ad libertatem ſuam accommodarent. Philo: [h]) ἀθηναῖοι τὰ Λακεδαιμονίων ἔθη καὶ νόμιμα προβάλλονται, καὶ Λακεδαιμόνιοι τὰ Ἀθηναίων. *Athenienſes Lacedaemoniorum inſtituta et iura adſpernantur, et ſic Lacedaemonii Athenienſium.* Adeo tandem comparatis his omnibus, diſcretione vbique opus eſt, in fonte tabularum explicando.

§. XLII.

f) In vita Ner. p. m, 170. g) II. de C. D. c. 15. h) II. de vita Moſ. p. 508.

§. XLII.

PYTHAGORAS IN ITINERE SVO MVLTAS IVDAEORVM LEGES DIDICIT ET INTER SVAS RECEPIT.

Si Pythagoram comitamur in itinere, quod Iamblichus[i]) per fingula interualla defignat, Sidonem delatus eft primum. ibi Μώχυ τῦ φυσιολόγυ προφήταις, καὶ τοῖς ἄλλοις, καὶ Φοινικοῖς ἱεροφάνταις, Mochi prophetis, et facerdotibus Phoeniciae admodum familiaris erat, mox in Byblo, Tyroque πάσαις τελεσθεὶς τελεταῖς ἔν τε Βύβλῳ καὶ Τύρῳ· καὶ κατὰ πολλὰ τῆς Συρίας μέρη ἐξ αἱρέσεως ἱερυργύμενα, inque Syriae partibus egit, propria facra habentibus. item deiectus in littora Phoeniciae tempeftate, in Carmelo monte commoratus diu, ne quid ignoraret ἀξιομαθήτων, ἐν θεῶν ἀπορρήτοις ἢ τελεταῖς φυλαττόμενα, *fcitu dignum, et vel in arcanis diuinis, vel facrificiis reconditum.* Quae libenter adducimus, vt fententiam redarguamus eorum, qui Pythagoram Syriae fines attigiffe nunquam opinantur, multo minus illum a Iudaeis praefentibus quidquam didiciffe. Neque enim potuit non, cum e Syria tranfiret in AEgyptum, in Iudaeos et fynagogas incidere, quamuis vrbem fanctam non intraret. Idque volunt aliqui, quafi ibidem vera doctrina Ebraeorum tantum nofci et perquiri confueuerit. Iofephus[k]) luculentiffime: Hermippus fcriptum reliquit, περὶ πᾶσαν ἱςορίαν ἐπιμελὴς, ὡς ἀληθὴς ὁ ἀνὴρ, ἐκεῖνον, videlicet *Pythagoram*, πολλὰ τῶν παρὰ Ιυδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὐτῦ μετενεγκεῖν φιλοσοφίαν, *leges multas Iudaeorum in fuam philofophiam transtuliffe*, diu antequam Ptolomaei Philadelphi aufpiciis in Graecum fermonem fcriptura conuerteretur; deinceps quippe magis tritae leges et communes cum vicinis nationibus. Atque his demum rationibus nitimur, ad quaeftionem refponfuri, num leges Romanae traxerint e Graecia quan-

dam

i) I. de vita Pyth. c. 3. p. m. 33. k) contra Ap. p. 1046.

dam diuinitatem, et vnde haec illam adepta fit. Henricus Stephani, libello fingulari, praecepta veteris ecclefiae cum legibus tabularum in contentionem mifit, ideoque videndus, ne videamur opera data prolixiores.

SECT. II.

DE FATIS XII. TABB. GENERATIM.

§. XLIII.

FAVORINI REPREHENSIONES XII. TABB. NOTATAE.

Supereft, vt communiora legum fata in tabulis contemplemur, de quibus grauiter difceptarunt inter fe Sextus Caecilius, iureconfultus, ac Fauorinus, philofophus apud A. Gellium, primordio libri vicefimi. Nam vix reperietur apud veteres, qui maiore breuitate et iudicio ifta complexus fit. Ille cultor artis et admirator, tabulas laudabat: hic fectae alterius, legerat quidem, fed veluti cenfor. Ille commendabat elegantiam legis, ac iuftitiam: hic verba planiora et aequitatem infuper defiderabat. Ita enim philofophatur academicus: *non minus cupide tabulas iftas XII. legi, quam illos decem libros Platonis de legibus. fed quaedam iftic effe animaduertuntur aut obfcuriffima, aut dura: aut lenia contra nimis et remiffa, aut nequaquam ita, vt fcriptum eft, confiftentia.* quae fingula tam funt acria et auftera, quibus iureconfultus prouocabatur ad refpondendum. Nemo dubitauerit amplius, in legibus decemuirorum occurriffe quasdam, ex regiis temporibus conferuatas. quae propter antiquitatem, et verba infolentia, erant omnino pofteris minus perfpicuae. Cicero [l]) *plurima eft in omni iure ciuili,*

l) I. de orat. p. m. 187.

vili, et in pontificum libris, et in XII. tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam, maiorum consuetudinem vitamque declarant. Sed per vsum continuum legis, quam et memoriae solebant mandare, vocabulorum sensa retinebant Romani, et quamuis obsoleta arbitrarentur, pleraque tamen citra haesitationem intelligebant, donec κατὰ συμβεβηκὸς obscurarentur. Leges enim priscae in nouas commutatae, aut a contemtu publico vindicatae, alio sermone, atque tum consueto proponebantur, habitu vetustiori omnino neglecto, quae successu temporis exolescebant. Aut si vigerent, non integrae, et natiuis nominibus recitabantur; verum quilibet iis vtebatur, quatenus ex aeui genio loqueretur, vt sic, nouis accedentibus verbis, pristina splendorem ac vim suam amitterent. Testis nobis iterum Cicero, qui specimen editurus legum XII. tabularum, recentiori dicendi forma delectatur, non tamen plane aliena ab institutis ac temporibus maiorum: [m]) *sunt certa legum verba neque ita prisca, vt in veteribus his tabularum, sacratisque legibus, et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora, quam sermo hodie est.* Scilicet vsurpauit magis vsitata, et ad rem facientia, ne quid proferret, cuius sententiam nemo adsequeretur. Seneca: [n]) *multi ex alieno saeculo petunt verba. Duodecim tabulas loquuntur.* prouerbio dicit ita, vt orationis vetustae tenebras commonstret, a quibus cauendum. quare nec A. Gellius antiquiora exhibuit, sed ad aeui genium tabulas accommodauit. Quod autem Antonius Augustinus, [o]) praeclarissime meritus de legibus Romanis, vt inter fatorum statores celebretur, fraudem obiecit Ciceroni, quasi pro indolis bonitate, effictas marte proprio leges Quincto proposuerit, non quas decemuiri

m) II. de LL. p. m. 33. n) ep. CXIV. o) de LL. et senatusc. p. 157. item III. emendat. cap. vlt. p. m. 170.

cemuiri olim scripserint, id tam facile quis ipsi non concederet. Atticus intererat colloquio, rerum in patria callentissimus, supererant doctissimi quique Romae, quibus Tullius fumum vendere haut poterat. Ipse quoque, sicut alias indicat, a commentis abhorret maximopere. In capitolio, in foro et curia, pro rostris, tabulae adhuc legebantur, quarum exempla intempestiua philosophia nec augere volebat orator, nec immutare, nisi quod verba aetati suae conuenientiora iungeret.

§. XLIV.

VNDE SINT ANTIQVA IN XII. TABB. VERBA.

Ex quibus iam citra molestiam capimus, quae Caecilius regerit Fauorino: *obscuritates non adsignamus culpae scribentium, sed inscientiae adsequentium; quanquam hi quoque ipsi, qui quae scripta sunt, minus percipiunt, culpa vacant nam longa aetas verba ac mores veteris oblitterauit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est.* Isidori [p]) quattuor linguas, Romae frequentatas, in regiis legibus paucioribus contemplati sumus. Priscam ibi, heic latinam secutos esse legum latores arbitratur: quando autem signate hanc describit; *Latina est,* inquit, *quam sub Latino et regibus Tusciae ceteri in Latio locuti sunt, ex qua fuerunt XII. tabulae.* Sed minus accurate tertiam, nempe Romanam, post reges exactos statim inualuisse dicit. Quae sola, non alia, in iure tabularum componendo, per sexaginta annos trita, vsum praebere poterat. Etenim nulla plaruit vnquam lingua, in lege ferenda, quae paullo antiquior est, sed prudentum consilio valet, quidquid est perspicuum, et vsu temporum omnibus probatum. Latina igitur, si de sententia Isidori desiit cum regibus, quomodo consules, et mox decemuiri, legum scribendarum caussa creati, tan-

p) lib. IX. orig. c. IX.

tanquam abolita dudum vterentur? Quod alias originum ſcriptoribus, inprimis Varroni imputatur, fingere audacius, quae nec ſunt, nec eſſe poſſunt, idem huic accidit. Interualla ſunt manifeſta. quod autem ſingulis tribuantur ſingulae linguae, inuentum eſt hominis parum ſibi conſtantis. Vna eſt lingua Romanorum, quae ab illis, per fata ſaeculorum, eximie culta creuit, atque decreuit. Mater reſuſcitata filiam non agnoſceret, miſere habitam a barbaris. qui per ſegnitiem vrbis dominae, et imperium laceratum, non diuiſum, praecepere ſermonem, vtriusque gentis mixtum, et poſterorum inertia corruptum, cuius natales ſcrutantur hodie viri doctiſſimi, et monumentis praeclaris teſtantur, quae genuina, quae ſint aliena aut peregrina. Sicuti igitur pauci noſtrorum vetuſta legis Salicae, Ripuariae, alteriusve Germanicae, capita attingunt, et incognita ſaltem pleriſquae, *reipus, chrenecrude, chunnam, harowenum*, ac ſimilia horrenda putant, licet ex vernacula fluant: ita facti elegantiores Romani, quaedam legum antiquarum vocabula, a Faunis et Aboriginibus excogitata, non a maioribus inter ſacratiora fuiſſe recepta exiſtimauere. Quibus vel noſtra aetate ſatisfecerunt, iuris et humanitatis cultores praecipui, nemo tamen maiori profectu, atque Iac. Gothofredus, in probationibus, notis atque gloſſario, ad XII. tabulas, vt plana videantur et expedita, quae tamdiu obſcuriſſimis traducebantur.

§. XLV.

2) EXCVSATVR XII. TABB. DVRITIES.

Alterum in tabulis naeuum, Fauorinus demonſtrat nimiam duritiem, et acerbitatem ſuppliciorum, quare et fata ſenſerint immitia leges illae. *emortuae ſitu ac ſenio.* Non aliter de his loquitur, ac ſi nunquam in[illegible]erint. Primum argumentum, vt hoc euincat, a perfidia iudicis depromitur, qui ob rem vel litem definiendam, pecu-

K niam

niam accipiens, capite puniatur atrocius. Caecilius monet grauiter, iura diuina et humana non vendi in foro, ad quae tamen seruanda iudex obligetur iureiurando. Sancte exegerunt id decemuiri a quolibet, iudicium exercente, Zaleuci instituto procul dubio, qui DEVM iudiciis praeesse dicebat. Quod idem a sacris oraculis propius abest. Hoc autem si violatur, et DEI vilescit auctoritas, et hominum fides promercalis efficitur. At cui maiora in societate ciuili peragenda committuntur, quam iudici, praesertim apud Romanos, vbi cum imperio praeerat. Iam oblitus numinis, ac sui ipsius, amore largitionis priuatae, sine vinculo legis, in ciues quae non crudeli statueret? Persae viuis adimebant iudicibus cutem, tribunali circumvoluentes, ne iudices conspectu illius auro indulgerent magis, quam iustitiae. Herodotus q) in Terpsichore: de Sisamne, Diodorus Siculus r) de aliis, horrendum supplicium narrant. Turcae hodieuum odio foenoris iudiciarii contundunt in mortario corruptos arbitros Romani tanto malo ituri obuiam, inter aequalia tabularum iura, superiorum iuxta et inferiorum, magistratibus capitali sanctione frenum iniicere voluerunt, ad excludendas prauas hominum artes, quibus et corrumpuntur iudices, et corrumpunt eos nonnulli, caussae suae diffidentes. Neque sub imperatoribus planae d scessum est ab iusto rigore, quando iudices criminis huius reus quilibet e populo posset accusare, poenaque extraordinaria ad mortem vsque extenderetur. Quod philosophus Fauorinus probe intellexit, quando pro disciplina sectae prohibet, ne aduersarius porro ex se quaerat, quid existimet: *se enim inquirere, non decernere* quod academicorum erat, de quibus exclamat Cicero: s) *o academiam volaticam, modo huc, modo illuc?* Quae sequuntur, de more vocandi in ius

q) V. 25. r) XV. bibl. p. m. 334. s) XIII. ad Att. ep. XXV.

ius, quem pariter accufat iniquitatis Fauorinus, praeter Caecilium folide difcuffit, vir fummus, CASP. Zieglerus, [t] in *dicaftice*, cuius nomen et merita veneratur germana Themis.

§. XLVI.

3) IVS TALIONIS COMMODE POTEST EXPLICARI ET ADMITTI.

Pergit philofophus, inque tabulis infectatur talionem. *quod talioni par non fit talio*, immo res fiat ridiculae atrocitatis; mutuae talionis oriatur actio contraria, et adolefcat infinita quaedam reciprocatio talionum. Caecilius ratiocinationem iftam *lepidam verborum folertiam interpretatur*. Neque tamen Fauorinus eft primus, qui argumentum hoc in dubio pofuit. Ariftoteles [v] examinauit perfpicue, fecundum iuftitiam diftributiuam et commutatiuam: vtrobique minus recte procedere illam, demonftrauit ita. Ibi fi quis pulfauerit magiftratum; iure talionis, pulfandus eft. et grauiori praeterea poena coercendus: magiftratus contra, quem pulfans, non pulfatur rurfum, nec poenae grauioris metu cohibetur. Vt fic talio minime locum ifthac in parte inueniat. Addit: magna eft differentia inter id, quod fponte noftra, et id quod inuite peragimus. quafi diceret: alter fponte, confilio, ex deftinatione pulfat: alter inuitus eo trahitur, imprudens malorum, quae patrauit. In commutatiua propter fraudes, et incertam pretii rationem, fiue aeftimationem communem, aequari fingula non poffe. quare nec obtineri eam heic poffe arbitratur. Verum princeps doctrinae veteris, dum confutat talionem, et opponit ei analogiam, potius explicat, quid fit talio, et vbi rite adplicetur, quam vt illam tollat. Dicit enim talio-

 nem

t) conclus. XXVIII. p. 702. feqq. v) V. ethic. Nicom. c. V. II. Polit. c. I.

nem esse aut κατ' ἀναλογίαν, aut κατ' ἰσότητα intelligendam. Rationem, de magistratu et ciue, lege talionis puniendo, post commissum ab alterutro delictum, non plane dissimilem nosci, patet itidem ex diuersa obligatione, qua ciuis et magistratus inuicem copulantur. Ille praeterquam quod ciuis est, iure dignitatis praecellit: hic simplici gradu consistit, de sorte vulgari omnium. At si offendat superiorem, duplici malo se inuoluit, quod ex ciuis deinde et magistratus respectu vindicari debet. Quod si vero ciuis a magistratu patiatur iniuriam, et in hunc duplici ratione, talionis iure animaduertitur, vt ciuem et parem, deinde vt magistratum, qui contra dignitatis munia egit, ad quae custodienda publico vinculo adstringebatur, quod ita soluerat non citra crimen. Aristoteles, magistratum non puniri, aiens, qui ciuem pulsauerit, de statu reipublicae corrupto loquitur, in quo vi, non iure caussae disceptantur. In commutatiua, parum efficitur, si cupidine lucri, nondum vlla existente obligatione, par vbiuis contractuum aequitas haud deprehendatur. Naturaliter enim, siue vt Iustinianus x) declarat, ἐμπορικῶς, homines inter se versantur; hic viliora intendit, alter cariora: nemo non in mutuis passibus exoptat praestantissima quaeque. Discrimen actionis, qua vel ex proposito, vel sine illo, fiat iniuria ciui, iudicium rei non perimit, quando in correctione sponte delinquentis, siue poena infligenda, similiter ex deliberata animi sententia facinus emendetur, et sic iniuria data penitus auferatur. Inuitus, qui laeserat, aut mortem casu intulerat, ne omnino pateretur nihil, iudiciali processu cogebatur sui loco hostiam quaerere succedaneam, qua de superius, vt eius occisae sanguine homicidium expiaretur. Apollonii scholiastes: y) λυτήριον δὲ καθάρσιον λέγει, ὅ ἐστι χοιρίδιον μικρὸν, ὅπερ οἱ ἀγνίζοντες θύ-

x) Nou. XCVII. y) Lib. IV.

θύσαντες τὰς χεῖρας τῷ ἀγνιζομένῳ τῷ αἵματι αὐτοῦ βρέχουσι. Budaeus annotationibus alteris in pandectas ritum istum copiose describit. Pythagoricos maxime refellit Stagirita, qui talionem absolute definiebant ius, siue quod quis a se factum vicissim pateretur ab alio: *ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ.* Caecilius iureconsultus: *quae, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris?* Quam legem magister sectae a Iudaeis haud dubie attulerat, quibus edixerat Moyses, dentem pro dente, oculum pro oculo reddendum esse. Nouum hoc est fundamentum, cui innititur, quod antea diximus, multa superesse in legibus Romanis Pythagorica, multa diuiniora. Imperator talionis, de membro rupto ex tabulis, meminit, poenam iniuriarum ex veteri et praetorio iure diiudicans. quam Theophilus *) *ταυτοπάθειαν* adpellat, glossa *repatientiam.* Sed ne quis opinaretur, parissima in talione semper fuisse requisita, legem restringunt decemuiri: NI CVM EO PACIT. Qui enim vulnus alteri incusserat, qui membrum ruperat, si cum laeso pacisceretur, aut litem aestimatam redimeret, pecunia, siue mulcta imposita a iudice, pro talione erat. Atque haec est ratio potior, cur Fauorinus male tabulas iniquitatis insimulat. Quod autem inde conficiatur, *ergo nec apud Iudaeos, nec apud Romanos, talio fuit in vsu,* quia talis restitutio simpli, siue iniuriam aestimatio, nihil poenale continet, liquidum adeo non est. Cum ab initio poenae statuerentur, aequissimum videbatur, similia plerumque castigare similibus, ita vt qui sanguinem fudisset innoxium, sanguinem redderet: qui fame, aut aliis modis, enecasset homines, rursum periret misere. Philo de archimagiro Pharonis: a) *ὁ χάριν καὶ ὁ περὶ ταῦτα ἐξαμαρτὼν, εἰκότως*

*) §. 7. Instit. de Iniur. Couarruv. lib. II. var. resol. cap. 9. p. m. 149. a) de Ioseph. p. m. 428.

τως θνήσκει κρεμασθεὶς. ὅμοιον κακὸν, ὧν διέθηκε, παθών. Quapropter qui hac in re peccauit, lege talionis ſuſpenſus necatur, et quod aliis intulit, ipſe patitur. Ita ſaluator noſter [b]) hac de re ſuos inſtruens, talionem in minoribus etiam non damnauit, contra ſignificans, quae tolerare exemplo ſuo ad imitandum propoſito deceret: ceteroquin iuſtum cenſeri, delictis aequales reſpondere poenas, quamuis non eadem ſpecie infligantur. immo nec fieri poſſe, vt quaedam flagitia iisdem modis coerceantur, ſicut furtum, adulterium, blasphemia. Interim ſatis eſſe, pro grauitate horum mortem, dupli aut quadrupli reſtitutionem, aut quamcunque poenam al am delicto ſuffecturam irrogaſſe. Veterum ſimplicitas potiſſimum adparet ex hac poenae exaequatione. quam Romani deinceps quoque, datis variis actionibus, ac ſatisfaciendi iuribus, neglexerunt.

§. XLVII.

4) SECTIO DEBITORIS QVAENAM SIT?

Vltimum iniquitatis argumentum contra tabulas petit Fauorinus a *ſectione debitoris*, ſiue partitione corporis, eamque vocat immaniſſimam. Ireconſultus reſpondet partim vniuerſe, de fide colenda ſanctiſſime, eiusque neceſſitate in publicis ac priuatis negotiis, quorſum et obligatio pertinet inter creditorem ac debitorem; partim ad hanc obiectionem ſigillatim, ne haberet philoſophus, vnde porro accuſaret leges patrias. Ibi ex natura contractuum, Romanae ciuitatis, atque communi gentium inſtituto, nullum peius eſſe facinus oſtendit, quam in officiorum vicibus, et quotidiana vita, alium fallere: heic legis rationem a diſciplina bene et caute viuendi deriuat, quae paucis curae eſſet, ſine acerba fidei labefactatae vltione. Numae regis memoria, ſemper culta, quod pactis

b) Matth. V.

ctis firmum impreſſurus robur, ad religioſum cultum fidei nomen transferret, eique templum dedicaret apud Quirites vetuſtiſſimos. Ita enim ſperabat fore, vt illi progreſſu temporis ad conuentiones ſuas magis adſtringerentur ſeruandas, nec impia fraus, perpetua litis materia, totam occuparet vrbem. Dionyſius Halicarnaſſeus: [c]) *οὕτω γε οὖν σεβαστόν τι πρᾶγμα, καὶ ἀμίαντον νενόμισται τὸ πιστὸν, ὥστε ὅρκον τε μέγιστον γενέσθαι τὴν ἰδίαν ἑκάστω πίστιν, iurisiurandi ſanctioris loco erat fides*, atque ſic inviolabilis. Ab iſta veneratione multa in contractibus poſitiua ſunt repetenda, maxime in cauſſis teſtium et fideiuſſorum. Loco apud nepotem: [d]) *homines ſibi conciliantur amiciores, ac numen facit cum his, qui fidem conſeruant.* attamen vbi tam neceſſaria eſt dictorum conuentorumque conſtantia, quam in debitis, quorum verbum quaſi proprium a Romanis noſcitur eſſe fides? eam vero non praeſtare, in fraudem creditoris, ſummum eſt ſcelus, pro magnitudine aeris petulanter conſumti luendum. Inſtat igitur recte Caecilius, et aliam legem ex tabulis, de falſo teſtimonio, opponit. quae, ſi non exoleuiſſet, *tam multos*, inquit, *mentituros pro teſtimonio non fuiſſe, quam videmus.* Poena ſtatuta fuerat, vt qui falſum teſtimonium dixiſſe conuictus eſſet, e ſaxo Tarpeio deiiceretur. De legum autem correctione ſapienter monuerat, *eas pro temporum moribus, rerumpublicarum generibus, vtilitatum praeſentium rationibus, vitiorum quibus medendum feruoribus, mutari atque flecti.* [e]) Vt ſic ad meliorem animi habitum comparatis ciuibus, remiſſum ſit quadantenus a prima delictorum medela, licet his creſcentibus de integro poena exaſperanda Caecilio iureconſulto ibidem videretur. Tertullianus, inter eccleſiae patres iuriſconſultiſſimus: *leges erant, iudicatos in partes ſecari a credi-*

c) II. antiqu. n. 100. d) in Ageſ. c. 2. e) leges conueniant ſtatui. Conring. §. XIX. de rat. ſtatus.

creditoribus. consensu tamen publico crudelitas erasa est, et in pudoris notam capitis poena conuersa est, bonorum adhibita proscriptione. vbi vide Desiderium Heraldum, interpretem apologetici, cap. quarto.

§. XLVIII.

EA LEX ALIIS MITIGATA. VARIAE DOCTORVM DE EIVS SENSV OPINIONES.

At neque statim requirebantur sine exceptione debitores, siue fidei ruptores, quos Itali *bancorottori* adpellant, a collegio mercatorio, insigni auctoritate munito, quorum inter creditores ex lege decemuirali sectio institueretur. Verba enim. AERIS CONFESSI. DEBITIQVE IVRE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO, quaeque sequuntur alia, aequum concedebant spatium, et gradus veluti, per quos ad libertatem consurgerent, si qui post finitam litem, et ante executionem, fideiuberent, aut pecunia mutuaticia expungerent nomina. Post haec duo menses pro laxamento erant: sed Iustinianus, [f]) nouo iure quattuor posuit mensium inducias, et debitori, et fideiussori, mandatoriue. Quare nec recordatur Caecilius, aut ex historia exemplum priuati allegat, qui vnquam sectus fuerit, adiudicatusve per partes creditoribus. quin per σεισάχθειαν, siue nouas tabulas, de iure nexi multum recesserat, de quibus supra paucis. [g]) Sicut autem has a Graecis acceperant, et contra malum foenebre successu non infelici vsurpauerant: ita forte et ius vitae necisque in fugientem debitorem, non aliter ac furem, a magistratu iudicatum, creditori permittebant. lege enim Attica occidere poterat quilibet exulem intra fines patriae. de qua Quintilianus agit in declamationibus, et ad illas Petrus AErodius, iureconsultus. [h]) Verum addit

f) l. vlt. C. de vsur. rei ind. g) §. XXI. h) declam. CCCV. p. m 455.

addit ille, neminem fore tam inhumanum, qui manu sua fieret carnifex, et lege abuteretur. Plerique ergo, legem hanc non ad vsum, sed ad terrorem esse comparatam voluerunt. Io. Mabillonius [i]) distinguit inter *sententiam* legis *comminatoriam* atque *decretoriam*, vt hinc Gregorii Magni imprecationem depositionis regiae, pro modestia pontificis excuset. et illam huc pertinere ait, nec aliorsum spectasse in tabulis Romanis. Libanius [k]) ex legislatorum prudentia, de mero patrum imperio in liberos: *εἶπον πολλάκις, ὅτι τοῦ νόμου φόβος ἐστὶ τὸ βούλημα, καὶ τοὺς νέους δεδοικέναι μὲν ἀξιοῖ τὴν ἐκβολὴν ἐπὶ τῷ σωφρονεῖν. dixi saepius, quod legis metus potius quam executio legislatori placuerit, ad liberos refrenandos.* Num vero tutum satis, et e re communi sit, quod legislatores in sanctionibus terrorem praecipue incutiant, neque certum exprimant castigationis modum, alibi disquirendum vberius. Ioannes Chrysostomus negat, ad comminandum ferri leges: [l]) *οὐδεὶς νομοθετῶν πρὸς ἀπειλὴν λέγει μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς σωφρονισμόν.* sed exaudiendus est de iis, quae vtplurimum accidunt. [m]) Plato ex aduerso legislatori commendat peculiare genus timoris, pudori affine, vnde contineantur animi subiectorum: *νομοθέτης ὤν, τοῦτον τὸν φόβον ἐν τιμῇ μεγίστῃ σέβει, καλῶν αἰδῶ.* Fuerunt adeo, qui legem nostram, de sectione hominis obaerati, corporaliter intelligendam haut esse iudicarent, sed ciuiliter, de publica bonorum distractione, qua fere debitor sub hasta, tristi praeconis voci subiiciebatur, aut substantia eius in certas portiones diuidebatur, vt hinc satisfieret creditori. Neque omni destituuntur ratione, cum in pandectis *corpus patrimonii* de integra hereditate saepius accipiatur. Vlpianus: [n]) *nec pretium rerum alienatarum*

i) I. de re diplom. c. IX. §. vlt. *k*) Decl. XXI. p. m. 536 *l*) in Ps. CX. *m*) ep. VII. p. m. 337. *n*) l. 25. ff. de hered. pet.

natarum in corpus patrimonii rediit Papinianus: [o]) *non videtur absumtum, quod in corpus patrimonii versum est.* Iulianus: [p]) *qui creditor, post corpus patrimonii, siue bona possessa, debitum suum recepit, hic in portionem vocandus, exaequandusque ceteris creditoribus.* Scaeuola: [q]) *cum hereditas patris,* idem quod corpus patrimonii, *aere alieno grauaretur, tutor effecit, vt creditores certa illius portione contenti essent.* Vnde quis colligeret facillime, nunquam fuisse in mente veterum, ex lege tabularum, corpus debitoris in tot portiones discerpendum fuisse, quot creditores fuerint. Annaeus Robertus [r]) hoc tuetur erudite, ac praeterea cum quibusdam sectorem facit eundem cum accusatore. Asconius Pedianus: [s]) *sector est aestimator, redemtorque bonorum damnati atque proscripti, qui spem sectans lucri bona omnia auctione vendit, et simul infert pecuniam vel aerario, vel sociis,* creditoribus nempe, qui ad portiones debitas legitime vocabantur. Glossae veteres: *sector,* ὁ ἀγοράζων τὴν ἐσίαν. Quaeritur, cur ab Asconio redemtor addatur, et quo significatu? non ambiguas rationes, de conductoribus, inferemus, quod sit explicatio haec probatu difficilior, neque conueniat intentioni scriptoris. sed aestimatorem, cum redemtore ita coniungimus, vt si corpus patrimonii ab aliquo fuerit aestimatum, redemtor posuerit statim pretium, quo sibi redimeret illud, nisi facta auctione quis maiora liciaretur. Verba: *secutus spem aestimationis suae:* a manu sunt glossographi, in contextum pridem adscripta. Ac sane iniquior etiam visa est sectio, siue patrimonii aut bonorum a suo possessore separatio, quod homines fuerint, qui ex alterius calamitate ditiores fieri optauerint, miseriae quotidianae ministri. De iis Ci-

o) l. 23. ff. de adim. legat. p) l. 6. ff. quae in fraud. cred. q) l. 59. ff. de adm. ac peric tut. r) II. rer. iudic. cap. 6. s) in III. Cic. de praetur. vrban.

Cicero: [t]) *Quid ais? vulgo occidebantur? per quos? et a quibus? nonne cogitas, te a sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus per ista tempora, eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum.* Quancunque igitur sententiam amplectaris, neutra tam est a moribus saeculi veteris remota, quin eam contra Fauorinum hodieque adstruas, et quae priscae legis iustitia sit, contra accusatores male affectos propugnes. Id praesertim vrget posteriorem, quod antiquissimi iuris interpretes verba tabularum, de sectione corporis, proprie acceperint, paucique sensum ciuilem ex nuperis praeferre maluerint. Sed progrediendum ad alia.

§. XLIX.

IVS XII. TABB. SEMPER IN HONORE FVIT.

Inter elogia, quibus celebratur, toto iuris corpore, Theodosiano codice, inque monumentis notae praestantioris, apud Graecos et Latinos, non reperies, legislationem decemuiralem vel adduci contemtim, vel reiici omnino. Quid post communem eloquentiae parentem statuerint de illa plerique omnes, vix erit operae nostrae, copiosius inquirere. Tolerabile non videtur, quod multi Iustinianum heic fingunt aduersarium, quasi in prooemio Institutionum, ius tabularum *antiquas fabulas* dixerit. Sed hi sunt, qui, parum gnari profundioris aeui, arripiunt, quae sibi primum sunt obuia. Imperator nihil sancitum lege maiorum spreuit, nihil cum vtilitate publica receptum olim, posuit inter fabulas, et inania deliramenta. Immo praefatione Latina ad Nouellam XVII. ait, *se reparare omnem iurisprudentiam, etiam deperditam.* Quomodo ergo tam honorifice potuisset ad tabulas prouocare alibi? sic per excellentiam ius tabularum adpellat *legem*, vt si *legitimam* successionem

t) pro Sext. Rosc. p. m. 27.

nem, tutelam, ex aetate ſua, vocisque natiua ſignificatione cognoſcere velimus, illuc reſpicere cogamur. *Legitimus* heres inde eſt, non fabularis, qui lege antiqua tabularum ſuccedit: *legitimus* tutor eſt, qui eadem lege vim acc pit et poteſtatem in capite libero, et ſi quae ſunt plura. Sic abſolute pariter *ius* audit, indeque *iuſtum tempus* eſt, quod XII tabulis definitum: *iuſta hereditas*, v) quae lege tabularum obuenit. Vlricus Huberus, x) vir elegantiſſime doctus, poſtquam fabulae nomen ex captu Romanorum tradidit, priſtinae iurisprudentiae ritus imaginarios eo refert, qui ſimillimi fabulis ac ſcenicis actibus erant. Iuſtinianus *ludibria antiquae ſubtilitatis* cognominat, ac tolli iubet, Lege vnica Codicis *de nudo iure Quiritium tollendo.* De his itaque, non de fonte iuris loquitur. quem vbi conſpexiſſet illimem, aut fabularum fordibus inquinatum, deriuaſſet nunquam ex eo tot riuulos, vtut hos purgauit ſubinde, quo fluerent alueo porrectiore. Nimirum poſt conſtitutas tabulas inualuerant mirificae formularum captiones, quas vſurpari decebat, cum ineptiis fori, quia praetermiſſae actum ciuilem vitiabant. Succeſſu autem temporis admodum vileſcebant, et quod iis multi abuterentur, inter dolos, artes et calumnias tabularum habebantur.

L.

PRAECIPVI XII. TABB. INTERPRETES.

Ad fata inſuper legum, et earum conſeruationem, merito pertinet interpretatio, quando interiiſſent alias multae, ſi abſque hac fuiſſet Iam ſicut Papirius regium ius praecipue tranſmiſit ad poſteros, atque hinc gloriam ſolidam adeptus eſt: ita tabulas non pauci veterum, ac recentiorum expoſuerunt. Conradus Rittershuſius, y) ἐν προλεγομένοις, data opera interpretes recenſet, quibus

v) l. 3. ff. pro ſocio §. 3. x) 1. obſerv. cap. IV. y) cap. VI.

bus contenti ſimus, additis tamen vel tribus adhuc ab ipſo omiſſis. Ex antiquis tertio loco Seruium Sulpicium [z]) indicat, cum quo Feſtus coniungit *Opilium* iureconſultum, et mox *Valerium Meſſalam, in XII. explanatione*, quorum nulla ibi mentio facta. Vtriusque notitia inter legum cultores intricatior. An forte Opilius eſt C. Aul. Ofilius, Seruii diſcipulus? de quo Pomponius noſter [a]) *is fuit Caeſari familiariſſimus, et libros de iure ciuili plurimos, et qui omnem partem operis fundarent, reliquit.* [b]) Verborum proprietati eum fuiſſe deditum nouimus ex Gaii tabularum expoſitione. Praeterea mutatio elementorum P atque F apud librarios per inſcitiam propriorum nominum facillima noſcitur. De Valerio Meſſala res non adeo expedita videtur, qui Auguſti aetate memoriam reddidit inclitam, praeclaris ingenii monumentis, in quibus vix legas, eum iuris cultu praecelluiſſe. M. Seneca [c]) ab ingenio laudat, in omnes ſtudiorum partes verſatili, et quod fuerit ſermonis patrii diligentiſſimus. Interim quae nobis A. Gellius [d]) fragmenta praeſtitit integra, maiora teſtantur, et quod augur, aliorumque munerum capax, ignorare ciuitatis ſuae leges non potuerit. Familia Sexti Aelii, qui librum *Tripertita* dictum, velut iuris cunabula perfecit in tabulas, eximie deſcribitur ab Henrico Noriſio, [e]) in *cenotaphiis Piſanis*, opere ſplendido, multoque labore facto. Nondum de eo inter doctos conuenit, quae ratio huius denominationis, in *iure Aeliano*. Sunt qui ad communem diuiſionem nos remittunt, quaſi ſacrum, publicum et priuatum complecteretur. Alii primo loco tabulas collocant, ſecundo earum commentarios, tertio legis actionem. In tanta caligine rerum nihil decernimus. Qui poſt Ritters-

z) Cato in Commentariis iuris ciuilis. Boſ. ad Att. ep. p. m. 207 a) l. 2. ff. de O. I. §. 22. b) l. 234 de V. S. §. 2. c) XII. Controu. d) XIII. Noct. c. XV. e) diſſert. III. p. 419. ſeqq.

tershusium id egerunt, et quos nec ipse nominauit, inter eos Paulus Merula atque Iac. Gothofredus, antiquioris doctrinae et legum antistites, inprimis eminent. Ille, Iusti Lipsii successor in academia Leidensi, magna perspicuitate versatus est in colligendis explicandisve decemuirorum legibus. Quidquid occurrebat vspiam, in scriptoribus priscis, ac vel nomen vel sensum iuris illius praeferebat, tanquam fidus interpres adduxit, inque ordinem redegit. Quidquid in marmoribus comparebat, aut lapidibus quibuscunque inscriptis, eadem industria conquisiuit. In laciniis prudentum veterum excutiendis, et cum tabulis comparandis, plane insignis est, vt gratiae debeantur multae his, qui nobile depositum orbi litterato restituerunt. Sed et quae supersunt, ab eodem ingenio, editioni matura, ne supprimant diutius, publice rogantur. Hic vero vnus instar omnium esto! nemo tanto iudicio digessit operas suas, et idoneis vbique documentis confirmauit. Nemo feliciori successu discernere valuit, quid in his sincerum, quid suspectum foret, aut superfluum. Nemo fiducia sui maiore pronunciauit de serie tabularum, quam tamen edicto perpetuo normam fecisse, multi in dubio relinquunt.

CAPVT

CAPVT V.

DE INTERPRETATIONE XII TABVLARVM QVIBVS ET QVATENVS LICITA ET QVAE EI ADNEXA.

SECT. I.

DE INTERPRETATIONE IPSA ET IVRE CIVILI.

§. LI.

NECESSITAS INTERPRETATIONIS, PLEBI ETIAM LICITAE EXEMPLO LEGIS SACRATAE ILLVSTRATAE, ET DISPVTATIONIS FORI.

Republica in formam aequalem tranquilliore mque ita restituta, ac legibus ex illius vsu firmatis, aliquantisper cessatum est a turbis patriae nec enim diu consternabatur, quando lex de consulatu rogaretur. plebi communicando. Ac licet bella cum finitimis diuerterent animos interdum, ne legum studio domi addicti res suas agerent; maior tamen pars, inque his praesertim seniores forum terebant. Neque soli deinceps patricii legis vim et naturam contemplabantur, aut, si dubitaretur de vera explicatione, respondebant. verum plebeii loco iam meliori censebantur, quod et ipsi legem condere possent, toti iam in prudentia ciuili occupati. Paucae enim leges, paucarum tabularum adspectu colebantur, quas velut vngues in digitis nouerant, vt quoties casus incideret, legem illi adplicarent. Quod autem nihil tam varium sit in vita, tam inexplicabile, quam hominis factum,

factum, si de iure quaeratur, plurima semper restabant, quae ex praeceptis communibus non tam perspicue illis occurrerent. Pomponius: *euenit naturaliter, vt prudentum interpretatio desideraretur, ac necessaria esset disputatio fori.* Quae verba, siue iureconsulti sint, siue interpolata manu alterius, non male cohaerent. Ratio disputationis assignatur duplex, non paucitas tantum, sed breuitas quoque legum. Plutarchus in Solone: [a]) λέγεται δὲ καὶ τὰς νόμους ἀσαφέστερον γράψας, καὶ πολλὰς ἀντιλήψεις ἔχοντας, αὐξῆσαι τὴν τῶν δικαστηρίων ἰσχύν. *simpliciter nimis, ac generatim scripserat leges, et sic per multas in sensu ambages iudicum auctoritatem stabiliuerat.* Non alia videtur sententia fuisse decemuirorum, qui ad se interpretationem pertinere volebant; vt enim breui et concinna scriptura placerent ciuibus, pleraque in legum administratione sibi reseruabant. Sed eam Horatius cos. lege sua impediuit. Memorabile interpretationis exemplum descripsit nobis Liuius, [b]) de potestate tribunicia inuiolabili, quae vetere iureiurando plebis, cum primum inciperet, id nacta est priuilegium. Quaestio supererat, an et aediles, decemuiri, iudices, eodem iure fruerentur? quippe sanctio legis Horatiae talis fuit; *vt qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset.* Ex his nullum sacrosanctum esse, interpretes affirmabant, sed potius eum, qui cuiquam istorum nocuerit, *sacrum sanciri.* Concesserunt itaque, magistratum quemcunque ex nominatis, si quid contra leges patrias admiserit, a magistratibus maioribus prehendi ducique posse. At qui nocuerit ipsis, capite puniri, siue sacrum fieri. Nobilium opinio fuit ista haut dubie, qui suos cum tribunis eximi cupiebant, numeroque sacrosanctorum inserere. Plebis iudicium praeualebat, solos intelligi tribunos, qui creati

a) p. m. 88. b) III, histor. c. LV.

creati essent ideo, munitique sacrata lege, contra omnem iniuriam, quod auxilium praestarent oppressis aduersum consules. Sacer vero dictus est homo, quem iudicauit populus ob maleficium, quemque immolari fas non erat, sed qui eum occidit, parricidii non damnatur, secundum Festum; qui adhuc subiungit: *quiuis homo malus, atque improbus, sacer adpellari solet.* Remansit vocis vsus ex lege Romulea, de fide patroni erga clientem: SI PATRONVS CLIENTI FRAVDEM FAXIT SACER ESTO. De fide seruanda iam egimus. A. Gellius: [c]) *omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus e parua origine ad tantae amplitudinis instar emicuit, sed omnium maxime fidem coluit, sanctamque habuit. Sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi, quam propinquos, tuendumque esse contra cognatos censuit. neque peius vllum facinus existimatum est, quam si cui probaretur, clientem derisui habuisse.* Sanctum in his videmus opponi sacro, quem Graeci μιαρὸν vocant, impurum, sceleftum, nec aliter execrabantur, ac si reus esset humanae caedis. Diis manibus ob facinus patratum consecratus, deuotusque, a quolibet impune occidendus, vt crimen expiaretur, nempe *sancti* violatio. Dionysius Halicarnasseus: [d]) ἀλόντα τῷ βελομένῳ κτείνειν ἦν ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός. *fas erat volenti sacrum deprehensum mactare, tanquam victimam Iouis inferni.* Idem est alias κάθαρμα, ἀνάθεμα, quod in magnis reipublicae calamitatibus obtinebat, cum pestis, bellum, fames grassaretur, vt eo ipso placarent iratum numen, ob delicta, quibus ab illo defecerant mortales, aut sanctitatem et religionem eius neglexerant. Nec praetermitti, debent, quae de interpretatione legum, deque veterum ac sui temporis ratione statuendi, eodem libro habet Livius

c) XX. Noct. cap. 1. conf. lib. IV. c. XIII. d) II. antiqu. n. 64.

vius: e) *nondum haec, quae nunc tenet saeculum, negligentia DEORVM venerat: nec interpretando sibi quisque iusiurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat.* Et hic locus de fori disputatione apud Romanos testatur, tabulis nondum conditis, an sacramenti religione ciues obligarentur consuli, in cuius verba non iurauere? Numa id praeceperat, breuique pectora omnium ea pietate imbuerat f), *vt fides ac iusiurandum, propulso legum ac poenarum metu, ciuitatem regerent;* id vero est, quod de maioribus tam impense praedicant Romani, apud eos plus valuisse bonos mores, quam leges, et cur priora saecula Florus adpellet *sancta.*

§. LII.

SVMMO IN HONORE SEMPER FVIT LEGVM INTERPRETATIO, AT SINE IVRISDICTIONE.

Ab initio nemo sensum legis vsumque demonstrabat, nisi probatus in actu rerum, integritate morum, et recti amore conspicuus; postmodum vero praeerant huic negotio formularum patroni, qui profana licentia detorquebant leges, et quorsum inclinarent, magna iniuria secum trahebant, contra fas piumque. Principum libido dicam, an saeuitia, accedebat, qui ob caussas minime graues, ad leuium hominum accusationem, quotidie maculabant sanguine terras, neque maturam duntaxat mortem pro beneficio imputabant, sed lenta et crudelia suppliciorum genera excogitabant, quibus conficerent sensim periuros, de quibus plura in historiae Augustae scriptoribus. Cicero de antiquis legum interpretibus: g) *cognitio iuris, atque interpretatio, summo in honore semper fuit quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt: nunc vt honores, vt omnes*

e) III. histor. c. 20. f) Liu. 1. histor. cap. 21. g) II. de offic. p. m. 383.

omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est. Respexit forte huc Forstnerus, interpres Taciti, [h]) memorabili annotatione de studio armorum: *Romae plerumque prouehebantur, non qui iustitia, quique vitae innocentia insignes; sed qui belli scientia praecellebant, et magnis negotiis pares erant. Quis Syllam aut Marium bene formatae reipublicae ciues dicat?* neque hinc ipse meretur virgulam censoris acrem, qui rei Romanae eum fuisse ignarum operose probat. Alibi [i]) rursum orator: *Ego memini summos fuisse in ciuitate nostra viros, qui ius interpretari populo et respondere soliti sunt.* Duplex autem erat modus, de iure consulentibus respondendi. Alii propter aetatem, res gestas, et honores perquam insignes, transuerso inambulabant foro, velut obuii et commu es iis, qui haerebant incerti, ac remedia sibi consulendi ignorabant. Alii confidebant domi, liberum facientes aditum cunctis, qui iuris legumque vim capere, caussaeque naturam intelligere, et quae vitanda, quae agenda, nosse volebant. Orator iterum: [k]) *est sine dubio domus iureconsulti totius oraculum ciuitatis. Testis est huiusce Q. Mucii ianua et vestibulum, quod in eius infirmissima valetudine, affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia ciuium ac summorum hominum splendore celebratur.* Vtrobique versabantur in iure solum, nec iurisdictionem quandam simul exercebant, quod nonnullis visum est. Interea certum habetur, neminem a latis tabularum legibus sustinuisse munus interpretis, quin antea vel iudex, vel magistratus in ciuitate, aut eximia dignitate praeditus fuerit. Quamuis enim leges perspicuae satis essent, et in verbis nihil occurreret perplexum, ratio tamen, leges accommodandi factis, potissimum illis patebat, qui forensi luce inclaruerant. Cicero igitur, quando per iocum scri-

h) ad IV. annal. p. m. 394. *i*) I. de Legibus p. m. 323.
k) I. de orat. p. m. 127.

fcribit; [l]) Aquillius iurauit morbum, et illud fuum *regnum iudiciale* oppofuit. priuatum iuris ftudium infinuat, quo nobiliffimi quique tenebantur, fedentes in atrio fuo, ac reddentes iura petentibus. Quo fenfu et alibi loquitur, optimus fori Romani interpres: [m]) *Priuata iudicia maximarum quidem rerum, in iurisconfultorum mihi videntur effe prudentia, nam et adfunt multum,* in medio fcilicet foro, *et adhibentur in confilio,* domi fuae: *et patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, haftas miniftrant.*

§. LIII.

HINC ORTVM IVS CIVILE ET DISPVTATIO FORI OPPOSITA LEGIBVS IPSIS.

Neque aliter euenire interdum poterat, quam vt iudices cum interpretibus legum pari fere paffu ambularent, quod praetores, aut alii, quibus hoc ius competebat, in dandis iudicibus et arbitris, interpretes maxime praeferrent, quippe iudicandi peritia, atque auctoritate publica munitos. Idem pro A. Cluentio: [n]) *legum miniftri, magiftratus: legum interpretes, iudices.* Verum aliud eft, iure magiftratus, aliud fpeciali mandato niti, et leges ad vfum transferre. Magiftratus populi fuffragio creabantur: hi vero a magiftratibus delegabantur. Illi fententias ferebant: hi arbitria, aut praeiudicia, in fententias tranfitura: magiftratus in ftatuendo vim habebat, nec impune fpernebatur: hi reiiciebantur, ante litem inchoatam, tanquam fufpecti, nulla particulari cauffa addita, quod *apertiffimi iuris effe* [o]) Iuftinianus pronunciat. Paucis ifta complectitur Sigonius [p]): *Vt autem iudicia alia priuata, alia publica, fic iudices alii rerum priuatarum,*

l) I. ad Attic. ep. I. m) Top. ad Trebat. p. m. 183. n) p. m. 277. o) l. 14. C. de iudic. p) lib. II. de antiquo iure ciu. Rom. cap. XVIII.

vatarum, alii publicarum fuerunt. ac priuatarum quidem recuperatores, iudices, centumuiri: publicarum, qui proprie iudices sunt adpellati. Praeterea vero vt in litibus priuatis iudices a magistratu, penes quem iurisdictio erat, dabantur: sic in caussis publicis a magistratu, qui quaestioni praeesset, et quidem ex eo numero, qui selecti dicebantur. Vbi adhuc nota, recuperatores de facto inquisiuisse, inprimis quando sponsione certaretur, ideoque cognitores potius adpellandos esse: iudices ex aduerso de iure solliciti erant. Illi a senatu populoque, in criminalibus praecipue, disceptatores constituti: hi a praetoribus, itemque praesidibus in caussa ciuili denominati litigatoribus. Institutum hoc antiquissimum ex Isocrate nouimus: q) *οὕτω γὰρ βεβίωκα τὸν παρελθόντα χρόνον. ὥστε μηδένα μοι πώποτε μηδ' ἐν ὀλιγαρχίᾳ, μηδ' ἐν δημοκρατίᾳ, μήτε ὕβριν, μήτε ἀδικίαν ἐγκαλέσαι· μηδ' εἶναι μήτε δικαστὴν, μήτε διαιτητὴν, ὅστις περὶ τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων Φανήσεται κριτὴς γεγενημένος. Sic vixi, vt nemo vnquam vel in oligarchia, vel in democratia, me vllius vel contumeliae, vel iniuriae accusarit: neque iudex, neque arbiter fuerit, qui de meis actionibus vnquam pronunciauerit quidquam.* A Graecis mos ita versandi in iure hauddubie peruenit ad Romanos, quod legibus patrocinetur, et hominum actiones ad aequitatem reducat. Perdurauit in libertate, ac sub imperatoribus etiam, licet vario vsurpandi modo, donec munus hoc sanctione Diocletiani et Maximiani, ad pedaneos, r) *χαμαιδικαστὰς*, propter maiores occupationes magistratuum, deuolueretur. Iustinianus veterum exemplo *διαιτητὰς* vocat, et legum pariter illos vult esse peritos, quod a maiorum sapientia longius digressi adsessorum tantum fidei prudentiaeque sese committerent. *οὐδὲ γὰρ ᾠήθημεν χρῆναι*

 ἔχειν

q) de permutat. p. m. 315. r) l. 2. C. de pedan. iudic. Novell. LXXXII. in praefat. conf. Vales ad Harp. voc. *διαιτητης*.

ἔχειν δικαςῶν τινας ὀνόματα, μάλιςα μὲν νόμων ἀνεπιςήμονας, ἔπειτα δὲ ἐδὲ πραγμάτων ἐντυχȣ́ντας πεῖραν· Lampridius in Alexandro: [s]) *Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit: quamuis ſaepe dixerit, eos eſſe promouendos, qui per ſe rempublicam gerere poſſent, non per aſſeſſores.* Sed neque vltimis hiſce temporibus Imperatorum, exiſtimaret quis, tanta iudicum ignorantia forum inuaſit, cum iam Ciceronis aeuo, praeter iudices, in conſilium adſumerentur iurisconſulti, quod in cauſſa P. Quintii adparet, qui contra Sex. Nauium nactus iudicem C. Aquillium, tres inſuper prudentiſſimos viros, L. Lucullum, P. Quintilium et M. Marcellum aduocauit, ſibi profuturos in dubio rei ſtatu. Sed intereſt plurimum. Qui hoc loco acceſſere, conſilii nomine, ſedebant iniurati: qui in foris erant ſub Iuſtiniano, ſanctiore vinculo adſtringebantur omnes. Et quis in Aquillio maiora deſideraret. cui *regnum iudiciale*, cum elogio, noſter ſuperius adſignauit? Hi igitur non alio fine interfuerunt cauſſae tractationi, quam vt interpretes conſulti, legum iurisque normam demonſtrarent, controuerſa et ambigua componerent, ad id, quod aequius melius, imp lerent diſſidentes, ac litem [t]) abſoluerent maturius. Ludouicus Viues: [v]) *Plane in hunc vſum paratos olim apud innocentius illud ſaeculum prius iureconſultos arbitror. vt lites quam citiſſime prudentia ſua dirimerent. Id quod puer paene audiuiſſe me de Henrico Marco, auunculo meo memini, cum acutiſſimus ille iurisperitus Iuſtiniani Caeſaris inſtitutiones in patria mihi praelegeret.* Loquitur de primis ab legislatione decemuirali temporibus, quibus conquieſcebant inuicem, ac iure ſuo fruebantur, vsque ad dictaturam Sullae adque triumuirorum in vrbe conſternationem. Tunc enim non iure magis, quam poteſtate res

s) cap. XLVI. t) A. Gell. XII. Noct. cap. XIII. v) ad lib. XIX. Auguſtin. de C. D. cap. XXI.

res administrabantur. Velleius: [x]) *hoc initium in vrbe Roma ciuilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior.* Non ita legum dememinerant maiores. Illae vt ex genio et simplicitate populi aestimantur, sic interpretatio similiter hinc dignoscitur aequissima. Regula est: pro moribus variant leges, earumque interpretatio. Postquam vero crescerent opes, et cum his plus ardor habendi, disputatio fori simul creuit, et multa sunt ad certam formam traducta, quae antea videbantur incognita. Vsucapio lege tabularum coeperat: VSVS AVCTORITAS FVNDI BIENNIVM: CETERARVM ANNVVS ESTO. qua ipsa rerum corporalium dominia suis possessoribus concedebantur. Quando tamen mox essent, qui certis iuribus gauderent, lege non expressis, tanquam incorporalibus, quaestio oriebatur, an et horum foret vsucapio? suadebat ratio, et aequitas. *in paribus caussis, paria iura valere* nam ibi vera caussa est, legitimum spatium possessionis, quo exacto res vsucapitur: heic ex usu diuturni temporis aeque redditur securus, si quis ei litem mouerit. Cicero: [y]) *fundus a patre relinqui potest: at vsucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis, et periculi litium, non a patre, sed a legibus relinquitur: aquae ductus, haustus, via, iter, actus a patre; sed rata auctoritas harum rerum a iure ciuili sumitur.* In his leges tabularum a iure ciuili, siue interpretatione prudentum, diligenter secerni, et inuicem sibi opponi videmus. Idem de officiis, et alibi saepius: [z]) *De iure quidem praediorum, sancitum est apud nos iure ciuili, vt in his vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam cum ex XII. tabulis satis esset cautum, ea praestari, quae essent LINGVA NVNCVPATA. quae qui infìciatus esset, dupli poenam subiret:*

L 4

x) II. histor. cap. 3. y) pro Caecina p. m. 237. z) lib. III. p. m. 396.

ſubiret: a iureconſultis etiam reticentiae poena conſtituta eſt. Paullo poſt de vitando dolo: *hoc quanquam video propter deprauationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri, aut iure ciuili.* Theophilus [a]) pariter, interpres eruditiſſimus, *νόμους*, item *ἔννομα*, diſtinguit a *νομοθεσίᾳ πολιτικῇ*, *τῶν σοφῶν νομοθεσίᾳ*, prudentium auctoritate, in ſtatu nempe libero. Cumque nomen iſti peculiare non inuenirent, quo ſeruitutes et alia iura, verae poſſeſſionis expertia, lege decemuirali ſubiicerent, ſub titulo vſucapionis impropriae, vel quaſi, illa admiſerunt. Vt adeo res ipſa paene ſit coaeua tabulis, adpellatio certa ſaltem aetate poſterior. Qui deinceps vixere, *praeſcriptionis* vocabulo ſunt vſi, neque patet omnino, quis vſurpauerit primus. M. Aur. Galuanus, [b]) et cum illo Io. Strauchius, [c]) arbitrantur, ſub Adriano Imperatore, vel poſt eius aeuum innotuiſſe. Alexander III. altius [d]) repetit originem: *Epheſinus*, inquit, *legislator ſolum propter vitandam miſerorum ſegnitiem, et longi temporis errorem, atque confuſionem, primus tricennali vel quadragenali praeſcriptioni vigorem impoſuit.* Guilielm. Maranus [e]) Hermodorum ſuum heic impenſe laudat, et ab eo praeſcriptionis iura manaſſe contendit: Ant. Auguſtinum contra reprehendit, quod papam ea in re mendoſum, ineptum ac ridiculum deſcripſerit. Vereor autem, vt quidquam ſolidi afferat. Budaeus ex Demoſthene [f]) *δίκην παραγραφῆς* efformat, iis permotus verbis in oratione *κατὰ Μειδίου*: *Δημοσθένει δὲ τὴν γραφὴν τοῦ φόνου παραγράψασθαι*, quaſi dixerit, *μεταβιβάσαι*. et praeſcriptionem per exceptionem, translationemue declarat, voces in foro vſitatiſſimas: conferatur Adrianus Turnebus ad III. Quintiliani *Inſtitutio-*

num

a) Inſt. de offic. iud. ab init. *b*) cap. XI. de vſufr. n. VII. *c*) Diſſert. IIX. Iur. vniuerſ. §. XX. *d*) X. de praeſcript. c. V. p. m. 308. *e*) Comment. alt. de aequit. p. m. 29. *f*) Comment. Graec. L. p. m. 67.

num Orat cap. VI. De sententia huius vsucapio idem esset ac tuta aduersus intentionem litigantis de possessione exceptio, velut praescriberet aut praedominaretur is, qui biennio amplius possedisset. Qualiscunque demum sensus, quod verbum obtineat, parum interest, si de iure ipso constet, quod ciuili interpretatione natum.

§. LIV.

LEGES AC IVS CIVILE ROMANI EXCOLVERVNT A PVERO.

Non addimus explicatiora in argumento simili, admirati praecipue Romanorum in tanta saeculorum barbarie prudentiam singularem, quorsum vt perducerent suos, educationem castigatissimam praecepere. Aristoteles: [g]) *μέγιστον δὲ πάντων τῶν εἰρημένων, πρὸς τὸ διαμένειν τὰς πολιτείας, τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας, apte ad respublicas institui, maximum est momentum ad conseruandas eas.* A puero nostri consueuerant erudire meliores quos patriae fore vtiles, indiciis haut fallacibus augurabantur. Negotio isti praeerant minime homines mercede conducti, rerum gerendarum imperiti, quique discere adhuc poterant diu, quod aliis monstrarent; sed vel parentes ipsi, vel nobilissimi in familia, praestabant id ciuitati, quo succrescerent eadem stirpe, exempla maiorum superaturi. Cicero Lentulo procos. [h]) *filium, eximia spe, summae virtutis adolescentem, cum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias; nulla enim erit hac praestantior disciplina.* Post sumtam togam, praetexta deposita, anno circiter sexto decimo confecto, a magistris digressi, vna cum parentibus prodierunt in forum: a parentibus mox transierunt ad claros viros, vel vt ius ciuile, aut eloquentiam discerent, vel etiam vt eorum sermo-

g) V. Polit. cap. IX. h) I. ad fam. ep. VII.

sermonibus et consuetudine prudentiores fierent. [i]) Idem: *Facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublicae contulerunt, quibus cum si frequentes sunt, opinionem adferunt populo, eorum se fore similes, quos sibi delegerunt ipsi ad imitandum.* Nihil efficacius hac proficiendi ratione excogitabitur, nihil ad priuata incrementa, et publica ornatius. Cicerone teste vtor libentissime, quod maiores non praefert solum, sed et more illorum praecipit. [k]) *A paruis, Quincte, didicimus,* SI IN IVS VOCAT, *et eiusmodi leges alias nominare.* Quibus docet studiorum primordia fuisse a legibus. Neque magis necessarium adparet quidquam, ad honestum animum induendum, prae iuris legumque peritia. Ex quo adoleuerat, nixus praesidiis, foro suffecturis, adsectabatur Scaeuolam iureconsultum. Ita ipse praefatione ad Laelium, siue librum de amicitia: *Ego a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, sumta virili toga, vt, quoad possem, ac mihi liceret, a senis latere nunquam discederem. itaque multa ab eo prudenter disputata, multa breuiter, et commode dicta, memoriae mandabam, fierique studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scaeuolam contuli; quem vnum nostrae ciuitatis et ingenio, et industria praestantissimum audeo dicere.* Plutarchus: [l]) ἅμα δὲ τοῖς περὶ μέκιον ἀνδράσι συνὼν πολιτικοῖς καὶ πρωτεύουσι τῆς βουλῆς, εἰς ἐμπειρίαν τῶν νόμων ὠφελεῖτο. *Simul Mucium Scaeuolam adjectatus est iurisconsultum, et principem senatus, a quo legum peritiam hausit.* vbi rursum verba sunt admodum notabilia, *multa prudenter ab eo disputata, multa breuiter, et commode dicta, memoriae mandabam;* quia secretior tunc habebatur ars interpretandi leges, nec scripto continebatur. In familiis quasi erat,

i) II. de offic. p. m. 380. *k*) II. de legibus p. m. 335. *l*) in Cicer. p. m. 861.

erat, et a parentibus vel cognatis tansmittebant ad posteros, qui illa ipsa sustentabantur, et in existimatione publica erant, quique ad consultationem clientum praeiudicia suggerebant, ac sententias ex interpretatatione huc vsque receptas, vsuque communi probatas. Hinc refertur, quid interdum ad consuetudinem, ad mores: nec aliter intelligi possunt loca quaedam, in legibus obuia. Pomponius: m) *haec disputatio, et hoc ius, sine scripto venit, compositum a prudentibus.* Sic de pupillari substitutione: *moribus institutum est, vt cum eius aetatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant,* tanquam dixisset, iure ciuili, sine prudentum auctoritate inualuit. quin pro regula plurimis in ore: consuetudo aut ex prudentum legali expositione proficiscitur, aut ex confirmatione actuum, a iuris ratione non abhorrentium. Cicero in comparatione: n) *haec habemus in XII. sane secundum naturam: quae norma legis est. Reliqua sunt in more.* Postquam autem Romani satis diu adhaesissent optimo cuiuis, prudentiae tyrocinia in foro deponebant, et vel accusabant vel defendebant magnos homines. Modus hic erat inclarescendi praecipuus. Sic L. Crassus C. Carbonem consularem, sic M. Coelius C. Antonium consularem, sic Cicero C. Verrem praetorium, reos fecerant, actione contra illos petita. Cicero: o) *L. Crassus cum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipsi peperit maximam laudem, ex illa accusatione nobili et gloriosa, et qua aetate qui exercentur laudibus affici solent.* P. Manutius p) id gloriosum fuisse statuit propterea, quod qui ab aliis rationem vitae reposceret, is legem sibi ipsi innocentiae, continentiae, virtutumque omnium indicere videre-

m) §. Liberis Inst. de pup. subst. n) II. de Legibus p. 341. o) II. de offic. p. m, 380. p) ad Lib. IIX. Cic. fam. ep. VI.

videretur. Vitio sane careat oportet, qui paratus est in alium dicere, veterum praecepto.

§. LV.

DE MEDIA IVRISPRVDENTIA. VBI ZASII SENTENTIA EXAMINATVR.

Quomodo tandem factum sit, vt prudentum interpretatio, iuris nomen ac vim obtinuerit, porro exsequamur. Iustinianus q) *mediam* vocat *iurisprudentiam, quae erat quidem lege duodecim tabularum iunior, imperiali autem dispositione anterior.* Primordia iuris a regibus capit, quare quidquid inter hoc et Imperatores interiacet, medium vtique est, sensu et verbis in contextu luculentissimis. Vdalricus Zasius diuisione temporum ab his aliena vtitur. r) *Adaequatio legatorum et fideicommissorum facta est per mediam iurisprudentiam, notante glossa. Ea erat florida iurisconsultorum aetas, cum exuberarent. Sed quia incidimus in mediam iurisperitiam, Doctores circa ista tempora variant. Aliqui ponunt tres aetates circa iurisprudentiam. Bartolus heic ponit quattuor. Tu dic perfectius, circa iurisprudentiam primo considerari tempora regum. Alia fuerunt tempora a lege XII tabularum. Ista dicitur apud nos vetustissima iurisprudentia: et in ea aetate vel classe fuerunt Sex. Manilius, Brutus, Cato, Coruncanus, Sempronius, et si qui sunt similes. Haec tempora durauerunt vsque ad tempus Seruii Sulpitii et Ciceronis: tunc primum coeperunt generales doctrinas scribere iureconsulti, et ius digerere, cum antehac particularia tantum scriberentur, vt dicit M. Tullius de oratore ad Brutum. Haec aetas durauit vsque ad tempora Traiani, et potest nominari veterior iurisprudentia. Deinde successit foetura iurisconsultorum Pauli, Papiniani, Vlpiani. Ista est media*

q) §. 3. Instit. de leg. agnat. success. r) Comment. super infort. de legat. p. m. 279.

dia iurisprudentia, quae durauit vsque ad tempora Iuſtiniani, vel verius vsque ad tempora, quo infelix barbaries omnia obduxit. A Iuſtiniano vsque nunc nominamus nouiſſimam iurisprudentiam. Et iſta ſunt nobis [illegible]*nda, quia non ſic a Doctoribus traduntur.* Mira Scaeuolae huius Germanici ſollicitudo in aetatibus legum, et fatis diſcernendis: mira ingenii fiducia, qua vir ſtudio et doctrina maximus iubet, pro auctoritate ſua, tenere iuniores, quae veritate ſalua teneri nequeunt. Perfectiora inculcat, quae talia ſunt minime; itemque neminem ait inter iuris peritos haec antea tradidiſſe. Sed nec tradere volebant, aut per meliora ducti, haec docere vix poterant. Interualla deſcribit plura, neque ea male diſtinxit, quando autem mediam iurisprudentiam paullo ante Iuſtiniani aeuum collocat ſibi ipſi et verbis Imperatoris aduerſatur. Qui tres aetates ſtatuunt, ratione numeri lociue mediam recte putant illam, quae vtrinque habet extrema. Bartoli diuiſio huic inſtituto plane non quadrat, niſi duas aetates pro vna ſuſcipiamus, quod perinde abſonum, neque adeo neceſſarium in praeſenti argumento. Regia quidem tempora, conſulum ac decemuirorum, mox Imperatorum, ac denique fata ſub barbaris, donec reſtituta ſplendori natiuo iurisprudentia, prodiret in forum orbis paene terrarum, abſoluunt periodos fatales. Sed in his vbi *media iurisprudentia*, de ſententia Iuſtiniani? Zaſius igitur quamuis perfectiora demonſtret, ex aetatum varietate, illas tamen nec deſcribit vere, nec mediam, de qua ſollicitus erat, ex indole ſaeculi, et prudentum captu, citra dubitandi formidinem adſignat. Quam enim *vetuſtiſſimam* adpellat iurisprudentiam, quamque *veteriorem*, non reperies ab vllo veterum ita nominari, inprimis autem, poſt veteriorem, quando *mediam* ponit, ac huius tempora ad inuaſiones Gothorum, ac Longobardorum profert, eam verius *vltimam* dixerimus. Nihil in tota ſerie occurrit, quod firmum ſententiae robur.

bur conciliet. Nihil ex legum et historiae monumentis praesto est. Describit eam *floridam iurisconsultorum aetatem, cum exuberarent.* item per *foeturam prudentum,* ac laudat magna nomina Pauli, Papiniani, Vlpiani, quasi pro morum ac temporum habitu tales olim non exstiterint. Solos triumuiris istis Mucios opponamus, ex consulari aeuo, tribunicia, pontificia iuxta et praetoria dignitate conspicuos, iuris auctores merito, et doctrina inclitos. Inter hos P. Mucius, eiusque filius Q. Mucius, paullo ante Ciceronis aeuum praecelluere. [s]) Ita enim ille: *quorum patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis student excellere, vt Q. Mucius, P. filius, in iure ciuili, Paulli filius Africanus, in re militari,* ex quibus Muciae gentis famam apud maiores, et opinionem honestam de iurisprudentia, liquido cognoscimus. Altero libro idem: [t]) ***P. Rutilii adolescentiam, ad opinionem et innocentiae, et iuris scientiae, P. Mucii commendauit domus.*** Quis Rutilius fuerit, pro C. Rabirio tradit, ***Romanis documentum virtutis, antiquitatis, prudentiae.*** [v]) ibidem: ***Duos Mucios, quorum in hac ciuitate longe maxima consilia, atque ingenia fuerunt, defendimus.*** Veras profert laudes Tullius, et studia horum aetate sua non minora praedicat, quam forte trium fuere illorum sub principibus. Iam vero, vt reuertamur ad propositum Q. Mucius Scaeuola, testificante Pomponio, *ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo.* [x]) Quamuis antea monstrauerat, id ipsum egisse P. Mucium, decem libris, Brutum vero septem, Manilium tribus voluminibus, de iure ciuili scriptis. Pontificibus enim hoc ab initio rerum Romanarum datum est, memorabilia consignare litteris, quae domi bellique gererentur, in primis

s) I. de offic. p. m. 367. *t)* II. de offic. p. m. 380. *v)* p. m. 314. *x)* §. 42. ff. de Orig. Iur.

mis autem fori iustitiaeque rationem habere. Dionysius Halicarnassensis [y]) arbitria regum, et consulum, nobilium praeiudicia, ἐν ἱεροῖς βίβλοις ἀποκείμενα, νόμων δύναμιν ἔχοντα, *in sacris libris adseruata, legumque vi munita*, describit. Liuius, C. Flauium ius ciuile repositum in penetralibus Pontificum, euulgasse ait, manifesto exemplo, collegium sacerdotale sententias interpretum, nactas vim iudicati, obseruasse diligenter.

§. LVI.

IVS CIVILE ET MEDIA IVRISPRVDENTIA IDEM. MVCIORVM DE EA MERITA.

Ius ciuile, cum iurisprudentia media idem esse, docet praeclare M. Aur. Galuanus, *de vsufructu* capite primo quadragesimo. Vt adeo siue ad patrem respiciamus, siue ad filium, in familia Mucia, magna et varia per illos incrementa iuri ciuili accesserint. Ille fundamenta iecit, hic operis totius ornamenta gloriamque consummauit. Et videtur omnino, si verba Pomponii retinemus, Publius iuris argumenta certis adscripsisse libris, aut sub genera duntaxat certa, siue titulos reuocasse. ea quippe demonstrat Cicero, [z]) quod plures complectantur partes communione quadam sui similes, specie autem differentes: partes autem sunt, quae generibus, ex quibus emanant, subiiciuntur. Membra quoque orator, nos hodie titulos adpellaremus. Dispofuit ergo parens, cum aequalibus, Quintus filius, et ad plenum corpus eduxit ius ciuile, vtut Cicero non pauca desideret adhuc, et formam artis pleniorem ostendat. An Pomponius, ἐν βιβλίοις τριάκοντα ἐννέα. libris triginta nouem lectionum, ad Quintum Mucium, perfecerit maiora, per communia deperditorum fata, nec hariolari possumus. Super-

y) antiqu. n. 463. IX. histor. c. XLVI. z) I. de orat. p. m. 126.

Supereſt ab eodem in legibus Romanorum *cautio Muciana*, cuius vis in conditionibus exſerit ſeſe, quae in non faciendo conſiſtunt. Iuſtinianus: [a]) Κουίντος Μάκιος Σκαιουόλας προνομοθετήσας ἐτύγχανεν ἐπὶ πάντων δὴ τῶν ἠρτημένων εἰς τὰς τῶν πραγμάτων κωλύσεις, τὰς τοιαύτας ἐπινοήσας ἀσφαλείας. Quo tempore conſtitutio haec facta eſt, et Muciii et Pomponii monumenta habebantur integra, vt ſic mirum non ſit, tam ſignate cautionem Quinto tribui. Ad huius exemplum deinde alias introductas eſſe cautiones, non nemo ſcribit de iuriſperitis: verum haut fugiebat illum, quod pro Murena, et alibi, pronunciat Cicero, vrbanam militiam, ſiue interpretandi munus, a conditis ſtatim tabulis, *reſpondendi, ſcribendi, et cauendi neceſſitate* conſtare. Iſta cautio proinde, cum inuentore, propter ſingularem vſum celebratur, licet iam plures in foro adhiberentur, non tamen eo fine excogitatae, tanquam remedia iuris validiora. Si quibus vberiora de Muciana prudentia, eius hereditaria velut ſucceſſione, ac de hoc praeſertim cauendi modo, curae ſunt, Franc. Balduini *Iurisprudentiam Mucianam* euoluat, et allata hactenus eximie confirmata ſentiet. nos delibato ſaltem iure ciuili, atque cum media iurisprudentia conciliato, quaeſtioni tandem ſatisfaciemus. Imperator, de legitima patronorum tutela: *ſic vocatur, non quia nominatim lege tabularum de ea caueatur: ſed quia perinde accepta eſt, per interpretationem, ac ſi verbis legis introducta eſſet.* Rationem ex aequitate petit, cum plerumque, vbi ſucceſſionis emolumentum eſt, ibi quoque tutelae onus eſſe debeat quibus principia iuris ciuilis, ſiue interpretationis prudentum, ex natura ipſa manaſſe prodit, ita tamen vt haec ex lege fluat, cum ea proxime conueniat, aut eadem eſſe cenſeatur, nec aliter, *ac ſi verbis legum introduceretur,*

a) Nou. XXII. cap. XLIII.

tur, secundum textum nostrum. Interpretationem Cicero [b]) *disciplinam iuris* dicit, eamque non ex XII. tabulis, non ex edicto praetorum, sed *ex intima philosophia, ipsa hominum natura*, ex aequitatis cultu, hauriendam esse iubet: qui aliter ius tradant, litigandi, non iuris vias tradere. Et quamuis illa fere spectet ad tabulas, nemo tamen ambiget, ad leges deinceps latas etiam pertinere, ad omnes nimirum, quae sunt imperiali dispositione [c]) anteriores, vnde media iurisprudentia nata fuit.

§. LVII.

PRVDENTVM AVCTORITAS. DISPVTATIO FORI.

Auctoritas, a populo semel concessa, leges interpretandi, per successores frequentabatur semper, vt quod propter aequitatem, adsensu publico nitebatur, id ius ciuile reputaretur, quasi inesset legibus, vnde proficiscebatur. In commentis aeui recentioris legitur saepius: *doctorum opiniones valeant secundum leges, in quibus sese fundant.* Qui regulas iuris, de interpretatione factas, propius inspiciunt, ex maiorum institutis prodiisse intelligent, itemque ciuilis iurisprudentiae, postquam iuris nomine praeuolui, interpretationem adhuc dari sed non vltra verba solennia, quae sunt positiua: vt sic duplex noscenda veniat, altera benignior, quae superstruitur naturali aequitati: altera stricti iuris. De illa Aristoteles: [d]) de hac Celsus. [e]) Moribus adeo coepit obseruari in iudiciis, moribus increuit, quod in casibus obuiis aequiora non paterent, vsque dum haec auctoritate plena vigeret. Siue igitur singulorum, domi consultorum, siue plurium, in coetu quasi disputantium, interpretatio spectetur, vbi consentirent parte maiore, sententiae veritas hinc oriebatur. Fuisse autem Romae, ad Apollinis tem-

b) I. de leg. p. m. 324. *c*) §. 3. Inst. de legit. agn. success. *d*) V. Ethic. X. *e*) l. XCIX. ff. de V. O.

templum, antiquiſſimis temporibus, concilium aliquod iuris peritorum, qui in commune conſulerent, ac rogantibus leges iuraque interpretarentur, docti ex Iuuenalis ſcholiaſte [f]) notant, vbi explicat verba poetae: *iurisque peritus Apollo.* Ex quibus inſuper patet inſigne elogium prudentum, quo *ſacerdotes Themidos, iuſtitiae, ac iuris antiſtites* iam olim celebrantur. Iac. Raeuardus, [g]) *de auctoritate prudentum*, inque commentario, *ad regulas iuris*, quoties cunque grauis et perplexa iuris quaeſtio incideret fori diſputationem inſtitutam, ac inreconſultos congregatos fuiſſe opinatur, quorum deciſione communi atque publica. *ius ciuile. ius receptum, ſententia recepta, et regula iuris*, deinceps extiterit Sed in his multa opus eſt diſcretione. Integrum aliquod collegium, ſiue ſolennis prudentum congregatio, non fuit ſtatim a decemuirorum aetate inſtaurata. Auctoritas quoque iuris condendi, definitione communi, nec ipſis conceſſa. quin repugnat noſtro tacita conſenſio, quae moribus aut per conſuetudinem obtinuit. Acceſſit tandem interpretationi veterum iureconſultorum, maximum robur a praetorum adprobatione, qui ex vſu hominum, aut hodierna dicendi forma, obſeruantia fori, velut ſuffragio populi, id quod huic videretur ex iure ciuili gratum acceptumue in edicta receperunt. Orator de inuentione: [h]) *conſuetudinis ius eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobauit.* Imperator: [i]) *paullatim ex vſu hominum, in vnam conſonantiam ius ciuile, et praetorium iungitur.* Idem [k]) vocat ius ciuile, *ius vetus.* Quod ex Theophilo [l]) quoque nouimus, de praetorio confirmatione. *οὐκ ἔστι δὲ δυσχερὴς, οὐδὲ φιλόνεικος ὁ πραίτωρ· ἡνίκα γὰρ ἤδη τὸ πολιτικὸν εὐδοκιμοῦν. τότε οὐδὲ*

ἐπὶ

f) Satyra I. v. 128. *g)* cap. XIV. p. m. 1031. it. 125. *h)* lib. II. p. m. 89. *i)* §. 3. Inſt. de teſtam. ord. *k)* §. 1. Inſtit. de Bon poſſ. *l)* Theoph. p. m. 441.

ἐπὶ διορθώσει, οὐδὲ ἐπὶ ἐναντιώσει, ἀλλὰ μᾶλλον ἐπὶ βεβαιώσει τίθησι τὴν ἰδίαν νομοθεσίαν. Quae de praetoria maiestate alias in augendo iure addi mereantur, infra commodius forte explicabuntur.

§. LVIII.

VETERVM CVM GLOSSATORVM INTERPRETATIONE COMPARATA.

Facit recordatio priscae disputationis in foro, vt, quae longe diuersa successit prioribus saeculis glossarum auctoritas, immanis, quod saepius contra legis rationem, et aequitatem, ideoque intolerabilis, describatur paucis. M. Aur. Galuanus, m) vehementius in Bulgarum inuehitur, quod barbaris inhumanior, integrum abstulerit vsumfructum vxori, *et tamen*, inquit, *viget etiamnum ac volitat passim in foris ista consuetudo, quasi de iure ipso et aequitate triumphans. Ego veteribus interpretibus plurimum esse tribuendum semper existimaui, cum hi tanquam praelucentes faces illuxerint iurisprudentiae; atqui, vt auctoritati et rationi iuris praeferantur, ferre non possum. Quamobrem etiam atque etiam eos obtestor, apud quos Bulgari sententia adhuc vim legis scriptae, vel non scriptae, non obtinuit, vt eius momenta penitius examinent, neque facile patiantur legum maiestatem coeco aequitatis arbitrio conuelli, cuius praetextu perniciose errari quandoque dixit Celsus apud Paulum.* n) Idem de glossis ἐν πλάτει queritur Raphael Fulgosius: *in iudiciis malim glossatoris auctoritatem pro me habere, quam textum; quia dicit ille, qui est in medio: credis tu, quod glossa non viderit textum illum, et non ita bene intellexerit, sicut tu.* Magna vtrinque conuenientia, siue interpretationem iuris, et adplicationem ad casus multiplices, siue vsum et receptionem in

M 2

m) cap. XXIV. de vsufr. n) l. 91. ff. de verb. obl. Fulgos. ad l. 3. C. comm. diuid.

in iudiciis contemplemur. Ibi nemo interpretari leges poterat, nisi praeluxisset honore magistratus, et ciuili experientia caussarum: heic principum ac rerumpublicarum senatores, academici doctores, viri plerique summi eminent. Romanorum iudices, contenti fida legis et aequa expositione, licet ad verba iuris concepta factum non plene quadraret: Italiae tribunalia glossis perinde addicebantur, iisque in maximis negotiis vim iuris tribuebant. Antiquum ius ciuile tabulis derogabat: glossae pariter ipsis legum verbis et contextui praeferuntur. Differunt in hoc praecipue, quod olim paucioribus datis legibus, extensione opus foret, inque dubiis sapientum responsis: postquam autem ciuitas laborare coepit multitudine legum, quibus lites deciderentur ciuiles, satis erat illas dextre accommodare. Verum isti denique luci tenebras offuderunt, atque spinis circumsepserunt rosas, homines prope nati actionibus contorquendis et legibus, non euoluendis: vnde mox pabulum, et humor deprauatus, alendae forensi altercationi fluxit. Alia veterum indoles, alius iustitiae cultus, ex simplicitate, ac priuatorum commodis aestimandus. Illi iustitiae, siue verae non simulatae philosophiae sectatores externo viuendi habitu graues, inculpati, sancti, professione aequitatis veritatisque venerabiles. Glossatores ex argutiis magni faciendi, de quibus, vbi peruentum fuerit ad nostra tempora, acturi sumus pluribus; interim comparatione quadantenus vsi sumus, vt studia hominum legalia, ex duplici interuallo, eo magis paterent.

SECT.

SECT. II.

DE ACTIONIBVS LEGIS ET ORDINE IVDICII.

§. LIX.

ACTIONES LEGIS PONTIFICES ET PRAETORES DEDERE DIVERSIS, SINGVLI RATIONIBVS. FASTI CALENDARES.

Actio legis proximum nobis argumentum exhibetur, cuius declaratione in fata iurisprudentiae porro inquiramus. Non poterat omnino separari ab interpretatione, quod nemo actionis naturam intelligeret, qui rationem iuris ignoraret. Quemadmodum vero leges vel de humanis, vel diuinis rebus latae erant: ita pariter pro diuersa magistratuum ratione, diuersi magistratus actionem legis dare consueuerant: videlicet hi praesertim, ad quos caussa, ex natura sua pertinebat. Quod enim Iac. Raeuardus [o]) censet, a decemuirorum aetate, penes solos pontifices fuisse, actionem legis dare, ab his deinde iuris reddendi potestatem ad praetores transiisse, admittendum haut est. Iam supra probauimus, auctoritate veterum, honores praetorum consulari dignitati, quod ad originem, praeferri, eosque statim, a regibus pulsis, imperii vim habuisse, iuris aeque iustitiaeque arbitros extitisse in vrbe ac vindices. Pontifices eo tempore omni praefuisse iuri, nemo vnquam litteris prodidit. Tullius aperte: [p]) *at, inquit Publii filius, ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. totumne? quid ita? quid enim ad pontificem, de iure parietum,*

o) ad LL. XII. tab. cap. VII. p) de LL. II. p. m. 339.

rictum, aut aquarum, aut villo similium? sic Ciceronem [q]) scripsisse augurov; nec placet *omnino*, aut quod substituunt alii, *luminum*. Requirit Mucius parens recte, vt pontifex nouerit iura ciuilia propter fines vtriusque disciplinae, et ne interpretatio pontificia cum praetoria confunderetur. Qui hodie enim iuri operantur, nunquam ita constringuntur, vt saltim vni parti adhaereant. Vbicunque iustum adparet, ibi legum sedulus cultor mentem exornet necesse est. Non vero legimus, in ciuili iure pontificem regnasse, quamuis illius foret peritissimus; quippe iuris custos et obseruator perpetuus. Vt ergo distincte progrediamur, notemus, quaedam pontificii iuris ad vniuersam iurisdictionem exercendam porrigi, quaedam ipsi peculiariter in foro deberi. Ad iurisdictionem in genere pertinet, dies iudiciorum signare, quibus lege vel agi, vel non agi possit. Quod Numae inuentum simul cum pontificibus coepit. Liuius: [r]) *Idem nefastos dies fastosque fecit: quia aliquando, nihil cum populo agi, vtile futurum erat.* Cumque istorum collegio tribueretur ab eodem rege, anni descriptionem, omniumque dierum rationem, toto anno referre in tabulas; penes eos quoque erat intercalare, et fastos dies nefastosque arbitratu suo constituere. quare iudices fere incerti manebant, quos actionibus dies praefiniturі essent pontifices, vnde magna illorum auctoritas. Varro: [s]) *Fasti dies, quibus certa verba legitima, sine piaculo, licet praetoribus fari. nefasti, quibus ea fari ius non est.* Tanta nimirum religione quondam colebantur sacerdotum edicta, vt qui contra fecisset, piaculari hostia opus haberet. Antea paullo, idem Romanorum doctissimus, verba legitima profert: *contrarii dies nefasti vocantur, per quos nefas praetorem fari,* DO, DICO, ADDICO. Necessarium enim

q) conf. eundem pro domo p. m. 403. r) I. histor. c. XIX.
s) V. de Ling. Lat. p. m. 54. it. p. 50.

enim eſt, vno ex tribus his verbis vtatur praetor, ſi quando in tribunali praeſidet. DO ſolenne eſt in iudicibus, aut arbitris, voce praetoris deſignandis, item in poſſeſſione bonorum aut vindiciis dandis: DICO ad ferendam ſententiam proprie ſpectat, aut libertatem donandam: ADDICO vel confirmat decretum aliquod itemque emancipationem, adoptionem, vel ceſſum in iure quid, aut victae partis caſum exprimit. Sibrandi a Siccama Faſti Romanorum Kalendares, capite ſecundo, ac Sigonius I. de iudiciis capite ſeptimo. in rem praeſentem conducantur. At neque dies integer forenſibus dicatur ſemper: vbi placuiſſet ſacerdotibus, mane caedere hoſtiam, iudicia non poterant exerceri, tempore antemeridiano; licebat autem pomeridiano vocare in ius. qui *dies* adpellabantur *intercifi.* Varro meridiem duntaxat huic negotio ſuffeciſſe ſcribit; nec fas erat, ipſum antiquitatis exſequentiſſimum, quidquam adferre, cuius interiora non paterent. *Intercifi dies ſunt*, inquit, *per quos mane et veſperi eſt nefas, medio tempore inter hoſtiam caeſam et exta porrecta fas; a quo, quod fas tum intercedit, intercifi dies, aut quod tum intercifum nefas.* Breuiter: intercifi erant religioni cum iuſtitia communes, vt ſacris peractis humana ſine delicto conficerentur. Erant autem ordinaria diei interualla, quibus praetor ſiue in comitio, ſiue foro, ius dicebat, *hora nona, meridies, tertia*, quae accenſus circumſtanti populo alta voce tenebatur indicare. Faſtis diebus paene exaequantur *dies vtiles*, ſiue *ciuiles*, a iureconſultis ita denominati, quorum in pandectis mentio frequens. Definiuntur enim, quod iis liceat nobis de iure experiri. In eo contra differunt, quod a pontifice non edantur, ſed partium iuſtae [t]) deprehendantur cauſſae, quare vel agant in foro, vel non agant? Eosdem cum faſtis promiſcue Graeci vocant

t) l. 1. ff. de diuerſ. temp.

cant πρακτοὺς ſicut ἀπρακτοὺς, quibus nullus pro tribunali ſtrepitus auditur.

§. LX.

FASTOS CALENDARES FLAVIUS VVLGAVIT. IVS FLAVIANVM. PONTIFICES SACRI IVRIS INTERPRETES.

Qui commentarios faſtorum euulgauit C. Flauius, id ſibi propoſuerat, quo certi deinceps eſſent ciues Romani, *quo die lege agi poſſet*, magna pontificum indignatione, in quorum penetralibus huc vsque repoſiti erant, velut ſacri ordinis myſteria. Domi quidem praebebant inſpiciendas tabulas, vbi res praeclare toto anno geſtae, temporum portenta, magiſtratus ac ſimilia recenſebantur. Sed ordinem dierum, ac rationem intercalandi, occultabant ſummo ſtudio. Cicero: *) *Poſſet lege agi, nec ne, pauci quondam ſciebant, faſtos enim vulgo non habebant: erant in magna potentia, qui conſulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis petebantur. Inuentus eſt ſcriba quidam, C. Flauius, qui cornicum oculos confixit, et ſingulis diebus ediſcendis faſtos populo propoſuit, et ab ipſis cautis iureconſultis eorum ſapientiam compilauit.* Fuit quaſi inter arcana ſacrae dominationis, cum paucis communicare menſium ac dierum curſum, vt ex publica temporis ignorantia ſinguli cogerentur venerari ſacerdotes in foro litigaturi. Ex quo vero patefierent Kalendares faſti, quibus explicarentur vniuerſo populo, quae tamdiu latuerant recondita, pontifices aliam inſtitere viam, ac praeter intercalandi poteſtatem, ſiue arbitrium dies vel eximendi, vel transponendi, formulas quasdam iudiciales excogitarunt, ſine quibus in poſterum actiones inſtitui non poſſent. Cicero ibidem: *Itaque irati illi, quod ſunt veriti, ne, dierum ratione peruulgata, et*

*) Pro Muraen p. m. 340.

et cognita, sine opera sua lege posset agi, notas quasdam composuerunt, vt omnibus in rebus ipsi interessent, scilicet iure sacro comprehensis. Non enim ad quaslibet caussas admittebantur sacerdotes. certae erant tabulae, leges de religione, et eo facientia complexae, quibus interpretandis operam dabant. C. Flauius, auctor celebrati operis, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum vir callidus et facundus, laudatur a Liuio. x) qui ex Macro Licinio pergit, eum *fecisse scriptum*, hoc est, scribae munere functum esse. Idem ex Pisone notauit A. Gellius: y) Plinius z) Appii Caeci scribam fuisse commemorat, quem sequitur Pomponius iureconsultus, nisi quod cognomen omisit, vnde natus error Guidonis Panciroli, a) qui Appio decemuiro ab epistolis nostrum statuit, integro saeculo posteriorem. Quamuis autem ignobili stirpe censeretur, meritis tamen, ac gentis felicitate, inter suos maxime eminuit, ipse curuli honore exsplendescens, factus aedilis *pro tribu*, siue, ante tribum. Creuit postea dignitas eius in vrbe, vt Flauii consules, Flauii Imperatores, denique fierent, supremis patriae viris accensendi. Praenomen Caii habuisse fastorum editorem, apud quosdam inuenimus, nec dubitamus id verum esse, licet vulgo Cn. dicatur. cum nihil turbatius, nihil ad lapsum decliuius sit, in omni antiquitate, quam nominum confusio, cuius rei testes sunt homines doctissimi.

§. LXI.

PONTIFICES PRIMI ACTIONVM LEGIS INVENTORES. QVIS HAS VVLGAVERIT?

Ex verbis Tullii liquido vidimus, qua occasione, et a quibus primum actiones legis compositae fuerint.

 Pon-

x) IX. histor. cap. XLVI. y) VI. Noct. Attic. c. IX.
z) XXXIII. histor. Natur. cap. 1. a) II. Var. cap. 2.

Pontificum ingeniis deberi, propter vulgata myfteria docet. Idem perfcribit ad Atticum: [b]) *nec pauci funt auctores, Cn. Flauium fcribam faftos protuliffe actionesque compofuiffe.* Avs. Popma, ad hunc locum, vnum effe Ciceronem putat, qui id affirmet. Cum oratore iungatur, vtut recentior paullo, Harmenopulus iuris Graeci breuiator: *εἶτα ἐλθόντες ἄνδρες σοφοὶ, ὧν ἦρχε Γαΐος,* nimirum Flauius, [c]) *νομοθεσίας ἑτέρας καὶ διαιρέσεις τῶν ἀγωγῶν προσεθείκασι. fubfecuti deinceps viri prudentes, inter quos primas tenet Caius, leges alias ac diuifiones actionum adiecere.* Pomponius Appio tribuit, quas modo cum faftis promulgauerit Flauius, a cuius nomine deinceps, exemplo iuris Papiriani, *ius ciuile Flauianum* emerferit, in formulis, aut notis confiftens, quas nemo temere adfpernabatur, quin cauffa caderet. Verum in tanta eruditorum diffenfione, vel a feipfis, non male quis referret originem actionum, tam ad Appium Caecum, pontificem, quam ad Flauium aedilem. Quod fi antea nondum dederit ille certas agendi formulas, aut faltem ita frequentauerit, in cauffis difceptandis, poftea fuis occafionem praebuerit: hic vero, in ciuilibus idem fectatus inftitutum, pro legum et iuris recepti natura, agendi rationem peculiaribus notis defcripferit. AEmulatio certe inter iftum et patricios erat acerba, qui ferre non poterant, muneribus tam fplendidis eum praefulgere, qui nuper humi repebat, manuque victum quaerebat. Liuius ibidem: *Ceterum contumacia aduerfus contemnentes humilitatem fuam certauit.* Faftu optimatium igitur proditi funt fafti: faftu nobilium, ex formulis, actiones legis coepere: faftu eorundem tabulae quoque funt extortae, quod fuperius inter fata auctae iurisprudentiae fignificauimus.

§. LXII.

b) VI. Att. ep. 1. c) προχειρ. lib. tit. I.

§. LXII.

PONTIFICVM ERAT INSPECTIO SACRORVM PRIVATORVM. QVAE IVRA CIVILIA HINC PENDEANT?

Ex altera parte, si iura contemplamur particularia, soli pontificum collegio relinquenda, ea sunt ampla, varia, et quotidianae necessitatis. Quaedam exserte in legibus, ad numinis cultum inuentis habentur, quaedam ex ciuilibus pendent legibus, quarum vis et potestas non intelligitur, absente pontifice. Cicero ad pontifices: [d]) *quod si vllo tempore magna caussa in sacerdotum populi R. iudicia ac potestate versata est: haec profecto tanta est, vt omnis reipublicae dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, arae, foci, Dii penates, bona, fortunae, domicilia, vestrae sapientiae, fidei, potestatique commissa, creditaque esse videantur.* Non omnia heic annumerata declarabimus, sed fere domus iura, ad quos attineant, breviter delibabimus. De stillicidio, de luminum iure, et aliis non tantum vlis cum vicinis apud veteres, in ipsa domo sunt penates, aedium singularum proprii. Differunt sic a laribus, qui sunt communes, et iidem omnibus, colebanturque in cubiculo, in porticu, in atrio. Vtrisque arae erant positae ac foci, res in domo sanctissima. vt qui perfugeret eo, minime abstrahi posset sine ingenti scelere. Tullius: [e]) *hoc perfugium est ita sanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas sit.* Caius ad XII. tabulas, neque violentam in ius vocationem de domo admittit. [f]) *Plerique putauerunt, nullum de domo sua in ius vocari licere. quia domus cuique tutissimum refugium atque receptaculum.* Graeci ἑστίαν adpellant, eamque sedem tribuunt propriam diis penatibus, et qui ad hos accedit supplex, a violenta persecutoris manu veniam

d) pro domo p. m. 403. e) ib. p. m. 421. f) l. 18. ff. de in ius voc.

niam impetraturus, eum dicunt ἐφέστιον, ἐπίστιον. Herodotus verba Croesi ad Adrastum recitans: [g]) ἄνθρωπε, inquit, τίς τε ἐὼν, καὶ πόθεν ἥκων, ἐπίστιος ἐμοὶ ἐγένεο; vbi non ad sensum interpres, *quo loco profectus, mihi factus es domesticus?* neque enim omnis domesticus pariter supplex, aut precantium habitu ad focum adparet. Paullo ante vocatur Adrastus, ὀυ καθαρὸς χεῖρας ἐὼν, item ἀνὴρ συμφορῇ ἐχόμενος, pollutis aduentasse manibus, interemtor fratris, κατὰ νόμους τοὺς ἐπιχωρίους καθαρσίου δεόμενος, secundum mores patrios expiandus. Vt sic facile pateat loci sanctitas, ex gentis religione nata: quam exponit insigni digressione, ad Tertulliani [h]) Apologeticum Heraldus, iuris, Graeci ac Romani peritissimus. Iam vero dedicare aras in domo non poterat, nisi pontifex. quin si quid fieret contra solennes caerimonias in tali negotio, sacra nec ibi peragi, nec penates habitare poterant. Ex hoc iure porro fluxit, neminem e sacris domus alicuius exire, sine praescitu pontificis. Arrogationes, adoptationesve, lege curiata factae, auctores poscebant sacerdotes, quia hoc spectabat omne ad eos, cum adoptionem sequeretur hereditas sacrorum, quique adoptaretur, in gentem et sacra adoptantis transiret, ratione dicendi iureconsultis perquam vsitata. Hinc et diiudicantur locutiones ciuiles, [i]) *in sacris parentum constitui*; *sacris paternis absolui*, de iis, qui sub patria potestate adhuc sunt, vel iam liberantur. Sic neque fieri nuptiae consueuerant vnquam, sine pontificum caerimoniis, et praeuia cognitione, in primis confarreatione, siue sacrificio, in quo vescebantur eodem farre coniuges; indeque maritus vxorem *domum ducebat*, quasi in sacra familiaria. Dionysius Halicarnasseus, de constitutione Romuli matrimoniali: [k]) γυναῖκα γαμετὴν κατα νόμους [illegible] ἱεροὺς

g) lib. 1. Clion c. 35. h) lib. 1. 25. i) Gutherius non vno loco de antiq. iure pontif. k) II. antiqu. n. 71.

ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν εἶναι ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Ratio haec quoque fuit, quare matrimonium contracturus olim, prius de domo, quam ſponſa eſſet ſollicitus. In ſingula autem his, inque iuribus ſacris, cum ciuilibus permistis, et interpretes erant ſoli pontifices, et actiones legis dabant. De iſtis nihil amplius proferemus, de interpretatione pontificia ſaltem tribus, quod aiunt.

§. LXII.

ITEM PONTIFICES RELIGIONIS PUBLICAE CVSTODES, VATES, PROPHETAE. IVS PONTIFICIVM.

Vidimus, quaenam fuerit illa poſt conditum ius decemuirale, in humanis. non poſſumus, quin diuinarum legum rationes conquiramus, et qui eas tradiderint Nitebantur antiquis Regum ſtatutis, ſicut de nuptiis modo certi ſumus, partim et conſuetudinibus, a collegio pontificum retentis ſemper, et ad ſeros nepotes propagatis. quod in religione quidquam vel mutare, vel innouare, difficillimum putetur. Simplicitate conſtabant pleraque, et nihil ad venerationem numinis credebatur eſſe magis idoneum, quam inconſulta hominum adſenſio. Pontifices eius rei ſatis gnari, ſtudioſe occultabant, quae ſuperſtitionem imperitae multitudinis cohiberent, in externo cultu potiſſimum occupati. Contra vrgebant magna prudentia, quae ad ſalutem patriae et incrementa, pacis belliique tempore faciebant. Ita enim comparata erat religio tota Romanorum, quae ornandae ciuitati prouehendaeque ſeruiret. Cicero: [l]) *ius augurum, etſi diuinationis opinione principio conſtitutum ſit, tamen poſtea reipublicae cauſſa conſeruatum, ac retentum.* Sicut autem iam indicauimus, legalis interpretationis auctoritatem non cuiuis promiſcue fuiſſe conceſſam, in ſtatu libero,

l) II. de diuin. p. m. 290.

berô, sed illis praesertim, qui administratione publica, et honoribus ex commodo singulorum eminuissent: ita pro indole et constitutione Romanae ciuitatis leges sacras, et affines ciuilibus, pontifices interpretabantur. Q. Scaevola. [m]) pontifex, *legum clarissimus et certissimus vates*, consultores de iure praediatorio, ad Furium et Caesellium reiiciebat, huic scientiae deditos. vbi duo notemus: quosdam interpretes quondam certa fere iura persecutos esse, vt quotidiano illorum vsu fierent sapientiores, *et propria studia verecunde, aliena callide aestimarent:* itemque *vates* nominari pontifices, non *interpretes legum*. Vocabulum id proprium est sacri ordinis, neque magis alii, quàm sacerdotes, augures, coniectores, eo solent compellari, homines valde acuti, et multum prouidi. Isti vero a ciuibus vocati in partes caussarum, facile praedixerunt, quem euentum habiturae essent, vtpote iuris callentissimi. Similiter *artis medicae vates* laudatur Herophilus a Plinio, [n]) quod naturae arcana, et sanguinis cursum, in humano corpore, subtiliter ac perite explicaret. Est igitur vates idem, qui verus et indubitatus rerum interpres. hinc et pontifex maximus, ἐξηγητὴς, προφήτης dicitur a Plutarcho. [o]) τῶν δημοσίᾳ δρωμένων ἐπιμελούμενος, τοὺς ἰδίᾳ θύοντας ἐπισκοπῶν, καὶ κολύων παρεκβαίνειν τὰ νενομισμένα, καὶ διδάσκων ὅτου τις δέοιτο πρὸς θεῶν τιμὴν ἢ παραίτησιν. Sunt qui sensum ab his diuersum ostendunt, quasi ἐξηγῆσθαι sit, verba solennia praeire, carmen praefari. sed occulta enunciare, et quae cum cura celantur, per occasionem populo vulgare, in sacrificiis, templorum dedicationibus, votorum conceptione, iureiurandis, id quidem pontificium est. Iouis ministri propterea, et interpretes priscis erant. Cicero: [p]) *vtrumque igitur augures*

m) Valer. VIII. Memor. cap. XIII. *n*) XI. histor. Nat. c. XXXVII. p. m. 210. *o*) In Numa p. m. 66. *p*) XIII. Philipp. p. m. 657.

gures Iouis optimi maximi, cuius interpretes, internuntiique constituti sumus, vtrum populus R. libentius sanciet? in quibus ἐξηγηταὶ, arcanorum custodes audiunt, qui, ferente quadam necessitate, non coeli tantum portenta, sed religionis legumque abstrusiora reuelant, προφῆται, ἱεροφάνται, sacrarum rerum doctores. Et non tantum porrigebatur eorum potestas ad interpretationem iuris; sed nouas, reique communi profuturas, statuere leges poterant. Dionysius Halicarnasseus: q) καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν, καὶ νομοθετοῦσι ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη νόμων τε καὶ ἐθισμῶν: *lites sacras iudicant. inter priuatos pariter et magistratus: leges etiam ferunt de sacris quae nondum scriptis mandata, nec vsu recepta, si digna videantur.* Praecipue haec pertinebant ad solennes caerimonias circa quas et dispensare, et alias iubere, siue instaurare poterant. Per exemplum nos eloquentiae parens rursum instruit de iure sepulcrorum. r) *Priusquam in crematos iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis. Iniecta gleba tumulis; et humatus est, et gleba vocatur: ac tum denique multa religiosa iura complectitur.* Atticus probat cuncta, et mox respondet: *video, quae sint in pontificio iure; sed quaero, quidnam sit in legibus.* vbi pontificium ius, ex interpretatione collegii dignoscendum, cum iure ciuili, quod a prudentibus ortum, paria facit, eique leges sacrae in tabulis opponuntur, communi omnium adsensu roboratae. licet haut negauerim, interdum eius significationem vulgatam latius extendendam esse, exacte tamen nihil eo referendum, nisi quod pontificum auctoritate inualuit. In multis pontificii iuris capitibus posteros discessisse a maioribus, vtilitatis publicae

q) II. antiqu. n. 99. r) de legib. p. m. 341.

cae gratia, haut obscure intelligimus ex Liuii narratione,[s] de sepulcro Numae reperto, et duabus arcis ibidem positis, in quarum altera septem libri *de iure pontificio* erant. Nihil optatius potuisset obuenire antiquitatis cultoribus. In his enim exemplar pietatis vetustae adseruabatur, quod merito venerarentur. In religione quoque id semper praestabilius est, quo est antiquius, consensu quodam gentium. Quamprimum vero libros septenos Q. Petillius praetor accepit, legendi studiosus, animaduertit, *pleraque dissoluendarum religionum esse*; videlicet adeo diuersa iam erant sacra a Numae institutis: idemque iureiurando se adfirmaturum senatui promisit, *libros eos seruari, legique non oportere.* inde statim, decreto edito, in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi exusti sunt. Ex hactenus dictis certi sumus de origine, quam habuerint actiones legis, iuxta et quae pontificum, aut potestas circa eas fuerit, aut iurisdictionis amplitudo.

§. LXIII.

PRAETORIS IVRISDICTIO ET FORMVLAE.

De actionibus, ex legibus tabularum prodeuntibus, adhuc restant plura; maxime vero, quis dederit eas, quo effectu sint ab initio vsurpatae in foro? Prima hinc de magistratibus erit tractatio, qui ius dicere potuerunt; cum parum sit, leges ferre, neque constituere, quid secundum eas cuique debeatur. Immo mutuum inter se respectum demonstrant, actio legis, et iurisdictio. Consules, praetores, aediles curules fere semper id egerunt, iure magistratus, nisi quibus mandare quaedam, ob negotiorum pluralitatem voluere. Praetores ante alios eminebant, consulibus bello intentis, vel absentibus, domi praeerant ciuitati, supremi iudices, rerumque arbitri.

s) lib. XL. histor. cap. XXIX.

bitri. Munus hoc, propter iustitiae ſanctitatem in republica, ſicut et nomen, diu fuit, antequam conſulare innoteſceret, de quo alibi. Vnus erat primum, opibus autem creſcentibus pariter ac numero ciuium, duo creati ſunt, alter vrbanus, alter peregrinus, quibus pro ingenti Romanorum imperio, ſucceſſu temporis, additi ſunt plures, dignitate licet, ac rerum peragendarum ordine diſtincti. Iſti praecipue dabant actiones ex legibus tabularum: dabant quoque aediles, ex iurisdictione ſua, quam exercebant in pretiis, menſuris, venditione mancipiorum. Eſt, qui ius dandae actionis prudentibus etiam, ſiue iureconſultis competiiſſe ſcribit, qui rogati faciles in hoc negotio fuerint. At nondum probauit, iureconſultos poteſtate iuris dicendi tanta praeditos fuiſſe; vnde potiſſimum diiudicatur ius dandae actionis. Interpretatio differt hinc quoque ab actione legis, quod illa communis prudentum, haec paucorum iure magiſtratus eſſe ſtatuatur. Scribere clientibus et interpretes haud dubie ſolebant formulas agendi, cauendi, excipiendi, ideo ſaepius rogati de iuribus. Nam vrbanae militiae propria haec ſunt, ita Cicerone iocante ad Trebatium: *t*) *ſcribere oblitus es*, videlicet ſponſionum, teſtamentorum, ſtipulationum formulas, ac ſimiles plures. Quis autem iſtas, domi natas, cum publicis actionum compararet, easdemque opinaretur? In priuatis hiſce interpretatio, et omnis paene vis reſpondendi de iure, in illis magiſtratuum ius conſiſtit; quae duo a ſe inuicem diſcrepare admodum nouimus. Pomponius quidem ſoli pontificum collegio tranſcribit facultatem vtriusque: *omnium tamen harum et interpretandi ſcientia, et actiones, apud collegium pontificum erant*, *v*) verum quod ſubinde in antiquiores, contra hiſtoriae ſeriem admittit, contra fori tem-

t) VII. fam. ep. XIV. *v*) l. 2. ff. de O. I. §. 5.

temporisque indolem, id heic quoque adparet. Tale est, quod eodem tempore fori disputationem, et agendi formulas prodiisse testatur. Si morem ex legibus agendi, et ius suum persequendi in foro, si interpretationem legis simplicem intelligit, neque post aetatem tabularum haec ponere, sed cum regiis legibus incepisse, arbitrari par erat. Tam inconsulti enim non fuere, trecentis annis, maiores Romanorum, vt nescirent agere lege de iis, quae ad se iuste pertinerent. Notandum igitur contra multos, eosque magnos iuris interpretes, non cum ipsis tabulis fori disputationem simul et actionem legis, ex formulis certis, vel notis dignoscendam, extitisse; verum illas *κατὰ συμβεβηκὸς*, vt iam docuimus, postmodum accessisse. Actionibus in foro semper opus; agendi modus erat diuersus, ex vsu rerum ac temporum formulis circumscriptus. quas ad omnia transferri necesse erat. quin hoc ipsum est, quare actionem legis Romanam, solennem videlicet ac formularum, vt ita loquamur, non iuris gentium plerique censerent: quia nullibi tam curiosa formularum sollicitudo obtinuit; verum iurisperitorum inuentum recte haberent. Notae appellantur a Cicerone, quod propter vsum quotidianum, et lites obuias, non integris verbis, sed litteris singularibus, *διὰ σημείων* postea consignarentur. quibus etsi nimium abuterentur, syllabarum aucupes, homines subrostranei, ac forenses, etiam cum dedecore eorum, qui dederant, perdurarunt interim vsque ad Constantini aeuum, qui lege sanxit: *x*) *iuris formulae, aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus, radicitus amputentur*, ne deinceps aberratione syllabae, vel omissione alicuius notae, et caussa, et actione caderet, qui sibi debita peteret a praetore. Perezius ad hanc legem videndus, ac Raevardus de *auctoritate prudentum*, capite secundo. Attigimus

x) l. 1. C. de form. et impetr. act. subl.

gimus de notariis nonnulla, tanquam in tranſitu, exercitatione *de Comitibus Palatinis Caeſareis.* Zaſius inde a Bartoli diebus fluxiſſe exiſtimat, quod multi veterum aucupia ſectarentur, atque contenderent, *an tonſor in palatio venam incidens, ex delicto ſanguinem fundat? an, qui ſuper proprietate experitur, probauerit autem vtile dominium, omnino ſuccumbat?* Minutiora profecto, ex omni iure procudi, inque iudiciis hodienum teri videmus, libidine rixarum, otio et prauitate hominum, qui vincere ſtudent, parum curantes, quid verum, honeſtum, quidve iuſtum ſit. Et plerumque ita haerent in cortice, qui ad iuris interiora nunquam penetrarunt. Cicero Quincto fratri grauiter reſpondet: y) *ignoratio iuris litigioſa eſt, non ſcientia.* in oratore, ad eundem, de ſententia Craſſi, iureconſultum, eloquentia deſtitutum, arte ciuili, prudentiaue: *hic,* inquit, *tibi per ſe nihil eſt, niſi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum.* quamuis haec non recte praeferantur ad aetatem, qua dari coeperunt actionum formulae, ſed poſterorum ſtudiis imputari debeant, quibus erat promtiſſimum, arte ſua abuti, et quos nequirent ſuperare virtute, captioſis inuoluere ſtrophis, quas *inſidias* vocat Imperator Conſtantinus.

§. LXIV.

ANTIQVVS ORDO IVDICII.

Vt autem cognoſcamus apertius, quem effectum legis actiones habuerint, antiquiſſimum procedendi morem, quantum ad praeſens, velo quaſi remoto, inſpiciemus ὡς ἐν τύπῳ. Leges Romanorum a Graecis magnam partem eſſe profectas, iam ſupra docuimus, etſi pro genio populi flecterentur: rationem agendi in foro, ſiue quod ſibi debetur, legitime impetrandi, quadantenus inde manaſſe,

y) de leg. p. m. 324. 1. de orat. p. m. 132.

naſſe, ſimiliter euoluemus. Lite forte inter ciues exorta, non ſtatim actor vocabat in ius aduerſarium: domi inter amicos, velut arbitros compromiſſos, inſtituebatur diſceptatio, quorum ſententia, ſi vtrinque reciperetur, cauſſam terminabat; ſin placerent acerbiora, in publicum ſolebant prodire, ibique ius ſuum perſequi. Cicero: [z]) *omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficorum cauſſa ſunt reperta: quorum alterum leuius eſt, quod et minus laedit, et perſaepe diſceptatore domeſtico diiudicatur: alterum eſt vehementiſſimum. quod et ad grauiores res pertinet, et non honorariam operam amici, ſed ſeueritatem iudicis, ac vim requirit.* Liuius, [a]) non multo poſt leges decemuirales, inſignem nobis caſum exponit, quo ſpreta priuata et amicabili compoſitione, in foro tumultuatum eſt. Virginem plebeii generis, maxime forma notam, petiere iuuenes duo: alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipſi eiusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re, praeterquam forma captus: adiuuabant eum optimatium ſtudia, per quae in domum quoque puellae certamen partium penetrauit. nobilis, ſuperior iudicio matris, quae quam ſplendidiſſimis nuptiis iungi puellam volebat. tutores, in ea quoque re partium memores, ad ſuum tendere. *Quum res peragi intra parietes nequiſſet, ventum in ius eſt.* Non ignota poſtea *iudicia domeſtica*, τὰ οἴκοθεν κεκριμένα, publicis oppoſita, ſiue forenſibus. Graeci pariter διαίτας, ante ſolenne iudicium, intra aedes ſuas habebant, quibus interdum grauiora permittebantur, vnde δίαιτα faepius ἐπιτροπή. Iſaeus: [b]) καὶ δὲ ἡμεῖς, ὥσπερ μικρὰ ἀδικούμενοι συνεχωρήσαμεν, καὶ ἐπετρέψαμεν διαιτηταῖς τέσσαρσιν. ὧν τοὺς μὲν δύο ἡμεῖς ἠγάγομεν, τοὺς δὲ δύο ἐκεῖνοι. *et nos pariter et laeſi conſenſimus,*

z) pro Caecin. p. m. 126. a) IV. hiſtor. cap. IX. b) de hereditate Dicaeogenis p. m. 438.

ſimus, et quattuor arbitris rem permiſimus, quorum nos duo, illi totidem adduxere. in quibus ex aequitate cenſentur et ſtatuuntur cuncta, teſte Ariſtotele: [c]) εἰς διαιτον μᾶλλον. ἢ εἰς δίκην βούλεσθαι ἰέναι. ὁ γὰρ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ. ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον. *arbiter aequitatem intuetur, legem vero iudex.*

§. LXV.

ARBITRI. IN IVS VOCATIO. VADES. EDITIO ACTIONIS. COMPERENDINATIO. IVS. IVDICIVM. IVDICES. SENTENTIA.

De arbitris cauſſarum, ac *διαιτηταῖς*, iam ſupra velut in tranſitu, tanquam peritis legum. quorum haec inſuper differentia fuit, quod alii *κληρωτοὶ*, forte lecti; *κλήρῳ λαχόντες*, Harpocrationi in *διαιτηταὶ*, alii communes amici, homines priuati, qui, vt cum Cicerone dicamus, honorariam operam praeſtant. Ab his procul dubio poterant adpellare controuertentes, ab illis non item, quia ſic inuicem conuenerant. Quotiescunque igitur parum ſucceſſiſſet amicitiae conatus domi, et rurſum diſſiderent vehementia maiore, quam congreſſi erant litigatores, accuſator cum reo, via proxima ducebantur ad praetorem, actionis, ſiue in rem conciperetur, ſiue in perſonam, exceptionisque formulam petituri. Hinc eadem ſupereſt: EAMVS IN IVS. Actoris petitio, dicitur alias *intentio:* rei exceptio vero *depulſio.* Cicero: [d]) *Thebani victores a Lacedaemoniis accuſantur apud Amphictyonas, commune Graeciae concilium, ob ſtatutum aeneum tropaeum. Intentio eſt, non oportuit: depulſio eſt, oportuit.* Si quando reus cauſſae diffideret, et vel cunctaretur, vel reſpondere coram praetore nollet, in ius vocabatur. quae vocatio, citatio, reo obnitente, violenta interdum fuit, atque hoc modo non tam vocabatur, quam *rapiebatur in ius,*

c) 1 Rhetor. XIII. n. 35. d) 11. de Inuent. p. m. 89.

ius, cum prius actor exclamasset, LICET ANTESTARI, siue testes vos a spectatores praesentes in rem meam nominare? etenim haec in publico fieri consueuerant, quod ex domo, perfugio ciuiliter munito, neminem extrahere tuto liceret: aut si annuisset reus, nec simul ire posset, satis dabat, se in ius venturum, constitutis sponsoribus de certo die, itemque vadibus, a quibus *vadimonium promittitur*, iudicio sisti, siue prorogatio iuris impetratur. Vir senex in ius vocatus, aut vitio membrorum laborans, iumento dato illuc vehebatur, notante A. Gellio, *e)* et iustitiam legis, contra iniquam Phauorini censuram adserente. Qui latitabat omnino, nec vllam sui copiam faciebat, edicto praetoris, ad fores aedium affixo, cum vicinorum testificatione, semel iterumque euocabatur publice. Vbi neque sic adparuisset, eius bona sub conditione certa auctioni subiiciebantur. Cicero pro Quinctio exemplum huius rei praebet manifestum. Cum vocatione in ius proxime cohaeret actionis editio, qua reus certior fieret, an cedere, an contendere porro deberet, ac iure posset. Breuiter et ex legum sensu Donellus: *f)* *ni edat actor, nulla vocatio est.* quae non capiemus eo sensu, quasi editio semper praecederet vocationem, sed eo fere ordine, quo constabant singula apud Romanos. Antequam in ius reum vocaret actor, de iusta et legitima editione sollicitùs vtique erat, quod in ea semel bene vel male concepta totius rei cardo verteretur; nec tamen prius actionem edebat, nisi reo praesente veniam dicendi praetor indulgeret. Neque intererat, vtrum scripto ederet actionem, an sine scripto: num dictaret illam, an demonstraret ex albo praetoris. Ita enim agebatur olim, vt proposito edicto in foro, actor etiam ostendere ibi reo soleret, qua actione vsurus esset. Itemque talis editio necessaria fuit, vt species futurae litis-

e) XX. Noct. cap. 1. *f)* ad l. 1. C. de edendo.

tis intelligeretur, quae deinceps ex Iustiniani [g]) constitutione libello concipiebatur, rite formato, ac reo offerebatur. Poterat enim, per exemplum, qui furem accusauerat, actione triplici ius suum persequi. quarum vna duntaxat coram praetore valebat, ideoque seligenda, ac reo indicanda. Vnde fluxit quoque mos, vt omnis, qui actionem intenderet, eius nomen in libello exprimere teneretur, nec prius ad actiones in factum perueniretur, quam vsitata illarum nomina deficerent. quin formulae, ob inconsultam subtilitatem, etsi lege Imperatoris cessarent, non tamen statim cessarunt nomina actionum in libellis. Iam vero edita actione, rursum solenni formula reum apud praetorem actor vadabatur in perendinum, siue diem certum, ex compacto, iudicio constituebat. Actus hic alias *postulatio* adpellatur, instantis iudicii praeparatorius. Liuius: [h]) *Aduocati puellae, biduo patrem affuturum dicunt. postulant, vt res integra in aduentum eius differatur.* Interea reus spatium deliberandi nactus, exputabat sedulo, quid opus factu, an descenderet in arenam, quaereret aduocatos, siue datos acciperet, et experiretur, an litem alia ratione componeret. Vtriusque et actoris, et rei procrastinatio haec, nomine peculiari, *comperendinatus*, *comperendinatio*, siue mutua partium denuntiatio in perendinum, dicitur a priscis iureconsultis. Festus: [i]) *res comperendinata significat iudicium in diem tertium constitutum.* vbi notemus, *rem* poni pro *lite*. Varro: [k]) *quibus res erat in controuersia, ea vocabatur* LIS. Cicero [l]) haec ex religiosa fori superstitione, propter verba et formulas, ridet: *Iam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, vtrum diem tertium,*

N 4

g) authent. offer. C. de lit. contest. h) III. histor. cap. XLIV. i) p. m. CCXV. k) lib. VI. de LL. p. m. 80. l) pro Mur. p. m. 341.

tium, an perendinum: iudicem, an arbitrum: rem, an litem dici oporteret. Ipſa vero denuntiatio mutua, ſiue actus denuntiandi, itidem vetere lingua *condictio* eſt, quae paſſim occurrit in legibus. atque poſtmodum actionem in perſonam ſignificare coepit. Feſtus iterum: [m]) *condicere, eſt dicendo denuntiare. Condictio in diem certum eius rei, quae agitur, denuntiatio.* Poſtquam autem ad praeſtitutum diem venirent, cauſſam dicturi, praetor actiones iuſſit recitari ex periculo, ſiue tabula, ac litigaturis iudices, qui poſtularentur forte, dedit. Neque enim in edictis praetorum olim frequentius quidquam: *de ea re iudicium dabo.* aut magis exſerte: *quod neque tumultus, neque naufragii cauſſa depoſitum erit, in ſimplum iudicium dabo.* immo potior vis iurisdictionis praetoriae ſimul in dando iudice conſiſtebat. Vlpianus: [n]) *ius dicentis officium latiſſimum eſt. nam et bonorum poſſeſſionem dare poteſt, et in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, iudices litigantibus dare.* Iſta proprie ſecundum Romanos dicebantur *in iure fieri*, vt diſcernerentur ab iis, quae *in iudicio* peragebantur, quamuis arctiſſime vnum ſubſequeretur alterum. In iure enim actiones, exceptiones, replicationes, impetrabantur: in iudicio contra exercebantur. Diſcrimen vtriusque Cicero hiſce indicat: [o]) *translationes in iure plerumque verſantur. ibi enim et exceptiones poſtulantur, et agendi poteſtas datur, et omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur. in ipſis autem iudiciis rarius incidunt, et tamen ſi quando incidunt, eiusmodi ſunt, vt per ſe minus habeant firmitudinis.* Ante iudicium conſtitutum erant rurſum ſolennia quaedam obſeruanda, num cauſſae dati iudices cognoſcendi prouinciam ſuſcipere vellent, nec ne? an litigaturi iudicio datis adquieſcerent iudicibus,

m) p. m. XXXIX. n) l. 1. ff. de iurisd. o) II. de Inuent. p. m. 87.

dicibus, an reiicerent eos? Antiquissima verba sunt. NOLO DATVM. INIQVVM EIERO. HVNC NOLO. TIMIDVS EST. Si iudices etiam addixissent, iureiurando vtplurimum constringebantur, ne quid contra leges facerent. Iam vero si neutra pars quidquam haberet amplius, quod obiiceret moram, praestitis etiam satisdationibus, *rem ratam haberi, iudicatum solui*, per simplicem narrationem, caussa negotii consueuerat audiri. atque tunc quidem *iudicium* dicebatur *commissum*, siue vt postea loquebantur, *lis contestata*. Impp. Seuerus et Antoninus. [p]) *Lis tunc videtur contestata, quando iudex per narrationem negotii caussam audire coeperit.* A lata sententia prouocabatur non raro, quod iudicia repetita, et oratorum studia, satis edocent.

§. LXVI.

ACTIONES LEGITIMAE ET HONORARIAE.

An omnes Quiritium actiones a praetoribus datae sint, dubitatur. In vetustis enim legibus occurrit subinde. quasdam ipso iure competere, vnde orta diuisio inter actiones *natas* et *datas*. itemque *legitimas* et *honorarias*. quarum illae ex iure tabularum, hae vero ex praetorum edictis manauerint, opem velut laturae deficienti legi. Verum pro caussarum, magistratuum ac temporum ratione, aliter sentiendum est. Sunt quae ex indole sua non agnoscunt alios, nisi sacros homines, de quibus alibi diximus. [q]) quin nec solos praetores dedisse eas semper, potestas consulum facit, qui sicuti cum praetoribus vrbis praecipua sustinuerunt negotia, ita quoque in iure dicundo maxime praecelluerunt. Dederunt quoque aediles, iure magistratus; siue ex iurisdictione propria. In prouinciis eodem honore ac mu-

N 5 nere

p) l. vn. C. de lit. contest. q) conf. A. Gell. V. Noct. c. XIX.

nere dedisse proconsules, praesides, indubium est. Quae autem *ipso* iure competunt actiones, fere tales sunt, vt propter iustitiam, saluam ac manifestam, non requirant auxilium praetoris, quique nec eas denegare possit; interim formam agendi ex iure praescribit, quod ad naturam dandae actionis pertinet. Nec male quis adpellaret *legitimas*, quod sine exceptione darentur. Sic et propius a vero abesse liquet, qui has iure competentes actiones, iure tabularum ac ciuili ortas putant, vt eo magis a iure honorario distinguant. Vlpianus non obscure hoc significat: qui apud praetorem *agunt vel lege, vel quo alio iure*, id est, praetorio. Iustinianus [r]) pariter discrimen admittit inter actiones, quae *aut ipso iure competunt*, *aut a praetore dantur*. Theophilus: [s]) *τῶν ἀγωγῶν αἱ μὲν ἀπὸ τῆς πολιτικῆς κατάγονται νομοθεσίας, αἱ δὲ ἐκ τοῦ πραίτωρος ἐπινενόηνται.* in quibus opponit praetoriam actionem ciuili, siue diuersas ait esse actiones, quae descendant vel a lege aliqua, vel praetorum edictis. addit: *τοῦτο γὰρ ἡ ἀρχαιοτάτη ἐβούλετο νομοθεσία.* inferius paullo: *πᾶσα δὲ ἀγωγὴ ἢ ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ*, scilicet *νόμου, ἢ ἀπο τοῦ πραίτωρος.*

§. LXVII.

ACTIO LEGIS: ACTVS LEGITIMVS. VTRIVSQVE DIFFERENTIA.

Ex his porro quaerunt de *actione legis*, an differat ab *actu legitimo?* idem esse docent plures, qui id, quod est minus vniuersale proponunt, omnemque actionem legis actum legitimum statuunt, non autem contra. Papinianus [t]) mancipationem, serui optionem, acceptilationem, hereditatis aditionem, dationem tutoris, actus quidem legitimos adpellat, sed nemo iureconsultorum actiones

nes

r) l. 3. ff. de off. praet. s) §. 1. Inst. de perp. et temp. act. Theoph. h. l. t) l. 77. ff. de R. I.

nes legum. quae ex legis alicuius decemuiralis instituto concipiebantur a magistratu, et coram illo disceptabantur, iuxta formulam concessam. Actus legitimi celebrari poterant a priuatis; qui nihil contra leges peragebant: actiones legis ad magistratus tantum spectabant. Actus legitimi, etiam sine lege rite fiebant: actio legis, sine lege nec mente concipi poterat. Mira subtilitas in hisce Cuiacii fuit atque Hotomanni. quorum alter quinto decimo obseruationum, capite decimo sexto, alter quaestione illustri quarta ac trigesima, primoque responsionum amicabilium, trigesimo capite, grauiter inuicem committuntur. Marcus Lyclama, velitatione legali quinta, libro singulari *studiosorum iuris*, quem ita veterum exemplo inscripsit, honorarius arbiter intercessit, proque Hotomanno, quem alias deseruerat, erudite pronunciauit. Iac. Gothofredus, [v]) etsi Cuiacium sequatur, tamen concedere iubetur, esse omnino quo discernantur a se et legis actio, et actus legitimus. Quando vero excipit nonnemo: atqui ipsa quoque adoptio penes magistratum legitime suscipitur; parum firmiter ad legis actionem concludit, cum apud eundem precari et illacrymari possimus, aliaque plura intendere, quae minime nomen merentur actionis legis. Ad haec nolumus proferre latius formularum solennia, quam ad Constantini tempora, cuius lege cessarunt haec inania fori. vt adeo saeculorum interuallis praecipue soleant internosci haec duo, et cum statu sub Imperatoribus mutato, multa simul immutari, quae ad leges Rom. pertinent. Maranus operose de hoc argumento, integra commentatione, de *actione Legis et actu legitimo*, ad Regulam iuris LXXVII, quo cum conferatur Scipio Gentilis 1. *de iurisdictione* cap. XXXIV.

v) ad d. l. ff. de R. I. *x*) l. 19. ff. de offic. praef. §. 1.

CAPVT

CAPVT VI.

DE FATIS ET ACCESSIONIBVS XII. TABVLARVM.

SECT. I.

DE FATIS XII. TABVLARVM POST CONSVLES DE PLEBE CREATOS.

§. LXVIII.

POST XII. TABB. NOVAE IN DIES LEGES NECESSARIAE. DE HIS QVINAM EGERINT.

Atqui ex his probe intelligimus, quae incommoda senserit iurisprudentia Romana, in statu libero, quibus fuerit auctibus promota, et quasi ad formam aliquam statam traducta, perlatis legibus a decemuiris. Quae proxime secuta sint, paucis attiginius, non aliter ac si prior aqua, terrae venis erumpens, aliquandiu consistat, donec scaturigine sua impulsa, abundare incipiat, inque riuulos diffluat. Homerum veteres, omnis sapientiae fontem, miro consensu laudarunt, vt nec legibus excluderentur illius dicta, quin Imperator nomen poetae tribueret ipsi κατ' ἐξοχὴν. a) nos potiori affectu statuamus id de iure decemuirali, ἐξ ὅυπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα, ex quo flumina, et ciuilis doctrinae stagnantes maris aquae dimanarint. Plerique sufficere putabant tabulas, aequabile ius omnium, et quae deinceps illarum occasione in foro recipiebantur. Sed compertum est vtique, nihil tam generali praecepto sanciri, quin con-

a) §. 2. Instit. de iur. nat. l. 236. ff. de V. S.

contingat aliquando, quorsum non pertineat, nisi praeter sensum ac rationem eo detorqueatur. Necessarium igitur erat, leges addere semper, quas requirebant nouae ciuium lites, ac dubia capita. De his in compendio videbimus, quod ex vsu sit nostro. Supra indicauimus prolixe, quae ratio fuerit legis ferendae, antequam tabulae conderentur: eadem illa huc quoque referri merentur. Quaenam autem leges latae sint, quibus auctoribus et consulibus, facilius dignoscere possemus, si liber Attici superstes esset, quem Cicero vocat *annalem*, et toties commendat. Cornelius Nepos eum describit his verbis: [b]) *antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ordinauit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo, suo tempore, sit notata.* retinui pro *ornauit*, alterum illud *ordinauit*, siue ordine exposuit, descripsit. Sic Liuius: [c]) *alii magistratus aliter ordinant*, quasi diceret, alio ordine in describendis consulibus aut tribunis vtuntur Iacturam operis Attici ex parte vt feramus aequiore animo, homines doctissimi faciunt, laudati iam suo merito, Anton. Augustinus, Paulus Manutius, ac Merula *de Legibus* inque annalibus Stephanus Pighius, maiore luce et ordine. Nos tritam insistemus viam, legum origines ac fata per exempla demonstraturi. Vt Romanorum prudentia, et iuris aequitas patescat magis. Prius tamen quam exequamur idipsum, rationem publici status nobiscum perpendamus iterum; quia hinc legum vis et auctoritas proficiscitur.

§. LXIX.

HONORES CVM PLEBE COMMVNICATI. LEX IN CASTRIS LATA IMPROBATA.

Libertas nieta in oculis, quam vt magis magisque exco-

b) in vita Attic. cap. XVIII. c) II. hist. c. XXI.

excolerent, eamque fingulis propriam facerent, in omnes partes incubuere. Non fatis erat plebi, leges aequatas haberi, fua quemque iura ordinem, fuam maieftatem tenere, auxilium rediiffe tribunicium, ac prouocationem, fcita plebis iniuncta patribus. iam ciues procefferunt eo, noua rogatione, d) *vt populo poteftas effet, feu de plebe, feu de patribus vellet, confules faciendi.* Telum hoc, infeftum patricio fanguini, non fine ingenti nifu vibrabatur, donec ex confulibus deftitutis vtrinque confentirent, in *tribunos militum confulari poteftate* promifcue ex patribus et plebe creandis. In capitolinis faftis memorabile temporis momentum ftatuitur, annus ab vrbe condita trecentefimus nonus. Hoc ficuti magna prudentia conceffum eft a fenatu, nulla prorfus facta mentione legis promulgatae, de confulibus ex plebe creandis: ita σόφισμα δημοκρατικὸν recte dixerimus, quod antea in cooptandis collegis tribuni duos patricios confularesque in ordinem fuum receperint. Sic vero communicatis honoribus, digniffimo cuique refpublica mandari poterat, citra generis et cognationis praerogatiuam, auramque liberiorem cuncti hauriebant, fiue pronunciandum de iure, fiue iudicandum effet, aut lex ferenda. Plebi adeo dandum eft rurfum, quod legum auctoritas quadantenus aliter conftituta fit. Cum enim patres non ftatim confentirent in placita ciuium, et ferendae legis auctoritatem fibi competere exiftimarent, grauis haec vox erat: *regibus exactis, vtrum vobis dominatio, an omnibus aequa libertas parta eft?* OPORTET LICERE POP. ROMANO, SI VELIT, IVBERE LEGEM? e) Fundamentum igitur plebis, petendi communes honores, praecipue videtur legis fuiffe aequalitas, ne in fenatu fierent decreta fibi iniquiora, aut ne publicato fenatusconfulto, fem-

d) Lib. III. cap. LXIII. it. IV. 1. e) Liu. IV. hiftor. cap. V. item VII. cap. XVI.

femper plebs moueretur opinione fanctionis aduerfae. Aliam patres ingreffi funt viam, auctore Cn. Manlio Cof. legemque in caftris tributim coeperunt ferre per milites. Factum hoc eft in Falifcis, ad Sutrium, vt opimum inde vectigal accederet aerario, lex enim *de vicefima* erat illorum, qui manumitterentur. Tribuni plebis aduertentes, pro neceffitatibus rei publicae fic non male confuli, tamen legislationis modum vehementer improbarunt, quod per milites, iuratos in confulis verba, confenfio libera, legis anima, nunquam poffet impetrari, quin hac ratione perniciofa multa, fi id poftea liceret, metuenda effe populo. Firma itaque fententia oppofita, *ne quis populum feuocaret amplius, capite fanxerunt.*

§. LXX.

PROPAGATVM IVS ROMANVM AD VICINOS, a) AD CAMPANOS, DATO PRAEFECTO CAPVAE.

Ex quibus certa legis tum ferendae ratio, ac tribunitiae poteftatis in dubiis praefidium, in periculis conftans et falutaris vbique prouifio nofcitur, ne falus publica, libertate fubnixa, ac iure aequato, improuide tentaretur. Sed nec fola iam continebatur vrbe iurisprudentia Romana, quod in prouincias tranfiret, vel cum coloniis, vel expetita ferio, dedititiis impertiretur ciuitatibus. Campani Samnitium virtute preffi, homines luxuria fuperbiaque clari, legatos miferant Romam, qui contra hoftes poftularent auxilium. Recufarunt opem Romani ob vetuftiorem [illegible]tiam, ac focietatem cum Samnitibus. Vt vero tuti [illegible]nt, auxilioque digni, fefe vrbemque Capuam, agrum vberrimum, mari propinquum, ad varietates annonae, horreum publicum, delubra DEORVM, diuina humanaque omnia, in fenatus populique Romani ditionem dedere. Ab ifthoc intervallo videntur magiftratus, et ornamenta magiftratuum con-

consueta, exemplo Romanorum sumsisse, quando post ignominiosam Spurii Postumi pacem, ad Furculas Caudinas, exercitus transiret Capuam, insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta exhiberent. Samnitibus perdomitis et iustissimo hinc triumpho celebrato, Cos. M. Foslio et L. Plautio Capuae primum coeperunt praefecti creari, legibus ab L. Furio praetore datis, Liuio f) teste, cum vtrumque ipsi pro remedio, aegris rebus, discordia intestina, petiissent. Non diu latuit, quid actum in vrbe Capuana, Romanorum consilio et auctoritate Ibidem historicus addit: *postquam res Capuae, stabilitas Romana disciplina, fama per socios vulgauit, Antiatibus quoque, qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur, dati ab senatu ad iura statuenda ipsius coloniae patroni, nec arma modo, sed iura etiam Romana late patebant.* Haec initia fere sunt propagati iuris Romani ad vicinos, quorum exemplo deinceps cum armis victricibus peruasit ad cultiores orbis terrae partes.

§. LXXI.

IN DITIONE POP. R. ESSE QVID, ET PRAEFECTVRA QVALIS ET QVOTVPLEX?

Sed velut in transitu heic de *praefectura*, et quid sit *in ditione populi Romani esse*, notabimus extantiora. Car. Sigonius: g) *quaestio de praefecturis Romanorum perdifficilis ac perobscura est.* Et sane is alioquin consultissimus antiquitatum, in hac re torquet se mirifice, ac non sine formidine opinionis a[illegible]ae pronunciat. Iam generaliter ait: inter omnes Italicas ciuitates praefecturarum conditio ac fortuna durissima fuit. Mox ἐν ὑποθέσει. neque vero quisquam hanc doctrinam, ad Capuae normam aut exemplum dirigere vniuersam debet. quod sane verif-

f) IV. histor. cap. XX. g) II. de antiqu. iure Ital. c. X.

veriſſimum eſt. Haec enim, vti vidimus modo, dediticia primum facta, magiſtratus ſuos, inſignia et arma retinuit. Neque aliter venerat in ditionem populi Rom. quam vt contra hoſtes praeſidium haberet. Federis rationem itaque praefert ditio, ſed non aequi. Liuius [h]) iterum: *Apuli audacter ſpondendo impetrauerunt, vt fedus daretur: non aequum tamen: ſed vt in ditione populi Romani eſſent.* quin Capuani ſe adpellant *ſocios* et *amicos*, quae honorifica nomina ſunt, nec imperioſa, ant iniqua, qualia reperiuntur alias in ciuitatibus, ditioni ſubiectis. Verum patet omnino, duplici ſenſu accipi poſſe, in ditione alterius viuere, vel de deditione ſponte facta, vel de bellica et militari. Per illam comiter et humane ſuſcipiuntur, qui ſe alterius fidei committunt: hac puniuntur a victore, qui iure ſuo vtuntur. Diuerſas hinc locutiones vſurpare videas Romanos. Curtius: [i]) *Democrates gladio ſe transfigit. ceteri ditioni Alexandri ſe permittunt,* fidemque eius ſequuntur. Contra de Amphotero ſcribens, quod centum ſexaginta nauium claſſe *inſulas inter Achaiam et Aſiam in ditionem redegerit,* duriora vtique ſubindicat. Sic paſſim Cicero inuicem oppo. nit: *in amicitia ditioneque eſſe*, item *ſub imperium ac ditionem populi Rom. ſubiungi.* Liuium ſub pari formula emendat Gronouius pater: *cogi in ius iudiciumque populi Romani*, XXXVI. hiſtoriam cap. XXXIX. Ipſa rurſum Capua id teſtificabitur. quae a Romanis deficiens, cum Annibal eſſet ante portas, poſt bellum Punicum ſecundum, obſidione cincta et dedita, non magis in ditionem, quam poteſtatem venit. [k]) placuit inde, habitari tantum Capuam, frequentarique tanquam vrbem. corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium,

nec

h) l. c. et IX. cap. 6. i) de reb. Alex. VI. 5. it. IV. 5. conf. Grot. III. de iure B. P. c. XX. n. L. k) Liu. XXVI. cap. XVI.

nec magiſtratus eſſe. ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam; ad conſenſum inhabilem fore. Vt igitur prior Capua ſit a poſteriore diſcernenda probe, ſi quando de illius vel praefectura, vel deditione loqui velimus. Illa reipublicae nomine indigna haut [illegible] haec ſepulcrum et munimentum Campani populi vocatur. Ad haec ſemper inſpicienda eſt formula dedendi, an ſedere, ſponſione aut pactione fiat, an ſub onere et graui quadam conditione. Inde eſt, quod praefecturarum aliae ſint liberae, aliae vectigales ac ſtipendiariae, aliae in tantum plus minus obſtrictae. Neque tam luculenta ſunt, quae Sigonius porro de praefecturis affert, ius in eas non tam populi, quam ſenatus fuiſſe, idque locis antiquorum ſe firmaturum pollicetur. quae non comparent. Feſtus [l]) manifeſte: *populi ſuffragio creati ſunt, qui in praefecturas irent.* Idem cum illo Onuphrius, [m]) et Paullus Manutius tradunt. qui ad Ciceronis epiſtolam XII libro ſeptimo familiarium: *praefecturae ius ciuitatis Romanae habebant, Romanisque tum legibus, tum magiſtratibus vtebantur, vel a populo creatis, vel a praetore vrbano delectis.*

§. LXXII.

b) PER DEDVCTAS COLONIAS ROMANAS ET LATINAS. ILLARVM FORMA. DECVRIONES. IIVIRI

Coloniarum iura ex Romanis deriuata eſſe, et cum ipſa deductione veluti migraſſe extra vrbem, quis dubitaret? A. Gellius eleganter in hanc rem: *coloniae non veniunt extrinſecus in ciuitatem, nec ſuis radicibus nituntur: ſed ex ciuitate quaſi propagatae ſunt: et iura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent: quae tamen conditio, cum ſit magis obnoxia, et minus libera: potior tamen et praeſtabilior exiſtimatur, propter amplitudinem, maie-*

l) In voc. Praefecturae. *m)* Panuin. de Imp. Rom. p. m. 700.

maiestatemque populi Romani, *cuius istae coloniae quasi ef figies paruae, simulacraque esse videntur.* Potuisset quis existimare, id praedurum fuisse, quod coloniae legibus patriis adstringerentur, ac iam constituta a se ciuitate, nouas pro arbitrio ferre non deberent. Sed noctium scriptor doctissimus id honori ac decori coloniarum dedit, quod iura sequerentur aequata, et sic pari cum maioribus suis fruerentur iustitia. Duplices autem fuerunt illae, Romanae et Latinae. Romanas hactenus aperte signauimus, quas triumuiri duces, more senatus populique Romani, in decuriones ac plebem distribuebant. Decuriones imaginem senatus, plebs vero populi magnitudinem referebat. Ex decurionibus singulis annis duumuiri, vel quattuoruiri creati, secundum incrementa videlicet et amplitudinem coloniae: qui duumuiri iuridicundo vocabantur, et prope consulum speciem repraesentabant. Scipio Gentilis *) iurisdictionem duumvirorum nimis arcte concludit: *tribunal*, inquit, *non habuerunt: nec vnquam dicuntur praeesse tribunali, nec iuridicundo, quod est maiorum et legitimorum et populi Rom. magistratuum proprium.* quin legis Maniliae verbis convictus, existimat, ea non de magistratibus coloniae, sed aliis ex vrbe missis capienda esse. Verum sententiae huic repugnat cenotaphium Pisanum, ab Henr. Norisio multa eruditione ac studiis instauratum: CVM PRIMVM PER LEGEM COLONIAE DVOVIROS CREARE ET HABERE POTVERIMVS, et quae sequuntur de illorum auctoritate publica. Ipsos hosce iuridicundo praefuisse, marmora demonstrant apud Gruterum ac Reinesium, quorum indices, *De magistratibus et honoribus*, merentur euolui, si numero certare velimus, de IIVIRIS I. D. Ita enim veteres per notas vulgo receptas expressere. De tribunali, *magistratus insigni*, maior difficultas est, an duum-

 viri

*) II. de iurisd. cap. VI.

viri in coloniis illud habuerint. Praetoribus id praecipue datum, vt de fella ac tribunali pronunciarent. Eodem honore praefides [o]) dignofcebantur. Qui non adeo fublimis fuere dignitatis magiftratus, vtebantur fubfelliis. Afc. Pedianus: [p]) *qui minora exercebant iudicia, non in fellis curulibus, nec tribunalibus, fed in fubfelliis confidebant.* Verum fi aedili honor tribunalis ac ius non denegaretur, quis in coloniis opulentioribus duumuiris abiudicaret? Suetonius: [q]) *Caius Albutius Silus Nouarienfis, quum aedilitate in patria fungeretur, cum forte ius diceret, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus e tribunali detractus eft.*

§. LXXIII.

ET CAETERI MAGISTRATVS. LATINARVM FORMA. IVS LATII DIVERSVM A IVRE QVIRITIVM.

Habebant etiam duumuiri quaeftores atque aediles fuos, qui viarum, aedificiorum, annonae et vectigalium curam fufcipiebant, nec aliter ac Romani ciues gaudebant beneficiis et honoribus praeclaris. Latinae coloniae huc accedebant proxime, quod ritibus maximam partem et iure Romanorum vterentur, et antiquae cognationis intuitu multa priuilegia nactae, in primis ad fuffragia in comitiis inuitarentur: et fi qui annuum geffiffent magiftratum, in Latina colonia, iure ciuitatis Romanae donarentur. Appius Claudius de vicinis populis: [r]) *Λατίνων τριάκοντα πόλεις μετὰ πολλῆς δέξαιντο ἂν τὰς ὑπὲρ ἡμῶν ἀγῶνας διὰ τὸ συγγενὲς ἐὰν ψηφίσησθέ αὐτοῖς ἰσοπολιτείαν μόνον, ἧς ἀεὶ διατελῦσι δεόμεναι. Latinis triginta populis propter cognationem nihil optabilius poffet contingere, quam vt pugnarent pro nobis: fi modo decerneretis eis aequum ciuitatis ius, quod petere non definunt.*

De

o) l. 9. ff de poen. p) p. m. 34. q) de clar. Rhet. c. VI. r) Dionyf. Halic. VI. antiqu. n. 188.

De iure Latii, Nemausensibus dato, Strabo IV. Geographiae, in Gallia Narbonensi. vbi docet, eos fieri ciues Romanos, qui hoc iure donati sint, nec praefectos Romanorum missos cum iis quidquam negotii habere. Erat autem *ius Latii* duplex, *veteris* et *noui*, pro terminis mutatis. Qui acceperant veteris Latii ius, cognationum et patronorum iura exercebant, noui participes illud vix poterant. *Veteris* primordia sine dubio quis referret ad tempora regis Tullii, qui asylum Latinis et curiam in vrbe permisit: *Noui* forte eadem est ratio quae Iuris Italici, cuius mentio apud iureconsultos frequens. Quae sint alia his peculiaria, maxime coloniis Italici iuris, solide exponit Io. Strauchius, *s*) et ne videretur aliena proferre, a munere iureconsulti, lectorem ita alloquitur: *quid vero, quantumve fuerit iure Italico potiri, non possunt ignorare, qui non peregrinantur in historia et antiquitate Romana. Praecipue ignorare non debebant studiosi iuris, quibus cum ciuibus Romanis, cum peregrinis, cum deportatis, cum praediis stipendiariis, tributariis, Italici iuris, et horum similibus adsidue in schola Romani iuris res est, nec intelligi ius illud sine his recte potest.* Car. Sigonius *t*) heic rursum intercedit, quod ad iuris Romani communionem attinet, in caussis priuatorum, neque concedit Latinos id potuisse obseruare. quod ius Latinorum subinde opponatur iuri Quiritium, quodque in libertate, gentilitate, sacrorum et connubiorum legibus, in patria potestate, testamentis ac tutelis potissimum constiterit. Ita Plinius *v*) pro tribus Latinis inuocat Traianum, quibus det ius Quiritium. Tribus aliis vt indulgeret, antea volentibus patronis petierat. Archagatho anno vrbis DXXXV. ius Quiritium datum et taberna,

 vbi

s) De Beryto ad tit. C. cap. II. conf. Panuin. de Imp. Rom. p. m. 694. *t*) I. de antiqu. iure Ital. IV. *v*) lib. X ep. CV, it. ep. VI.

vbi factitaret medicinam vulnerariam, teste Plinio XXIX. *hist. natur.* cap. I. At vero nobis videtur potius, quando agitur de iure Latinorum et Quiritium, opponi fere inuicem personarum statum, ac publica iura, per quae superiores vtique fuerunt Quirites ciuibus aliis, siue honores ac magistratus, siue commoda belli pacisve respiciamus. Priuatas enim Romanorum leges in coloniis habuerunt. Cicero pro L. Corn. Balbo: [x]) *innumerabiles leges de iure ciuili latae sunt. quas Latini voluerunt, adsciuerunt.* Lege Villia Titia, [y]) quod huc vsque tutores Romae darentur, iis, qui iurisdictionem administrabant in prouinciis, concessum est ius tutorum constituendorum. Tribunitia fuit, anno V. C. DXXVI. perlata, si Pighio credimus in annalibus. Male ibidem obuia est *Iulia* pro *Villia*: qui error insignis ab eodem detegitur. Velleius [z]) itaque colonias adpellat *ciuitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris.* De libertate quis negaret, iam Latinos non habuisse, neque dedisse? sed cum Romae manumitterentur, ibidem ciues erant; si apud Latinos, Latinitate gaudebant. Lex Iunia [a]) Norbana non pertinebat aliorsum, sed per eam inter vtrumque manumissum differentia ostendebatur, qua pateret, ciuem vrbis aeternae ac victricis semper melioris esse conditionis. Libertinis in vrbe succedebatur ex iure: libertinis in colonia Latina non aeque. quorum bona manumissores capiebant, non iure hereditatis, sed iure peculii, secundum Theophilum. [b]) Rationem addit: *ὐδὲ γὰρ κληρονομίαν ἐπὶ οἰκετῶν δυνατὸν καλέσαι.* quod libertini, apud Latinos, libertatem cum anima exspirent. De modis, quibus Latini participes facti sint iuris Quiritium, Vlpianus *in fragmentis* tit. III. Illud autem

x) p. m. 518. y) Vlp. in fragm. tit. XI. de Attil. tut. instit. z) I. histor. cap. XIX. a) §. 3. Instit. de libertin. b) ib. de success. libert.

autem omnino largiendum haut eſt Sigonio, quod dicto loco ſcribit, ciues Roma in colonias deductos, earum vrbium, in quibus collocati eſſent, ſacra ſecutos fuiſſe, Romanis ſacris deſertis. Locus Ciceronis, c) ex agraria *contra Rullum*, ad poſſeſſionem gratiae refertur; eam certe maiorem in patria conſecuturi erant, quam ſi Rulli ductu irent coloni in Sipontinos. Romae, vt modo ſignificauimus, cuncta ſplendidiora, cuncta ampliora, ſiue libertatem, ſuffragia, dignitates, ludos, feſtos dies et cetera perpendamus commoda. Hoc praeſertim voluit orator, non quod alio ciues translati ſacra amitterent. Henr. Noriſius, d) quae contra eandem ſententiam, ex Piſano monumento afferat, prae aliis videndus eſt.

§. LXXIV.

c) PER MVNICIPIA IVRE COLONIIS POTIORA. QVID POPVLVS FVNDVS.

De municipiis Romanorum diuerſa nouimus. Erant enim meliore loco, quam coloniae, ſicut de *Eborae antiquitatibus* id docet Andr. Reſendius cap. IV. Addatur quoque Vlpianus *l. 1. ff. ad municipal.* A. Gellius: e) *Municipes ſunt ciues Romani ex municipiis, legibus ſuis et ſuo iure vtentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capeſſendo adpellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque vlla populi Romani lege adſtricti, ni, inquam, populus eorum fundus factus eſſet* Maluimus haec quoque iungere, quod veteres de ſociis populis locuturi tria paene iſta ſimul ponant. Sic in Seſtiana. *nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae ſocietas vectigalium.* Ab initio municipia nunquam ad ſuffragia vocabantur, et ſi ab ouo rem arceſſimus, Caere primum ius municipii hoc

 modo

c) p. m. 302. cap. XIII. d) Differt. I. cap. V. e) XVI. Noct. Att.

modo accipiebat. Inde autem eft, quod a cenforibus notatus, iureque fuffragii priuatus, *in tabulas Caeritum* adfcriptus diceretur. Neque enim in tribu, aut albo centuriae, nomen amplius conftabat. Succeffu temporis coeperunt municipia pariter fuffragia ferre, ficut non obfcure Transpadanorum exemplo colligitur, ex epiftola II. Ciceronis ad Atticum, libro quinto. In his quattuoruiri praeftabant, quod Romae confules. Caefar maiora ipfis pollicebatur incrementa, vnde fibi quoque profpiceret, in rebus nouis moliendis. Ante illum Gracchus pari confilio ftimulauerat Latinos, ad ius ciuitatis Romanae, fiue ius Latii petendum, vt horum opera deinceps felicior effet in legibus, quas ferre conftituerat. Appianus: f) *ἐπὶ τῷ ἔχειν καὶ τὰς δὲ ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν νόμων αὐτῷ συντελοῦντας.* Leges tamen Romanorum municipia habuiffe, fi fieret populus eorum fundus, adhuc explicandum reftat. In eo maxime difcernuntur a fe inuicem, quod municipia fuis viuerent inftitutis ac legibus, populus fundus contra fefe obnoxium Romanis redderet. Francifcus Hotomannus g) in genuina vocis fignificatione proponenda ftrenue occupatur, et cum Fefto *populum* adpellat *fundum* rei, quam alienat, *auctorem.* quafi diceret: populus eft fundus, auctor, ciuibus fuis, vt hoc vel illud faciant, patrio fe iure abdicent, fe pro ciuibus Romanis gerant, vt populi Romani lege ac iure vtantur. Tum enim populus illis firmamenti loco eft, vt eo tutius nitantur. Quando autem accufatorem Balbi hoc velle demonftrat, eum propterea ciuem Romanum effe minime poffe, quod populus Gaditanus, vbi natus Cornelius Balbus ciuis, nondum confenferit, fiue fundus fit factus, vt fe dicaret in aliam ciuitatem, mentem Ciceronis non exhaurit. Verba eius ita iacent: *negat ex federato populo quenquam potuiffe, nifi is populus fundus factus*

f) I. bellor. ciu. p. 363. g) II. obferu. cap. VI.

factus esset, in hanc ciuitatem venire. Sunt enim plures populi, foedere iuncti, quibus via patebat ad praemia in vrbe capessenda. qui si non prius admitterentur, quam fundus fierent, id est, leges et instituta Romanorum sequerentur, Ciceroniano sensu, inique cum ipsis ageretur. Nam ridet accusatorem: h) *o praeclarum interpretem iuris, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem ciuitatis. qui hanc poenam federibus adscribat, vt omnium beneficiorum expertes faciat federatos.* Ergo non tantum populo fundo, sed omnibus praeterea federatis licuit, ciuitatem petere Romanam, eiusque frui iuribus, nec minus permissum illis, num suis, an Romanis viuere legibus vellent. Oratorem porro audiamus: totum hoc in ea fuit positum ratione semper, vt cum iussisset populus Romanus aliquid, *si id adsciuissent socii populi ac Latini, et si ea lex, quam nos haberemus, in populo aliquo tanquam in fundo resedisset, vt tum eadem lege is populus teneretur.* quare nonnullae ciuitates, antequam leges a Romanis susciperent, fuere circumspectiores. Verum nec iis imponebantur, nisi vellent: immo cum Romanis legibus adscitis obtinebant aliquae maiorum. Asconius Pedianus de Siculis: i) *Etenim apud veteres non Romano tantum iure, sed et suis cuiusque ciuitatis legibus agebatur.* Traianus k) ad Plinium: *quo iure vti debeant Bithyniae vel Ponticae ciuitates, in iis pecuniis, quae ex quaque caussa reipublicae debebuntur, ex lege cuiusque animaduertendum est.* Triumuiri Galli, Nic. Rigaltius, Henr. Valesius, Ismael Bullialdus, erudite discusserunt quaestionem de populo fundo. ex quibus l) hic naris emunctioris opinatur, populum Romanarum legum studiosum, ac fundum semel factum, propriis legibus vti non posse, aut nouas introducere. Audacter satis et vniuersaliter. Lege recepta

h) pro Corn. Balb. p. m. 518. i) de iurisd. et Praet. Sicul. p. m. 119. k) lib. X. ep. CX. l) p. m. 51.

cepta tenetur, de sententia Ciceronis; non vero prohibetur introducere alias, easque meliores. Non itaque contra veterum instituta duo priores, admisso discrimine, tam incongrue statuunt, liberum suique iuris manere populum fundum, nec lege teneri, quin sponte adsciuerit. Sigonius, et ex illo Hotomannus, Ciceronem nobis efficere suspectum conantur quod tempori ac suae caussae inseruierit, instar oratorum, nec verum vbique adfectatus sit, quibus iam satisfecit Turnebus quarto aduersariorum, capite duodecimo.

§. LXXV.

d) REGIONIBVS IN FORMAM PROVINCIAE REDACTIS.

Si quae terrae a Romanis in *formam prouinciae* redigerentur, inter praecipua fuit capita victorum, quibus coercerent subiectos, vt leges darent et iura patria. Dionysius Halicarnasseus: m) *ὁι ἑτέρων ἐξουσίᾳ γενόμενοι τὰ τῶν κρατησάντων ἠναγκάσθησαν ἐπιτηδεύματα μεταλαβεῖν. redacti in potestatem alienam, cogebantur victorum institutis ac moribus viuere.* Ex antiquissimo pariter gentium iure sunt, quae recitat Callisthenes, apud Curtium: n) *ego victoris esse confiteor, si ab illis leges, quibus viuamus, accipimus.* Id graue quidem nonnullis visum, ac praedurum ab initio; at paullulum adsueti sanctionibus Romanis, probarunt admodum. Ariouistus o) Caesari respondet: *populum Romanum victis non ad alterius praescriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse.* Neque vero hoc ad palmas tantum pertinebat, et quod prouinciales cogerentur audire superiorum iussa: sed hinc maior cum Romanis consensus impetrabatur, et, qui ab aliis victi, sub iugo prauae libidinis gemebant, nullius iustitiae participes, Romanorum aequi-

m) lib. VII. n. 350. n) lib. VIII. cap. V. n. 19. o) L. B. G. cap. XXXVI.

aequitatem, inque reddendo iure ſanctitatem, praedicabant. Athenaeus, ſub extrema ſexti [p]) *deipnoſophiſtarum* praeterea laudat eos, quod non aliis tantum a ſe victis praeſcripſerint leges, ſed quae honeſta fuerint, ab iis receperint in ſuam ciuitatem: *καὶ λαμβάνοντες ἅμα τοῖς δορυαλώτοις καὶ εἴτι χρήσιμον καὶ καλὸν ὑπῆρχε παρ' ἐκείνοις εἰς μίμησιν.* Inter pacis opera nullum erat tum venerabilius, nullum ad hominum animos Romanis conciliandos optatius. Fuere inter nationes longe diſſitas, quibus leges celebrabantur, et placita Romanorum honeſtiſſima, ideo quoque ſtimulabantur ad cultum eorum, ac ſerio cupiebant iungi, vel more ſaltim viuere Romano. Auguſtinus [q]) diuinae prouidentiae tribuit, quod leges Romanorum paſſim obſeruarentur: *per filiam Babylonis*, ita vocat Romam, *DEO placuit orbem debellare terrarum, et in vnam ſocietatem reipublicae legumque perductum, longe lateque pacare.* Euidentius idem ſanctiſſimus pater: [r]) *Romani conſuluerunt patriae conſilio libero: neque delicto ſecundum ſuas leges, neque libidini obnoxii: his artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam; imperiique ſui leges impoſuerunt multis gentibus.* Quodque in primis memoria dignum fuit, gentes bello florentes, quamuis imperium poſtea excuterent victoris populi, et ad priſtinam libertatem peruenirent, leges tamen Romanorum retinuiſſe. Vt igitur non male ſtatuerit Ludouicus Pius Imp. Aug. *Lex Romana eſt omnium humanarum mater legum.* Agit autem ibi de lege ac poena veneris praepoſterae, [s]) quam igne Romani cohibuerunt. Additione IV. continetur locus tam inſignis, in Lindenbrogiana n. CII. in Baluziana vero n. CLX, omnium emendatiſſima.

p) p. m. 273. *q)* XVIII. C. D. c. XXII. *r)* V. lib. cap. XV.
s) l. 6. C. Theod. de adulter.

SECT.

SECT. II.

DE LEGIBVS POST XII. TABVLAS LATIS.

§. LXXVI.

AVCTO BELLIS IMPERIO R. LVXVRIA CIVES INVASIT. LEX ORCIA DE NVMERO CONVIVARVM.

Ita vero auctis, cum terris, ac numero prouinciarum, opibus et potentia Romanorum, legibus etiam quaquauerſum propagatis, quas quidem pro conditione temporum, ac ciuitatis commodo, tum condiderant: tandem fieri aliter haut poterat, quam vt citatis paſſibus occuparet animos luxuria, ac ſe ſuaque perdendi libido. Veteres in cibo ac potu, in veſtitu et vtenſilibus, parci magis, quam ſordidi, in omni vita temperatiſſimi. Bis die ventrem non onerabant, nec epulas tam varie diſtinguebant, in ientacula, prandia, in merendas, coenas, atque pocula: delectus non adeo pretioſus rerum edulium, nondum aromata Indorum adpetendi facultatem acuebant: non piſcis ſolitarius, aut rarior auis inter cupedias adponebatur, non ferina multiplex augebat menſae ſpectacula: parum ſalis cum pane, farris ac pultis ſaepius reddebat hilares, ac negotiis ſuis aptiſſimos. In amictu lana praeſtabat, ditiorum aeque ac pauperum ornatus, nec exterorum varii colores dum placebant, cum intextis figuris. Verum illatis ſemel iterumque ſpoliis hoſtium, argento manubiali, et auro coronario, peregrina ſimul vitia irrepſere. Excogitarunt ingenia prodigorum genera portentoſa ciborum, margaritas aceto liquefactas hauſerunt, conuiuis panes ex auro, et obſonia prae-

praebuerunt, nouum induxere balnearum vsum, calidis frigidisque vnguentis cutem demulserunt, in vestitu maiori paene superbientes vesania. Primus temperantiae studiosior, C. Orcius, legem de numero conuiuarum tulit, tertio quam Cato censor fuerat anno, secundum Macrobium. [t]) Tribunus plebis is fuit, inque hac lege promulganda senatum habebat consentientem. Cato inter dissuasores illius praecipue fuit, quippe seuerae vir disciplinae, et qui nihil admitteret facile, quod cum ingenio moroso, et pristinis institutis non conueniret. Minime ferre poterat, quod numerum potius, non etiam sumtus restringeret Orcius, quamuis eam deinceps toleraret, ceu vtilem ciuitati. Hoc videtur ex Festo probabile fieri, cuius verba sunt: *Cato in suasione, ne legi Orciae derogaretur: qui antea obsonitauere,* supple denis, vicenis, tricenis, quod ex A. Gellio deinde patebit: *postea centenis obsonitauere,* id est, libris siue assibus, quibus commune pretium. Scaliger in castigationibus legit *centeni,* quasi conuiuae tot obsonitauerint, et hos opponit solis, qui cum patre familias antea cibum frugaliter sumserint, quae scopo M. Catonis, siue vociferationi, vt cum Macrobio dicamus, non satis apta creduntur. In verbo *obsonitauere* notandum praeterea, quamuis apud comicos accipiatur, pro *lautius aliquanto viuere,* tamen saepius poni pro *cornare communiter,* vt sic ad quotidianos sumtus in coenis potius, quam solennes epulas respiciatur, quibus centenas abligurire, non inusitatum. Censor enim id potissimum exigebat, ne contra numerum duntaxat praescriptum, sed et ne contra facultates cuiusque, sumtus impenderentur, quibus perirent opes priuatorum, et luxus quotidie cresceret. Sed omnia simul prudens legislator non edicit, vitiis patriae quaesiturus remedium: sufficit, per gradus emergere, et obstruere

t) II. Saturn. cap. XIII.

ſtruere fauces prodigis. Fons mali hic eſt, quo copioſius quis fundit liquorem, eo plures adſunt ventres, atque ciborum voragines. Iam vero adſueti numero ſubiecti, vt ne poſthac maiora, pro re familiari, abſumerent in conuiuiis, adduci eo rectius poterant. Occaſionem legi praebuerat hauddubie triumphus Cn. Manlii, qui coronas aureas CC. duodecim pondo: argenti pondo CCXX. millia: auri pondo MMCCIII, tetradrachmum Atticum CXXVII. millia: ciſtophorum CCL, Philippeorum aureorum nummorum ſedecim millia CCCXX: et arma ſpoliaque multa Gallica, carpentis transuecta. militibus quadragenos binos denarios diuiſit, duplex centurioni, et ſtipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. quibus diuitiis aucti Romani modum ponere neſciebant luxuriae. Liuius: *v*) eius origo ab exercitu Aſiatico inuecta in vrbem eſt: ii primum lectos aeratos, veſtem ſtragulam pretioſam, et alia textilia, cum ſupellectile magnifica, Romam aduexerunt. *epulae ipſae, et cura et ſumtu maiore adparari coeptae. tum coquus, viliſſimum antiquis mancipium, et aeſtimatione, et vſu, in precio eſſe: et quod miniſterium fuerat, ars haberi coepta.* De coquorum pretiis, vndecimo libro Plinius, capite XVII. Caſaub. ad Theophr. p. m. 107. Haec paucis annis ante, quam lex Orcia daretur, ab vrbe condita, ſi Pighium ſequimur in annalibus, DLXVI, facta leguntur. Ex quibus certi ſumus, quae ſemina fuerint luxus Romanorum, a quo vt reuocarent ſuos, leges in omnem partem fixerunt, refixerunt. Neque vero exiſtimandum, quod lege alia de luxu prodita, prior ceſſaverit, aut vigorem ſuum prorſus amiſerit. Prouideri pariter nec omnia poſſunt, quare, ſicut mores ferebant ac tempora, vel corrigebantur quaedam, vel noua adiiciebantur, nomine legislatoris interea retento ſemper, quod

v) lib. XXXIX. cap. VI.

quod in Horatia superius paullo docuimus, vtut in repetitione magis, quam abrogatione consisteret.

§. LXXVI.

LEX FANNIA DE SVMTIBVS CONVIVIORVM LEGE DIDIA AVCTA ET AD ITALOS EXTENSA.

Sic postquam in sumtu moderando semel periculum fecerant, ne gula et voluptatibus perderentur boni mores, id quod Cato potissimum vrserat, tandem senatus decreto confirmatum est, quo iubebantur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, siue conuiuia agitarent mutua, iurare apud consules verbis conceptis, *se non amplius in singulas coenas sumtus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris.* Ex Atei Capitonis collectaneis ista nobis conseruauit antiquitatis patriae cultor praecipuus A. Gellius. x) Centeni vicenique aeris sunt totidem asses, indeque orta est vox elegans apud Lucilium, in fragmentis, ac Persium *centussis*, centum asses, siue de Budaei y) sententia, quadraginta sestertii. Gronouii explicatio habetur III. *de pecunia vetere*, capite nono. qui ibidem capite VII. *centenos aeris* tum non vltra sex denarios, et sestertium processisse ait, quod illa aetate denarius sedecim assium esset. Philippus Caroli, centenos illos aeris decem nobis drachmas reddere ait. Tertullianus in Apologetico, sexto capite, *centenarias* adpellat coenas Romanorum, a *centenis sestertiis*. quae non adeo perspicua sunt, vt sine discrimine accipi queant. Sestertii enim assisque differentia nimis quam vulgata, nisi maior ambitio, et luxus insania describatur, quasi non a centum assibus amplius, quam sestertiis ita vocarentur. Festus: *centenariae dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus, praeter terra nata,* olus nimirum, far ac vinum patrium, *impendebatur,* id

x) II. Noct. Attic. c. XXIV. y) V. de asse p. m. 627.

id eſt, *centum aſſibus, qui erant breues nummi ex aere.* Meliora itaque ſunt, quae antecedunt verba patris Afri: *leges centum aera,* ſiue aſſes, *non amplius in coenam abſumi iubebant.* Fannia igitur lex, quae ſenatus decretum ſequebatur, modum praefiniuit ſumtus, qui feſtis diebus, ac ſolennibus in coenas poterant impendi. A. Gellius: *centum enim Fannius conſtituit feſtis quibusdam diebus, eosque ipſos dies adpellauit. aliorum autem dierum omnium in ſingulos dies ſumtus incluſit intra aeris alias tricenos, alias denos.* ex quibus Pomp. Feſtum ſupplendum eſſe modo ſignificauimus. Macrobius ex Sammonico Sereno memoria non indigna nobis ſuppeditat: *lex haec omnium ordinum conſenſu peruenit ad populum, neque eam praetores aut tribuni, vt plerasque alias, ſed ex omni bonorum conſilio, et ſententia ipſi conſules pertulerunt. cum respublica ex luxuria conuiuiorum maiora, quam credi poteſt, detrimenta pateretur. ſiquidem eo res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pudicitiam ac libertatem ſuam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, et ebrii de reipublicae ſalute conſulerent.* Loca ſcriptoris vtriusque ſemel indicata, heic quoque repeti debent. quod ibi per ſaturam adducantur, quaecunque praecepit de ſumtu vetus Roma, libertate ac viribus potentiſſima. Cicero iocatur ex lege, ad Papirium Paetum: [z]) *in denos dies, ſingulos ſumtuariae legis conferam,* quaſi diceret, quem ſumtum in ſingulos dies praeſcribit Fannia, aut recentior alia, in decem dies eum diſtribuam: ita non modo non contra legem, ſed etiam extra legem epulabor. Athenaeus [a]) ideo frugalitatem ab antiquis cultam fuiſſe ſcribit, quod opimiora diis non offerrentur, quam homines in dies caperent. ἄτοπον ἡγέμενοι, τοῖς μὲν θεοῖς πέμπειν κατὰ τὰ πάτρια, αὐτοῖς δὲ χορηγεῖν κατὰ τὰ ἐπείσακτα, ſub finem ſexti *deipnoſo-phi-*

z) IX. fam. ep. XV. a) p. m. 273.

phistarum. ibidemque commemorat, Mucium Scaeuolam, Q. AElium Tuberonem, Rutilium Rufum, iuris peritissimos, legem hanc inprimis obseruasse. In textu ibi hauddubie mendum est, a librariis ortum, qui pro Q. AElio vnicam dedere vocem, Καικίλιος. quod in cognomine finius certi, Tuberones in gente AElia semper fuisse, qua de pluribus ad enchiridion Pomponii Rupertus. [b]) Caecilii contra Metelli, Calui, itemque Celeres, Nepotes, ac similibus internoscuntur adpellationibus. Plinius [c]) hanc legem annis XI. ante tertium bellum Punicum esse latam scribit, eamque deinceps per omnes cibarias ambulasse. Ita mox Didia post hanc facta, quod homines Italicae ditionis Fanniam non in se, sed in solos vrbanos putarent conscriptam, alia omnino [d]) a Caecilia Didia, quae de legislatione Romana in genere praecipiebat. ea vero sic tenebantur, vt non solum, qui inuitarent, sumtusque maiores fecissent, sed et qui interfuissent sumtuosioribus epulis, poena legis dictae mulctarentur.

§. LXXIIX.

LEGES LICINIA, CORNELIA SVMTVARIAE.

Licinia fuit proxima, ab auctore P. Licinio, tribuno plebis d. c. a. *cuius*, miro fato, quod annotat Macrobius, *ferundae probandaeque tantum studium ab optimatibus impensum est, vt consulto senatus iuberetur, vt ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia comprobata.* Antea tribunorum studiis tam faciles non fuere patres, qui sicubi daretur occasio, praepedire studebant, quidquid a tribunis proficisceretur. Noli tamen quaerere caussam. Vitiis tota erat obnoxia ciuitas, quibus tollendis patricii cum plebeiis operam conferebant, sicut modo ex Sammonici relatione didicimus. Turpe senato-

b) lib. III. cap. IV. ac XII. *c)* lib. X. de histor. nat. cap. L.
d) Fabric. in histor. Cicer. ad ann. vrbis DCLV.

natorum filiis, ob voluptates relinquere conditionem maiorum: turpe ciuium liberis, ex honesto statu prolabi ad seruitia, voluptates, et nominis ignominiam. Quemadmodum autem propter auctorem Fannia nobiliores magis erant conuicti: ita Licinia plebs moratior ac temperantiae studiosior fieri poterat, certe debebat. Vtraque paucis mutatis conueniebat. Summa haec fuit, vti kalendis, nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi caussa liceret consumere: ceteris diebus, qui excepti non essent, ne quid adponeretur, nisi praeter carnis aridae, salsamentorumque pondo certa, quod ex terra, vite, arboreve natum sit. Haec sunt Macrobii. Licinii igitur lege magis adstrictas fuisse gulas Romanorum, credi par est. Fannia enim secundum A. Gellium singulis mensibus decem, Licinia quinque saltim diebus, triceni conceduntur asses. Ciceronis [e]) festiua rursum epistola est ad Gallum: *sumtuaria, quae videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. nam dum volunt terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, vt nihil possit esse suauius. in eas cum incidissem in coena augurali, tanta me διάῤῥοια arripuit, vt hodie primum videatur coepisse consistere. ita ego, qui me ostreis et murenis facile abstinebam, a beta etiam et malua deceptus sum.* Verum neque diu praeualuere leges de sumtu, epularum parte ciuitatis maiore ad fumum culinae, et nitorem propensa. Obliuiscuntur cito instituti melioris, qui ventrem potius, quam rationem audiunt. Caussa haec fuit, cur leges antea datae, Sullae dictatoris aeuo, *situ ac senio oblitteratas* dicerentur. Iste vero, num prohibuerit lege sua, an promouerit luxum, prope incertum est. Appianus [f]) scribit, leges et antiquasse illum, et condidisse. νόμους τε ἐξέλυεν, καὶ ἑτέρους ἐτίθετο.

A. Gel-

e) VII. fam. ep. XXVI. f) I. ciuil. p. 412.

A. Gellius cum Macrobio in nobili annotatione, de luxu veterum Romanorum, laxiora prodit omnia. Nuper assibus tricenis festa conuiuia transigebantur: hic moderaturus impensas, largitur, vt kalendis, idibus, nonis, diebus ludorum, ac feriis, *sestertios tricenos in coenam insumere, ius potestasque esset.* Adeo medii coenarum sumtus, inter quotidianos et maximos, centussibus fiunt propiores. Immo, quo gulae seruirent etiam, qui paruis essent facultatibus, edulium vilitatem induxit, rebusque minora constituit pretia. Macrobius itaque cum iudicio exclamat. *Apprime luxuriosus mihi videtur et prodigus, cui haec tanta in epulis vel gratuita adponantur.* Plutarchus [g]) in vita Sullae commemorat, ipsum ad mitigandum dolorem, super obitu Metellae, leges violasse sumtuarias. *παρέβαινε δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς εὐτελείας τῶν δείπνων ὑπ' ἀυτῦ τεταγμένα, πότοις καὶ συνδείπνοις τρυφὰς καὶ βωμολοχίας ἔχουσι παρηγορῶν τὸ πένθος. transsiit leges de frugalitate in cibo potuque, conditas a se ipso, ne lugentes illicebris et scurrilibus cederent.* Famosus heluo omnique tyranno crudelior, tanto splendore praebuit epulas populo, vt magna quotidie pars cibariorum in Tiberim proiiceretur, vinumque diffflueret quadraginta annis amplius conseruatum. Est quidem, qui arbitratur, Cornelia lege, de vili deliciarum forensium pretio, nihil obseruari facilius potuisse, quod, spe lucri praecisa, obsoniorum opiparorum artifices conquisitoresque fuerint repressi, qui luxuriantibus praestiterint copiam epulandi carius. Non haec ratio legis est, non finis. qui semel deditus est voluptatibus, non vtilitate certat, sed varietate ciborum. Ipse Macrobius, vnde sententiam haurire se putat, nullum fuisse defectum ob viliora pretia demonstrat. *Dii boni*, inquit, *quam exquisita et poene incognita genera deliciarum, quos illic*

g) p. m. 474.

pisces, quas offulas nominat! Addit mox, per comparationem, ad sua tempora: hoc saeculum ad omnem continentiam tanto promtius, vt pleraque earum rerum, quae Sullana lege, vt vulgo nota comprehenduntur, nemo nostrum vel fando compererit. Euentu tandem patuit, Corneliam legem, sicut et alias, cum auctore parum effecisse; quin ciues Romanos, quo plus diuitiarum a deuictis populis accederet, eo lautius, ac flagitiosius egisse. Inter haec ad Iulii dictaturam perpetuam, AEmilia lex, Antiaque lata, vt vitium altius demissum euelleretur. sed obfuit semper natura omnium perdita, et nimia fastidientis stomachi libido. Tacitus [h]) ex litteris Tiberii ad senatum: *Tot a maioribus repertae leges tot quas Diuus Augustus tulit, illae obliuione; hae, quod flagitiosius, contemtu abolitae, securiorem luxum fecere.*

§. LXXIX.

LEX METELLA SEV METILIA VESTIARIA.

At neque in conuiuiis atque circulis tantum incusabatur luxus, in vestitu et rebus aliis, pariter in immensum proruperat. Vnum vel alterum exemplum in praesens sufficiet, quo monstremus curam veterum circa sumtus inutiles. Proculdubio vestiaria lex antiquissima est *Metilia*, de fullonibus vulgo dicta, a T. Metilio conditore suo. Plinii [i]) editores *Metellam* vocant, sed notante Pighio, [k]) diligentissimo istarum rerum aestimatore, perperam et contra auctoris primam scripturam. In Frobeniana, singulari industria procurata; margini docti cuiusdam manu penes me adscriptum inueni: *l. Metilia.* facilis quippe lapsus est et confusio in similitudine litterarum: cumque nomen Metilii non tam commune foret, Metelli vulgatius obrepsit imperitorum oscitantia. T Metilii huius, Crotonis cognominati mentio apud Liuium, [l])

tem-

[h]) III annal. p m. 123. [i]) lib. XXXV. cap. XVII. [k]) ann. DXXXIII. [l]) XXIII. cap. XXI.

tempore belli cum Annibale. Caecilia gens cognomine Metellorum clara, quod ex nummis familiarum Romanarum discimus potissimum. Q. Caecilius Metellus in plerisque negotiis Ciceroni oppositus inique, cuius pariter et aliorum genus distincte proponit Asconius, sub initium Ciceronianae, pro C. Cornelio, maiestatis reo. Iam vero nunquam a cognomine, sed gentilitio legislatoris nomine semper adpellantur leges, quod Hotomannus, [m]) contra Cuiacium recte adfirmat, vbi Gliciam legem de inofficioso euertit. Metilius, tribunus plebis, censorum instinctu, legem hanc dedit, de ratione scilicet poliendarum vestium. Erant enim tum externi moris quidam studiosi in vrbe, quorum superbia, ne vulgaretur ad omnes, Metilia lege coercebatur. Plinius ait; *adeo maioribus omnia curae fuerunt.* Zaleucus Locrensibus praeceperat, ne femina aureum ornatum, et vestes auro intertextas indueret, nisi meretricem agere velit. *μηδὲ περιτίθεσθαι χρυσία, μηδὲ ἐσθῆτα παρυφασμένην, ἐὰν μὴ ἑταίραν.* Pudore autem, et publica existimatione, facilius in officio retinuit ciues, ac si ingentem mulctam imposuisset quam ne quidem curant ambitiosi, propter opes, stultitiam passuras. Nec in vestitu solum, sed ornamentis quoque, et pretiosis rebus postea Romani praecelluere, de quibus *ὡς ἐν τύπῳ* Io. Meursius, in Roma *luxuriante:* et veteres iureconsulti, de auro, argento, mundo, ornamentis, vnguentis, vestimentis, et status legatis, consensu testantur amplissime. Funerum sumtus tabularum lege temperatos fuisse nouimus. Athenis idem obtinuisse, et cum tabulis Romam migrasse Cicero [n]) docet: *iam cetera* [illegible] *XII. minuendi sunt sumtus lamentationisque funeris, translata de Solonis fere legibus.* quae diu seruata sunt, ob religionis atque morum simplicitatem. Liuius: [o]) *prout res haut opulentae*

 erant,

m) Quaest. illustr. XXXIV. n) de leg. p. m. 341. o) III. lib. c. LVII.

erant, parui ponderis coronam tulere: colebanturque religiones pie magis, quam magnifice. quamuis aliorſum haec pertineant, menſuram tamen et funerationi conſtituunt quae ad religioſa pertinet: quin moratiores gentium plerasque moderatos feciſſe ſumtus in funeribus ex Platone [r]) colligimus: *τό δὲ παρὸν δεῖν ἐν ποιεῖν τὰ μέτρια ἀναλίσκοντα ὡς εἰς ἄψυχον χθονίων βωμόν. moderatos ſumtus decet facere in ſepulturis, velut ad aram terreſtrium anima carentem.* Romanos vero ſucceſſu rerum ſumſiſſe animos, et vel ſplendidis funeribus, vel monumentis cultu ſpecieque ſuperbis, auxiſſe debita, nemo eſt antiquitatis cultor, qui haec ignoret.

§. LXXX.

LEGES SEMPRONIA, IVLIA DE SVMTIBVS FVNERVM.

Solius M. T. Ciceronis auſa videbimus, ne ſemper vetuſtiora promamus. hic paſſim laudat frugi homines, ipſamque frugalitatem: in filia autem Tulliola defuncta, penitus ſui oblitus, fanum extruere parat. Atticus negotium ſuſceperat, in loco deſignando, vbi tranſituris memoria commendaretur. Scapulani horti placebant, rurſum Clodiani, Treboniani, mox alius ad publica itinera locus, frequentia hominum inſignis, donec in tanto aeſtu Tuſculanum filiae ſepulcro deſtinaretur. Indignabundus, quod non ſtatim procederent ex voto ſingula, amicum quaſi inſectatur: non quidem te accuſo; quod hortos non inueneris; ſed tamen ita auidus exſpecto fani molem, vt niſi id fieri ſentiam, in te ſit incurſaturus dolor meus. De forma fani pariter incertus erat, quam maxime eligeret operi: tandem Cluatii adſumta, quam eleganter ac perite deſcripſerat. Architectus erat Apella Chius, qui in marmore columnis apto ſollicite elaborabat, quodque et elegantiam fano, et firmitudinem conciliaret. Nec fanum erat, ſi aedificium propius adſpexerimus, ſed tem-

r) XII. de legibus. p. m. 959.

templum, ac pater de consecratione deliberabat. Interiora putemus, quae hoc nomine scribit: q) *ego me maiore religione, quam quisquam fuit vllius voti, obstrictum puto.* iam enim antea significauerat, Tulliolae manibus hoc se in animo promisisse. Peruenerat eo nimirum, vt prae nimio amore negligeret impensas, quare et pecuniam mutuo sumserat. *kalendae mihi vitandae fuerunt,* r) ipse sibi conscius scribit, propter exactiones foeneratorum, qui tunc nouas tabulas conficiebant, aut solutionem acriter vrgebant. et rursum ad Atticum: *ante, quam a te proxime discessi, nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumtum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse.* Aus. Popma, ad hanc epistolam, constitutionem Tiberii profert, vbi Semproniae legis mentio fit ante Iuliam de sumtu funerum, ac monumentorum. Quamcunque in oculis habeat Cicero, sine dubio ferre non potuerunt Romani, in sumtu et lamentatione pueriliter saepius peccari, vnde licet nomina legum non exstent amplius, res ipsa tamen manifesta est. Modus enim puniendi, quo tantundem in commune dandum, quantum excedunt impensae numerum definitum, in aliis quoque receptus fuit. Ac si nuper a Iulio Caesare hoc mandatum fuisset, eius tam cito non potuisset dememinisse Tullius. vt sic omnino videatur sanctio aetatis paullo vetustioris. De Iulio notant eruditi, illum lege coercuisse sumtus fere inutiles, in res quaslibet, nec admisisse, vt qui plus opum haberent, eas luxuriose profunderent. Dio Cassius: s) τὰ ἀναλώματα τῶν τι ἐχόντων ἐπὶ πλεῖϛον ὑπ' ἀσωτίας ἐξηγμένα ἐκ ἐν νόμῳ μόνον ἐμετρίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποιήσατο, *quando locupletiores nullum sumtibus modum statuerent, eos non legibus tan-*

 tum

q) XII. ad Att. ep. XLII. ibid. ep. XXXV. r) ibid. ep. V.
s) lib. XLIII. p. m. 256.

tum temperauit, sed re ipsa diligenter obseruauit, siue omni attentione cauit, ne quis contra legem quid auderet. Vbi autem homines abutuntur magis aere suo, quam in funeribus, ac statuendis monumentis, vt his memoriam quasi ac nominis perpetuitatem de mortuis instruant? Ideo conseruarunt legem et gentiles postmodum et christiani. quod ex Theodosiano codice *de sepulcris violatis*, et Godofredi digressione, *de monumentorum, et cenotaphiorum sumtu* coercendo, prolixe ostenderemus, si nobis propositum esset, aliena describere. Sunt, qui ex Iauoleno t) demonstrant, nihil tale praeceptum fuisse a Romanis, cuius auctoritate *caueri nequeat, vt ad certam altitudinem aedificetur monumentum.* Sed additam rationem vix capiunt, quidve lege ciuitatis edici queat. Altitudo non erat lege definita, sed sumtus, quod ex diuorum fratrum constitutione patet, apud Capitolinum, in M. Antonino, duodecimo capite. hoc autem vel deficiente, vel prohibito, non adeo verberabit aëra, qui coelum tangere cupit. Vlpianus *) de funerum impensis: sciendum est, nec voluntatem sequendam, si res egrediatur *iustam sumtus rationem.* vnde satis constat quaesitum in foro, disputatumque olim fuisse secundum leges, an sumtus immodici, et contra praescriptum, an ex honestiore caussa alia facti, refundi deberent. Per luxum vero, et prodigum viuendi institutum, iam diu Romani vehementer inuicem commissi, vt nulla esset querela acerbior aere alieno. Supra de nexis egimus, quae ex prima libertatis periodo internoscenda sunt; posthac leges variae promulgatae, *de aere alieno minuendo*, quarum exempla, propter originem iuris Romani, ac fata diuersa, pari studio contemplabimur, vt ne tamen *διεξοδικῶς*, siue ampla nimis tractatio nostra videri possit.

§. LXXXI.

t) l. 4. ff. commun. praed. *) l. 14. ff. *de* religios. §. 5.

§. LXXXI.

LEX SEXTIA LICINIA DE VSVRIS, DVILIA MAENIA DE FOENORE VNCIARIO, POST MITIGATA. AS EIVSQVE PARTES.

Nondum exierat saeculum, post conditas tabulas, quando lex Sextia Licinia, aduersus opes patriciorum, pro commodis plebis inualeret, [v]) vt *deducto aere alieno de capite, quod vsuris pernumeratum esset, triennio aequis portionibus persolueretur.* Tacitus [x]) commemorat, lege decemuirali sanctum fuisse, *ne quis vnciario foenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur*, qui varie stipulabantur vsuras, pro magnitudine sortis. Nec dubitare possumus de illa, ob egestatem ciuium, quorum ausis patres nimiopere insidiabantur, vt quos clientes habere vix liceret, debitores efficerent, ac si non essent soluendo, in corpora saeuirent, eosque in seruitutem, conditionem miserrimam, redigerent. Legis verba haec nobis praestitit antiquitas: *si qui vnciario fornore amplius foeneraſſit, quadruplione luito:* quod ipsum graue esset, nec vltra, per inopiam Romanorum extendi, quot mensibus deberet: tunc enim vsurae semper menstruae, vel Idibus, vel Kalendis soluebantur, vt antea monstrauimus. Plutarchus [y]) *de vitando aere alieno:* ἐδὲ ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν καὶ τῆς νεμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν ὄυσαν, ἀποφράδα ποιᾶσιν οἱ δανεισαὶ καὶ ςύγιον. *Kalendarum TE admonebunt, quem diem sacratiſſimum foeneratores atrum faciunt et abominandum.* In tabulis certe quaedam sunt, libertati ciuium periculose statuta. quae ab initio concedebantur, vt ita facilius reuocarentur a malis, prodigi et iniqui rerum suarum arbitri: verum euentu cognitum est, multa hinc fuisse mutata, multa, post contentiones et obtrectationes perpetuas, in desuetudinem abiisse. Foeneratio namque

v) Liu. VI. hist. c. XXXV. x) Tac. VI. ann. p. m. 195. y) p. m. 828.

que in tantum creuerat mox, vt non amplius vncia sufficeret menstrua, siue centesima sortis pars, sed maiora exigerentur a foeneratoribus. Hinc tribunorum studiis lex data, Duilia Maenia, aliquot saltim annis post Sextiam Liciniam, qua foenus vnciarium reducebatur. Livius: [z]) *plebs eam aliquanto cupidius sciuit, accepitque.* quasi diceret, vncia singulis mensibus danda, ex lege, mala patriae, publicamque indigentiam non tollit. Bruti orationem recitat Dionysius Halicarnasseus, [a]) in qua deterior plebis conditio describitur: *omnia vel bellum pessumdedit, vel quotidiana absumsit inopia.* si quid *relictum est, cessit ὑπερηφάνοις δανεισαῖς,* superbis siue auaris foeneratoribus seruit: eo miseriae deuentum est, vt illis ipsis nostros colere agros cogamur. In nimia igitur hominum oppressione et calamitate Valerius Publicola, et collega e plebe C. Marcius, noui post interregnum consules, rem foenebrem leuare aggressi, solutionem aeris alieni in curam publicam verterunt, *quinqueuiris creatis, quos mensarios ab dispositione pecuniae adpellarunt.* addit Liuius: [b]) *meriti aequitate curaque sunt, vt per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent.* Tacitus: *vetus vrbi malum foenebre, seditionum discordiarumque caussa creberrima: eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus.* qui mores in comparatione fuerint minus corrupti priscorum, ex allatis abunde intelligimus. nempe innatum plerisque vitium, ex auaritia impotens superbia. Sed neque satis erat, ex aerario mitigasse dolorem plebis, nimio foenore contractum, T. Manlio, C. Plautio Cos. *semiunciarium foenus ex vnciario factum*, id est, ex duodecim vnciis, tantum sex quotannis factae sunt, loco foenoris pendendae, siue vt magis perspicue, hodiernis moribus, rem doctissimis viris

z) VII. hist. XVI. a) VI. antiqu. n. 297. b) VII. hist. c. XXI. it. XVII.

ris disceptatam enunciemus: pro centum Philippeis, antea singulis annis duodecim, iam vero sex accedunt in quaestum. As enim duodecim constat vnciis, quarum singulae adpellantur centesimae, siue pars centesima sortis, quae numero mensium ad calculum subductae, complent assem, siue duodenas vncias centesimas, lucri nomine dandas propter sortem creditam. Vt adeo commune instrumentum sit as, siue quod arithmetici dicunt, communis diuisor, quo hereditates, aliaeque solidae res, in partes suas dissecabantur. Argumentum hoc primum exsecutus est Budaeus, necessario ad posteros labore, post eum incliti honoris, ac singularis doctrinae vir, Gronovius parens, *de pecunia veteri.* quorsum breuitatis caussa remittimus, qui solidiora desiderant. ne iam laudemus eos, qui contradicendi studio, vel impatientia ducti, ad liquidum haut peruenere. Repetierunt iidem consules rogationem Licinii, vt creditoribus aequis triennii pensionibus satisfieret, quarta autem praesens esset: solutio aeris alieni dispensabatur: *fides tamen publica priuatis difficultatibus potior ad curam erat senatui*, teste Liuio. [c]) Patres itaque hinc inde propendebant, nobiliorum incrementis addicti; quare tribuni suorum commodo velificaturi, frequenti occursu moderabantur praua aduersariorum machinamenta. Tacitus: *multis plebiscitis obuiam itum fraudibus; quae toties repressae, miras per artes rursum oriebantur.* Cicero vltima quinti libri ad Atticum: *SCtum modo factum est in creditorum caussa, vt centesimae perpetuo foenore ducerentur.*

§. LXXXII.

LEGE GENVCIA FOENVS ET VERSVRA PROHIBITA, CAESAR PVBLICAE FIDEI REFECTOR.

Quod legibus aegre coerceretur libido auarissimorum, reli-

c) l. c. Tac. VII. ann. p. m. 196.

religioni publicae cauſſa oppreſſorum innexa, aedesque Monetae dedicata eſt: mox indicia admodum triſtia in foeneratores facta, quibus ab aedilibus dies dicta. Macrobius [d] KL. Iuniis aedem Iunoni Monetae dedicatam eſſe ſcribit: Liuius [e] dictatoris L. Furii Camilli voto templum inſtauratum fuiſſe prodit: Ouidius VI. Faſtorum: [f]

Arce quoque in ſumma Iunoni templa Monetae
ex voto memorant facta. Camille, tuo.

At neque ſic proſperiora ſenſere ciues, donec L. Genucius, tribunus plebis, ad populum terret legem, in communi prohibentem, *ne foenerari liceret.* qua de videndus iterum Liuius, ſub finem ſeptimi. Poſt haec tempora foeneratores peſſime audire coeperunt, odio honeſtis, reipublicae amantibus dedecori. Eſt enim in hac lege Genucia *foenerari* non ſimpliciter fructum percipere ſortis ereditae, et qui iure conceditur, tanquam prouentus agrorum, aut legitimus partus, τόκος, qui ab animali venit; ſed acerba exactio ſummae maioris, qua de pauperiores cum aeruſcatoribus conuenire oportebat, in legis fraudem, ſi quidem pecuniam in maximis difficultatibus impetrare vellent. Inde quidquid flagitabant, vltra immenſam vſuram, nempe centeſimam, foeneratores, id ſumma cum iniuria flagitabant. Cicero in Verrem: [g] *binis centeſimis foeneratus eſt.* Idem ſub finem ſecundi, de officiis, Catonis σύγκρισιν affert, qui interrogatus, *quid ſit foenerari,* adpoſite dixerit: *quid eſt hominem occidere?* Ad haec vulgatus eſt locus Catonis in prooemio de re ruſtica: *maiores noſtri ſic habuerunt, itaque in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli.* Eosdem orator dicit peculiari vocabulo toculliones, vel ab aere certo, ac foenore citius exacto, vel a famoſo

d) I. Saturn. cap. XII. *e)* VII. hiſtor. c. 28. *f)* Ov. v. 183. *g)* or. III. p. m. 148. Caſaub. ad Theophr. περὶ ἀπονοίας. p. m. III. Manut. et Boſius ad II. Att. ep. I.

ſamoſo lucri ſtudio, etiam ex re non adeo magna, in paucos dies credita, quos Graeci τοκογλύφους adpellant, non ſolum in prouinciis, quod nonnullis viſum, ſed vbicunque commodum offertur. Tacitus ad Genuciam haud dubie reſpicit, quando ait: *poſtremo vetita verſura*, id eſt, ne ab alio ſolueretur et ſors et vſura, atque ſic vſura cum forte, in vnam ſummam coacta, nouum foenus pareret, ſiue vſurarum vſuras, quas communiter anatociſmum vocant. Lex igitur tollit exceſſum, ſiue licentiam foenerandi, et illicitas poſcendi ſtipulandique vſuras, non vero ex ciuitate fidem proſcribit, rem cumprimis neceſſariam. Fluxerat malum a Graecis, quorum prauitas vſuraria iam a Solonis aeuo repetenda, qui lege adprobauerat eam: τὸ ἀργύριον ϛάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσον ἂν βέλητai ὁ δανείζων. Plato contra: [h]) μηδὲ δανείζειν ἐπὶ τόκῳ, inter leges habet vtiliſſimas, ita, vt qui contra eat, neque foenus, neque ſortem recipiat. Et ſane propter communem indigentiam, et commercia, neruum ſocietatis humanae, aliasque neceſſitates, vſurae legibus definitae, omnino prohiberi nequeunt. Iulius Caeſar [i]) dictator, *cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae pecuniae ſoluerentur, vt arbitri darentur, per quos fierent aeſtimationes poſſeſſionum, et rerum, quanti quaeque earum ante bellum ciuile fuiſſent, atque eae creditoribus transderentur* quaſi diceret, ceſſerant fere iniquitate creditorum legitimae vſurae, reique debendi, ad incitas redacti, valde premebantur: in gratiam horum lege ſanxit, vt creditores res ac poſſeſſiones, a prudentibus et aequis arbitris aeſtimatas, in ſolutum acciperent. Tacitus; [k]) *opem tulit Caeſar, diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, factaque mutuandi copia, ſine vſuris per triennium, ſi debitor populo in duplum praediis caviſſet. Sic refecta fides,*

[h]) V. de Leg. p. m. 742. [i]) ſub init. III. de B. G. [k]) Tacit. VI. annal. p. m. 196.

fides, et paullatim priuati quoque creditores reperti. Triennium et heic repetitum, quod ex Licinia forte manauit, quo fpatio veteres annonae ac publicae egeftatis viciffitudinem defcripfere, fiue ad meliora prouehi fe poffe fperauerunt. De lege Valeria Mariaque fupereffent nonnulla, huc fpectantia, nifi videremur prolixiores, in iure percenfendo non amplius vfitato: quare vt felicius transeamus ad Imperatorum tempora, pauciffima adhuc de praetoriis edictis fubiungemus.

SECT. III.

DE EDICTO ET POTESTATE PRAETORIS.

§. LXXXIII.

PRAETORIS VRBANI EDICTVM ANNVVM ET DECRETA. PRAETOR PEREGRINVS.

Sunt autem edicta formulae praetorum, ex tabulis, aliisque legibus deinceps latis aeque ac fuorum anteceſforum edictis, hauftae, inque albis propofitae, fecundum quas iudicaturi effent, de cauffis ad iurisdictionem fuam pertinentibus, veluti de manumiffionibus, tutelis, emancipationibus, vindiciis, hereditatibus, teftamentis, rebus creditis, poffeffionibus, limitibus aliisque iuris Quiritium capitibus. Et haec quidem erant generalia, fiue annua, fingulis annis neceffaria, a prima fere inftitutione praetoris: erant praeterea quaedam edicta particularia, quibus pro nouitate, et varietate cauffarum ftatuebat, quae erant iufta, et publice vtilia. Talia funt, quando iure magiftratus praecipit, vt quis ob delictum grauius adfit, intra certum fpatium, aut reftituatur, quod vel inique poffeffum, vel illicite extortum, ac fimilia. Vocantur ifta faepius decreta praetorum, quibus potior vis eorum

eorum in iure dicundo conclusa erat, ac discernenda sunt ab iis, quae post cognitionem iudicii fiebant. Hinc et a Cicerone coniunguntur non vno loco. maxime in Verrinis, vbi praetura fere tota examinatur: *edictum et annua decreta vendidit.* item: *pecunia neque ex edicto, neque decreto deposita.* Sic etiam Gabinius, maiestatis reus, ob Ptolomaeum reductum, et Syriam grauissime afflictam, euocatorio *edicto adesse*, iubebatur. quod alibi *decretum* adpellatur. Cicero ad Q. fratrem: [l] *Gabinius ad III. KL. Octobris noctu in vrbem introiuit, et hodie H. VIII. cum edicto C. Alfii de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno et odio vniuersi populi paene adflictus est.* Praetor nempe de rebus, quas ante iudicium constitutas transactasque esse oportebat, ius dicebat. [m] *quae omnia proprie* decreti *nomine continentur*, notante Hotomanno ad Asconium Paedianum. Exempla harum rerum studioso praestat varia Brissonius, ab initio tertii *de formulis.* Concipiebantur vero edicta breuibus, ἐν ἐπιτομῇ, ac scribebantur plerumque, non in personas, sed in res, ob singularem aequitatem, quam praetores vbique prae se ferebant. Si enim sequi voluissent personas, cum suis iuribus, ex amore, ira, odio, et affectu peiore alio, proculdubio commisissent munere tam sancto indigniora. Dio Cassius: [n] ὁ γὰρ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐποίευ. ὅτε ἐσάπαξ τῶτ' ἐποίευν, ὅτε τὰ γραφέντα ἐτήρεν. *praetores ius, quod ad contractus dirigendos positum erat, non obseruabant: neque id fecerant vnquam, aut etiam scripto iure steterant.* Ratio erat, quod auctoritate summa nixi edicerent in albo, per modum legis, quam seruarent integro magistratus tempore, vt adeo omni suspicione liberi imperarent sibi quasi coram populo, quae honesta forent et aequissima. Ve-

l) lib. III. ad Q. Fratr. ep. 1. *m)* p. m. 251. *n)* lib. XXXVI. hist. p. m. 21.

Verum vbi propius verba expendimus, non tam videntur ei posse accommodari ad vrbanum praetorem, quam peregrinum, alteri datum in subsidium. Pomponius: post aliquot annos, *non sufficiente praetore vrbano, quod multa turba peregrinorum in ciuitatem veniret*, creatus est et alius *praetor*, adpellatus *peregrinus*. Hunc enim non secundum leges Romanorum peregrinis in vrbe versantibus, iura reddidisse, sed lites diremisse, ex vniuersaliori gentium iure, plane verosimillimum est. Nec male huc transferuntur illa Gaii: [o]) *omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est.* Zieglerus in *Dicastice* XV. conclusione, numero VI. ac sequentibus.

§. LXXXIV.

PRAETORIS LEGVM CVSTODIS, AEQVITATIS ARBITRI IVRA CIRCA LEGES. IVRIS PRAETORII AC CIVILIS RELATIO.

Iam antea probauimus, cum potentia Romanorum, leges quoque transiisse in prouincias, municipia, colonias. Siculi praetorem a Romanis accipiebant, inque multis ex iure Romano diiudicabantur: in modo iudicandi tamen, inque legibus habebant rursum quaedam sibi propria. Cicero II. contra Verrem: [p]) *Siculi hoc iure sunt, vt quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo, non eiusdem ciuitatis*, vt de eo praetor iudices ex lege Rupilia sortiatur. Reliqua conferri debent, prorsus ex instituto praesenti. Quamuis autem praetor vrbanus ad leges patrias alligaretur praecipue, tanquam custos illarum, atque interpres, nec facile hinc posset recedere, et Paedianus adeo in exordio IV. Verrinarum *praetorium tribunal* ex Cicerone *aram*

o) l. 9. ff. de iust. et Iure. p) p. m. 93.

aram legum. Marcianus [q]) iureconsultus praetorem earundem *viuam vocem*, siue interpretem laudat: attamen libertate vsus, quod infiniti casus inciderent, legibus non comprehensi, statuebat ex aequo et bono, quae sibi viderentur excusatiora. Cumque optimorum consilio faceret is plurima, ac ius ciuile, siue interpretationem prudentum, subinde in vsum reuocaret, euenire tandem solebat, vt pleraque iurisdictionis praetoriae in ius verterentur. Varro: [r]) *praetorium ius ad legem, et censorium iudicium ad aequum aestimabatur.* Eleganter dicit: ad legem aestimabatur, quod idem est, ac *ad legem exigebatur*, cum lege componebatur, non quasi lex fuerit. Id neque Imperator [s]) dissimulat: *praetorum edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem.* quod ius honorarium adpellatur, vsu forensi, tacitoque populi consensu receptum. Magis perspicue, de hereditatibus, discrimen hoc intelligimus, vbi ex iure praetorio non heres, qui lege venit, sed bonorum possessor, vice heredis datur. Theophilus: [t]) *ὅτω καὶ ὁ πραίτωρ ἐπενόησε τὰς διακατοχὰς, δι' ὧν ποτὲ μὲν διορθοῦται τὸ πολιτικὸν, ποτὲ δὲ ἐναντιοῦται, per quas possessiones, interdum ius ciuile emendatur, interdum impugnatur*, nimirum et stricte sic dictum, quod a prudentibus fuit, et decemuirale quoque cum legibus, more solenni perlatis. Ibidem: angustis finibus conclusum ius praetor, *ἐκ τοῦ καλλίστου, καὶ τοῦ δικαίου ὁρμώμενος ἐπλάτυνε*, modo quid adpareret sibi honestissimum, id addidit, suppleuit, et latius ita diduxit iura ciuium. Papinianus: [v]) *ius praetorium adiuuandi, vel supplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam introductum est.* Vocabulum *corrigendi* mollius accipiendum, non vt plane tollatur a praetore, quod in iure est, aut infringatur; sed dilatetur, inflecta-

q) l. 8. ff. de iust. et iure. r) V. de ling. lat. p. m. 58. s) §. 7. instit. de iur. N. G. t) de bon. poss. pr. v) l. 7. ff. de iust. et iure.

flectatur, quod Graecus interpres reddidit διορθοῦσθαι, recte ac moderete disponere, ad regulas aequitatis reducere. Mornacius: *ius praetorium ex edictis praetorum constitutum est, ad leniendum,* Papinianus *corrigendum* dixerat; *quod nimia iuris ciuilis subtilitate videbatur durius, prout exposcebant negotiorum informes molestiae.* Quando vero pontifici eandem tribuit auctoritatem, cum canonistis, quam habuere praetores, in asperitate iuris ciuilis emendanda, pro captu suorum agit, forique consuetudinem sectatur, quam pro libertate sua Germani nondum omnes agnouere. Sic cum iisdem, sermone familiari, *legem ciuilem* nuncupat *canonizatam*, quae in capite aliquo vel canone iuris pontificii reperitur. quasi hinc dignitatis accessio fiat antiquae legi Romanae. Potius invertamus argumentum, ac gemmulas iuris canonici, immo aurum inter scorias putemus, quidquid a sacratissimis Imperatoribus, vel ab antiquioribus, ibi superstat, vt sic vsurpanti ius Romanum maior accedat dignatio, non vsurpato iuri; quod ingrato praestat suppetias, nec ponere in pretio debet, si forte manu violetur aliena. Praeterea dicit Papinianus, praetorem *supplere leges* ciuiles; quod nihil est aliud, quam illas producere ad casus obuios, aut benigniore interpretatione extendere, velut ex tacita iuris ipsius mente. Vlpianus [x]) ex Pedio: *quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, cetera quae tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione suppleri.* Ac si iam aut corrigenda sit lex, aut supplenda, ex aequitate sola id fiat oportet: cuius ministrum, arbitrum, ac dispensatorem esse praetorem, abunde nouimus. Aristoteles [*]) ex natura legum philosophatur, ac demonstrat fieri non posse, vt cuncta generali praecepto a legislatore includantur. quare nec legum esse culpam illam, sed naturae

x) l. 13. ff. de legib. *) V. Nicom. cap. X.

turae rerum vere ſtatuit: in corrigenda autem lege ac ſupplenda, ſolam facere regulam aequitatem. *καὶ ἔςιν, ἄυτη ἡ φύσις ἡ τȣ̃ ἐπιεικȣ̃ς, ἐπανόρθωμα νόμȣ, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλȣ.* Quod ſuperius a Theophilo allatum, ius ciuile a praetore impugnari, difficilius longe eſt. quippe impugnamus ea, quae iuſtitiae cenſemus aduerſa, eaque ſtudemus abrogare.

§. LXXXVI.

NVM PRAETORI CONTRA LEGES SCRIPTAS IVS DICERE LICVERIT?

Num vero hoc in poteſtate praetoris ſit, omnino dubitatur, quod ſubrogare, derogare, obrogare, aut etiam abrogare, ſint munia legum, quas ille ferre nequit: ac, quod ex verbis [y]) Iuſtiniani probe intelligimus, praetorium edictum his certe viribus impar. Immo ſi quid contra iuris rationem decreuiſſet, illud minime praeiudicabat legi. Vlpianus: [z]) *neque enim praetoris factum*, adde et dictum, decretum, *iuri derogat.* Sed quae fata ſunt legum, contradicitur illis pro temporum ac hominum inſtituto, mutantur ſaepius, aut vigere ſaltim deſinunt. Leges tabularum ad coelum extollebant, quamprimum acceperant Romani, his adquieſcebant, proni alias ad ſeditiones, quod ius aequatum nacti eſſent, omnibus commune. Exemplo ſit lex: *patribus cum plebe connubii ius nec eſto.* Liuius ſub primordia libri quarti: non multo poſt conditas tabulas ei vehementer ſeſe oppoſuere tribuni, auctore Canuleio; qui ſumma cum iniuria coniunctam eſſe pronunciabat eam, in contumeliam plebis latam. Sic lege Aebutia tabulas fuiſſe correctas, poſt inſtitutum centumuirale iudicium, in primis de iure priuato, actionibus quibusdam compoſitis, ad ſtatum ſaeculi illius, et noui iudicii formam, ex

 A. Gel-

y) §. 2. Inſtit. de bon. poſſ. z) l. 1. ff. de feriis.

A. Gellio non male colligitur. [a]) Non plura hifce connectam, quod luculenta fatis nofcantur, vt vel hinc difcamus pugnas, quibus in diuerfas partes iuerint propter legis lationem. Praetores igitur, quo magis placerent fuis, quaefito colore aliquo, et ipfi leges ciuitatis, per varias dubitandi rationes, fub incudem publicae difputationis vocarunt, diuerfimode expofuere, impugnarunt, aut fenfum duntaxat aequiorem promere, et ad factum accommodare aufi funt. Iulianus [b]) huc fine dubio refpexit: *multa iure ciuili, contra rationem difputandi, pro vtilitate communi recepta effe, innumerabilibus rebus probari poteft.* Hoc enim eft, adhibito temperamento humanitatis, contra fubtilitatem legis refpondere, quafi mens ea fuerit legis, non quae verbis exprimitur, fiue, *quafi minus fcriptum, plus intellectum fit.* Inter haec nemo exiftimet, praetori licitum fuiffe, edicere contra id, quod exferte continetur in legibus; fed prope impugnat id, quod inde per multas conclufiones infertur, maxime quod prudentum interpretatione, forique difputatione inualuit. Publicianam actionem dari, Paulus I. C. [c]) ait, *contra ius ciuile;* id vero eft, quod a difputatione, refponfis peritorum iuris, interpretatione et cauendi modis ortum. Ita bonorum poffeffionem contra tabulas, id eft teftamentum, liberis emancipatis concedit praetor, nec tamen aperte legem aliquam impugnat, neque tuto poteft; quia lege XII. tabularum conftat teftamentum, ac firmiter perfiftit: quare hoc potiffimum per confequentias ex lege deductas, non ipfam legem improbat. Guil. Maranus: [d]) *praetor non de iure legis aliquid decernit, fed potius de iure hominis priuati, teftatoris fcilicet. quafi nempe is aut non iure teftatus fit, aut ius teftandi non habuerit.* Theophilum reprehendit ibidem, quod poteftatem

a) XVI. Noct. Attic. c. X. b) l. 51. ff. ad l. Aquil. c) l. 35. ff. de oblig. et action. d) de bon. poffeff. p. m. 654.

tem praetoris contra legem non recte tradiderit, vbi hanc in rem vberiora.

§. LXXXVII.

IMPERII PRAETORII LIMITES. EDICTA PERPETVA TRALATITIA. PRAECIPVI HVIVS TEMPORIS ICTI.

Quando tamen maiestas praetoria in caussis ciuium praecelleret vbique, et nihil in iure fieret, nisi auctoritatem commodasset praetor. Cicero: [e]) *iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicarius iubeat, praetor esto.* Interim accidit perinde, quod in aliis rebus optime constitutis, vt aliquando deficerent, inque peius ruerent, qui praeturam gerebant. Et hoc quidem vel edicti iniquitate, si eo plus complecterentur, quam foret in lege, vnde solum formabantur: vel iniuste decernendo, actioneve danda, ex mera libidine sua, odii et gratiae magnitudine. Verres hoc nomine infamis, qui circumstantias in detrimentum partis aduersae excogitarat, vt per has opprimeret, quem vellet, ac rursum declinaret accusationes, si quae a Siculis intenderentur. Rem omnem posuit in luce Romana Siren, [f]) suadaeque medulla, ex quibus plane sunt eximia: *totum edictum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, composuit, qui ab isto ius ad vtilitatem suam nundinarentur.* Dio Cassius, [g]) in genere: *πολλάκις διατάγματα μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν αὐτοῖς πρὸς χάριν, ἢ κατ᾽ ἔχθραν τινῶν, ὥπερ εἰκος, ἐγίνετο,* edicta praetores corruperunt, et quo impellebantur affectu, solenni vitio inflexerunt. Erant autem iusti retinentiores interdum, qui prauis artibus collegarum intercesserunt. Nec vno teste id adstrui posset, si non egissent alii dudum. Asc. Paedianus: [h]) *intercedere, vt vides, etiam praetor praetori solet, vt Piso Verri, adpellatione caussae ad collegam facta.* Appellatio haec non est iudicium contrarium,

 quo

e) III. de Leg. p. m. 344. f) I. in Verr. p. m. 82. g) lib. XXXVI. p. m. 22. h) in Verrem p. m. 101.

quo tolleretur omnino, quod alter perfecerat; verum intercessio est. qua impediebatur praetor, contra ius et edictum suum aliquid decreturus. Ranchinus [i]) in quaestione, *an a pari magistratu, ad parem fuerit olim prouocatio?* copiose exequitur, quae huius loci sunt. Scipio Gentilis enucleate; [k]) *praetor intercedere praetori potest, non imperare.* Tandem indignitate rei motus C. Cornelius, tribunus plebis, legem dedit de *perpetuis edictis* praetorum, inuitis quamplurimis. Dio commemorat viri merita, ac praeclare describit. [l]) Paedianus in argumento Corneliae: *lex haec gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere adsueuerant, sustulit.* Sed primus haut fuit Cornelius tribunus, qui superbiam coerceret praetoriam; iam saeculo antea senatus consulto praetores adigebantur, ex perpetuis edictis ius dicere. Euincitur hoc incorrupto antiquitatis documento, quod Pighius ex Schedis L. Viuis exhibet, anno DXXCV, diarii Romani fragmentum: V. K. APRILIS HORA OCTAVA SENATVS COACTVS IN HOSTILIA S. C. FACTVM EST VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS IVS DICERENT. Perpetua quibusdam sunt annua, tanquam sola, ex quibus cogerentur praetores de iure statuere, omissis aliis quae interponebant pro litigantium qualitate, contra religionem iurisiurandi, ac tanti muneris honorem. Sicut autem edictum fere est legum et iuris vera ex aequo et bono interpretatio, formulis certis, iisque breuibus et concinnis proposita: ita, quamuis cum annua iurisdictione praetoris antiquetur, propter iuris tamen sanctitatem et custodiam perpetuum esse censatur. quod ex translationibus quadantenus patet. Qui enim in praetura succedebant, a nouo semper edicto auspicabantur munus suum, nihilominus quoties caussa requireret, vetera an-

i) I. Variar. cap. IX. *k)* I. de iurisd. cap. III. *l)* lib. XXXVI. p. m. 22.

antecessorum edicta repetebant, quae *translatitia* propterea vocabantur, eadem instar legum supplebant, et ad id quod aequius melius proferebant. Exemplo sit Aristonis [m]) epistola ad Iulianum. C. Ziglerus, Saxoniae Modestinus, [n]) per annum quo actiones praetoriae viuere dicuntur, intelligit annum vtilem, in quo tantum computentur illi dies, quibus agere licet: atqui hos forte ipsis triginta annis vix dum finiri. Hinc et actio ciuilis perpetua dicta, quae tot annorum spatio legitime competebat, neque contra iuris rationem ad praetoriam quoque extendebatur. Glossae veteres: *πραιτώρια ἀγωγὴ διηνεκὴς γίνεται τῇ τοῦ βασιλέως ἀντιγραφῇ.* nec ideo probae notae sunt, quae vel ad annum vtilem porriguntur, et mox adduntur, nimis vulgaria: *ἰςέον δὲ ὅτι πάλαι τὸ τοῦ πραίτωρος διάταγμα μέχρι ἐνιαυτοῦ ἴσχυε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ αἱ παρὰ τῶν πραιτόρων ἐπινοηθεῖσαι ἀγωγαὶ ἀναλίαι*, annales, *εἰσὶ τουτέςι πρόσκαιροι*, minus diuturnae, subitaneae, breui cessaturae actiones, quippe temporarium omne hoc ipso solet opponi perpetuo. Propertius:

Hoc mihi perpetuum ius est, quod solus amator
nec cito desisto, nec temere incipio.

vbi I. Lipsius [o]) recte praetorum edicta ius perpetuum interpretatur, *quae tolli aut conuelli per alium praetorem non poterant.* Vtque perpetuitatem edicta, citra vllius dubitationem, adipiscerentur, ac simul iurisdictio praetoria naeuo careret, quae vnquam proposita superessent, diligenter collegit Ofilius Iureconsultus, et ordine suo composuit, licet ante ipsum hoc egerit pariter Seruius Sulpicius, eius praeceptor, inque praetura Ciceronis aeuo clarissimus, ob iuris et aequi peritiam. qui non vano ductus amore, philippica nona, hoc amico scripsit elogium;

m) l. 6. ff. de legat. praest. n) Dicast. concl. XI. 14. o) III. Var. cap. XII.

qui in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpicio non ſunt comparandi: neque enim ille magis iuris conſultus, quam iuſtitiae fuit. Praeteruecti ſumus maiora, quae ad laudis cumulum ibi comparent, induſtriae lectoris relicta. In Bruto *vſum iuris* tribuendum aliis, *huic artem vni* fuiſſe teſtatur, *principi* iurisconſultorum, et quoties ferret occaſio, nunquam non honorifice illum deſcribit. Libri eius edictorum, quod compendium velut iuris Romani, ad ſaeculi captum magis idoneum, praeſtarent iunioribus, vel ab his tum primordia diſcendi capiebant. Atticus apud Ciceronem: [p]) *non a praetoris edicto, vt plerique nunc, neque a XII. tabulis, vt ſuperiores, ſed penitus ex intima philoſophia haurienda iuris diſciplina.* minime improbat morem proficiendi aetate ſua, in iurisprudentia ciuili: ſed κατ' ἄνθρωπον de origine iuris diſputat, eamque non poſtremis legibus diiudicandam arbitratur, ſed naturae praeceptis, ex ratione humana ſemper petitis. Quod Seruius paucis tradiderat, C. Aulus Ofilius ampliori inſtruxit adparatu, in cuius veſtigiis mox plures fuere, vt iam prope ſecundum ordinem edictorum aliae leges ac iura in formam artis conualeſcerent. Neque propius ad fori negotia poterant accedere, qui legum ſtudiis operabantur, quam vbi conſeruarent inſtituta praetorum, et illorum procedendi modum attenderent. Saluius Iulianus, Adriani Imp. iuſſu et auſpiciis vltimam impoſuit manum edictis, atque diſperſa adhuc, et collecta ab aliis, in vnicum volumen conduxit, quod ſub titulo EDICTI PERPETVI hodienum celebratur, quo de vt et conſularibus edictis, aedilitiis ac cenſoriis, alibi commodius diſcipiendum.

p) I. de legib. p. m. 324.

EXER-

EXERCITATIO TERTIA

DE FATIS

IVRISPRVDENTIAE ROMANAE

SVB PRIMIS IMPERATORIBVS.



CAPVT I.

DE DESIDERIO ET PROPOSITO IVRIS IN FORMAM REDIGENDI MVTATA CIVITATIS FORMA.

SECT. I.

DE SVSCEPTI IVRIS SYSTEMATIS AVCTORIBVS etc.

§. I.

COACERVATA LEGVM MVLTITVDO PERNICIOSA REIPVBLICAE.

Increuerat diu iam numerus legum, contentione perpetua consulum ac tribunorum, ita quidem vt laboraret multitudine illarum ciuitas, quique iureconsultorum nomine honestabantur, vix omnia caperent in hunc diem statuta: quare saepius deprehensae contradictiones in foro, vt quod alter tueretur acrius ex lege, alter inde pariter confutaret. Tullii sententia, laudata superius: [a]) *ignoratio iuris potius litigiosa est, quam scientia.* Scilicet nesciebant plures, fluxu temporum, quae in turbis contrariae leges factae erant, ad quas nisi respicerent interpretes legum, earumque custodes, vtique Andabatarum more certabant. De inuentione rhethorica idem: [b]) *Ex hoc conficitur, leges duas, aut si plures erunt, conseruari non posse, quia discrepant inter se: ea maxime conseruanda, quae ad maximas res pertinet: deinde vtra posterius lata sit.*

a) I. de LL. p. m. 324. b) II. lib. p. m. 101.

sit. nam postrema quaeque gratissima est. In tanta igitur fluctuatione animorum, simul et iuris ambiguitate, quaesitum est in republica semper, *annon iurisprudentia Romana posset in certam formam scientiae artisue redigi?* Neratius non tam ex aeui sui, quam veterum opinione: [c]) *ius finitum esse potest ac debet,* quasi diceret: ius ita comparatum sit, vt certa et vtilis ratio hinc pateat ciuitati, quam velut artem obseruent oportet iustitiae cultores, nec subnixi propria ingenii volubilitate, de factis iudicent. In hac enim pronus est lapsus, ac via praeceps: in illa contra est firma et ordinata sententia, nullis fallaciis implicita, nullis circumdata erroribus. Et quamuis Papiriana Iurisprudentia regia, ius tabularum, ciuile etiam Flauianum et Aelianum, in manibus adhuc essent plerorumque isto tempore, nec sine fructu in iudiciis adhiberentur: tamen praeter leges postmodum conditas, ac fori disputationem iuxta et consuetudines alias receptas, multis anfractibus obnoxii fuere, qui experiebantur in iudiciis, et caussas suas persequebantur. Leges pro clientum vsu explicabantur a patronis, et quae sibi manifeste repugnabant, violenta interpretatione traducebantur, ad iniquiora saepius excusanda. Immo quae consulti dabant responsa, non ea signata dabant, aut quae ex conscientiae dictamine fluerent semper, ante tempora Augusti, qui salutari constitutione primus ordinauit, vt de iure publice responderetur, sed quae sibi apta essent, plerumque scribebant iudicibus, aut testabantur vtcunque, qui eos consuluerant. In hereditatibus petendis adeundisue, innumerae artes constabant postulantibus: in contractibus eludendis soluendisque non minora praesto erant simulacra, quibus declarandis non arbitrium viri boni et honesti, sed versuti cuiusuis et callidi opinio pro aequitate venditabatur. Cicero; [d]) *inde illa actio: ope*

c) l. 2. ff. de iur. et fact. ign. d) III. de natura Deor. p. m. 251.

ope consilioque tuo aio furtum esse factum: inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati, pro socio, fiduciae, reliqua quae ex emto, aut vendito, aut conducto aut locato contra fidem fiunt. Quae non in tabulis quotidianae dissensiones, et ad res controuersas decidendas iniustae sententiae? quot iisdem facta sunt conuicia, propter luculentum, sibi tamen aduersum sensum, a peruersis caussarum oratoribus? Adeo quidem inualuerant tandem clamores istorum, inque foro opiniones communes, vt iam veluti regnum occupassent, cui subiicerentur etiam inuiti. Aut si neque huc omnes cogerentur, in voluntate legislatoris, in aequo et bono, vti sibi quidem imaginabantur, intentionis suae vim collocabant. Nemo rectius haec confirmabit, quam Tullius noster, cuius in praesenti auctoritas praecipua. e) *Si verbis et litteris, et sicut dici solet, summo iure contenditur, solent iniquitati suae, et boni et aequi nomen, dignitatemque suam et auctoritatem opponere. Tum illud, quod dicitur,* VTI LINGVA NVNCVPASSIT, *irrident: tum aucupia verborum, et litterarum tendiculas in inuidiam vocant. tum vociferantur ex aequo et bono, non ex callido versutoque iure, rem iudicari oportere: scriptum sequi, calumniatoris esse: boni iudicis, voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.* Non igitur heri aut nudius tertius *enthusiasmus ille legalis* ortus est, qui, exclusa omni de iure scientia et arte, ex cerebro hominis male adfecto, ex arbitratu priuato. aut vniuersali quadam regula debet aestimari, non vero ex legum sanctimonia, et iusta interpretatione. Sic actor, aut de plebe quilibet, rectae rationis fiducia, tanquam luce sibi diuinitus indita, hoc ad se pertinere, hoc alterum debere, hoc iudicio sibi reddi oportere, praefracte cupiebat. Reus contra non minore stimulatus audacia, quod legibus diffideret, ex cerebrina vel arbitraria alterius aequitate obni-

e) pro Caecina p. m. 235.

obnitebatur. Partibus autem ita connitentibus in diuerſum, omnique legis habitu ſpreto, euertebantur iudicia legitima, aut ſaltem querelis perpetuis oppleta, non adeo frequentabantur. Antiqua iurisprudentia, non immitioribus hinc fatis expoſita, quod alii rationis corruptae, et vtilitatis contemplatione, in ſententia iudicis adquieſcere mallent, ſiue illam ex norma legis formaſſet, ſiue etiam propria auctoritate contra leges pronuntiaſſet. De praetoribus, antecedenti exercitatione, ex Dione pauca attulimus, quae ibidem pleniora euoluantur, libro XXXVI. f) *πολλάκις γραφέντα μετέγραφον καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ καὶ κατ᾽ ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰκὸς, ἐγίνετο.* *Saepe iura ſcripta variabant, crebroque per gratiam et odium certorum hominum, ſicut fieri ſolet, multa gerebantur.* Alii contra certam requirebant artem, cuius ope leges huc vsque latae recte intelligi, ſenſu indubitato adhiberi, ad cauſſas obuias plenarie accommodari, certo iudicio terminari, et a prauis hominum molitionibus defendi poſſent. Illi, ne ſine adſenſu prudentum ſtatuere quidquam viderentur, in promtu ſemper habebant argumenta, non ſpernenda omnino, aut hodie multis ingrata. Hi vero, quod cauſſae publicae iuſtitiam vrgerent, ſatis eſſe putabant, reſpondiſſe aduerſariis, nec plura excogitaſſe, quam res ipſa pateretur.

§. II.

AN IVRIS ARTE SANA RATIO SIT POTIOR ET SIBI SVFFICIENS.

Ante omnia tamen, reprobandae arti, rationem humanam, eamque ſolam, inſtar capitis Gorgonei opponunt. Hanc aiunt, eſſe diuam illam, cuius beneficio leges omnes conditae ſint: quam igitur qui ſequeretur, hunc

f) p. m. 21.

hunc errare nunquam posse, etsi nullis instructus foret legibus. Pergunt: si natura benignior prospexit animantibus, vt peritia iuris non destituerentur omnino, ac veluti suas leges callerent; quanto magis id nobis dederit, vt naturali sensu duceremur, ad societatis humanae et aequitatis conseruationem. Neque desunt heic testimonia antiquissimorum, vitaeque melioris instituta a priscis laudata: *primi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena et coercitionibus agebant.* Item: *homines natura iusti sunt facti,* quasi ducem secuti naturam, instar legis. Porro: *genus illud hominum agebat sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.* Ab incertis elogiis progrediuntur ad conuicia, et legum accusant multitudinem, vnde lites fere atque calumniae ferantur, malitia promoueatur, naturae bonitas in transuersum cogatur, optimis quibusque struantur insidiae. Opinioni huic rectius firmandae, prouocant ad gentes, quae sub paucis legibus, iisque breuibus ac rotundis, tranquilliorem vitam degerent, quam sub innumeris, nunquam suffecturis casibus humanis. Heic iuris peritos in vsu et adplicatione dissentire, caussae propriae vtplurimum seruire, et quae facile componi possent, in longum extrahere: ibi aequum et bonum cuique per se obuium esse atque perspicuum. Mox exclamant, artem illam esse Romanorum veterum inuentum, quando sub patronis aut nobilioribus, tanquam tyrannis gemerent clientes: inde sub iurisprudentia media vim habuisse, quando lege agere vix liceret, sine formulis, aut quas ita Seneca vocat, *sine acutis ineptiis:* donec in grande hoc et impenetrabile commentum excreuerit. Tandem vrgentissime instant: multa sunt, in quibus multitudo legum deficit, quae ex aequitate sola debent suppleri, non ex arte iuris. Vbi proinde nec leges sufficiunt, ibi nec illarum scientia proderit. Satis haec inique sunt dicta, ad quae facere putant, quae Romani fori

sua-

ſuadaeque medulla, pro Muraena, leguleiis ac legicre. pis obiicit: ea vero quod ſint prolixiora, ibidem quoque lectori propinamus.

§. III.

ARS ACCEDIT RATIONI.

Non ſane adſpernabimur ea, cum et olim et in hunc diem plurimi huc iuerint, ac qua potuerunt animi vehementia, iuris Romani artem improbauerint, quo liberius inſtruerent ſcenam, et quod ignorarent, id ſecurius ex foro eiicerent. Per artem autem intelligimus habitum effectiuum, cum recta ratione. quam in praeſenti minime excludimus, neceſſariam certe ac veluti propriam arti; ſed quod eam plebeio cuilibet, rudi ac legum ignaro nonnulli adſcribunt, eamque ſolam ad cauſſas diiudicandas arbitrantur ſufficere, a vero abeſt longiſſime. Requiritur enim ad eam hac in parte, vt recte iudicet, efficiatque, vt ſuum cuique tribuatur, plenior iuris cognitio, et praeter hanc quaedam experientia: qua qui inſtructus eſt, non abutitur arte, ſed iuſtus eſt atque aequus in decernendo, rectus in ſtatuendo, prouidus in deliberando. Philoſophus de experientia, et arte; [g]) *καὶ δοκεῖ σχεδὸν ἐπιςήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία· ἀποβαίνει γὰρ ἐπιςήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. ſimile quid ſcientiae artique eſſe videtur experientia: per experientiam enim ars et ſcientia hominibus efficitur.* Nempe qui diu forum triuerunt, et audiendo, diſceptando, cavendo, ſtatuendo, rationem legalem adhibuerunt, tanquam obruſſam, non tam experientia ſingulari praecellunt, quam arte. Inter hos quondam Ser. Sulpicius, quo de cumulat multa Tullius in Philippica nona, quod iuris et iuſtitiae conſultus fuerit: quod admirabilis in illo, incredibilis, ac paene diuina in legibus interpretandis, ſcien-

g) 1 metaph, cap. 1.

ſcientia: ea quippe potiſſimum exſerit ſe in iure artificioſe tractando, et ſecundum legislatoris mentem interpretando. quam qui didicit, haut difficulter remouebit, quaecunque inferantur denique ab aduerſariis.

§. IV.

SIC VT HAEC NON POSSIT ILLA CARERE.

Leges, dicunt primum, a ratione humana proficiſci, ideoque hanc colendam eſſe ſolam, non leges. quin artem ex his aut nullam, aut fruſtra eſſe, cum ſemper eam natura ſuperet. Atqui minus acutum hoc telum eſt, quia ſicut non ſequitur, miles eſt robuſtus, ergo eſt fortis, ita minus tuto concluditur, ratio praeſtat arti, ergo ſequenda eſt atque colenda ſola. Praeparandus eſt animus probe, et homo totus ad belli pericula confirmandus, antequam laudetur virtus in milite. Sic annis creſcit mens hominis, niſi tamen adſuefiat legum peritiae, iudiciique formae, parum caute proceſſura videtur: opus ideo diligenti iuris cultu, donec ſurgat procul oppoſiti formidine conſultus de iure, et reſpondeat, quae iuſta ſunt, et aequa. Id enim eſt, quod veteres inculcant ſedulo, de ingenii profectu, ac modo proficiendi: natura ſiue ratio incipit, ars dirigit, vſus perficit. Tullius eleganter: h) nulla eſt inter homines profeſſio etſi viliſſima et triuialis, quae ſola natura contenta ſit, quaeque tyrocinio, magiſterio, exercitatione. et arte non indigeat. item: *quae maxime propria eſſent naturae, tamen his ipſis artem adhiberi viderem.* eadem lis ibi mota oratori, num cura magis, ſiue arte, quam natura, conſtaret eloquentia? quare facta inductione, a ſingulis fere diſciplinis concludit tandem, in natura poſitas quidem fuiſſe illas ab initio, ſed mancas extitiſſe et inchoatas, vsque dum perficerentur ab arte. Hinc vero tranſit ad iuris artem eodem

h) de orat. p. m. 121.

eodem libro. de quo pluribus mox dicemus. Neque id prorfus fine difcrimine largiendum, quod femper praeualeat arti natura, cum ex Antiphonte recte probet Arifloteles, [i]) *τέχνῃ κρατοῦμεν, ὧν φύσει νικώμεθα*, nos arte fuperare multa, quibus vincamur a natura. In fimilibus pronum effet ac facile notatu, quam foleat vbique rationi ars fere opitulari, fi quidem ea huc attinerent. Ratio fuppeditat arti, in iure praefertim, vniuerfalia, quibus vtatur, quoties de particulari, aut lite aliqua ftatuendum. Ars contra, non fortuito, aut quatenus congruit fibi vtcunque, fed cum ratione perficit omnia. Vt fic ars cum ratione femper coniuncta et vnita effe debeat, alias neutra, fi relinquatur fola, cum fructu quidquam praeftat: immo fine ratione ars neque concipi, neque efficere quidquam poteft. Simillima docet Horatius, de arte poetica: [k])

Natura fieret laudabile carmen, an arte
quaefitum eft: ego nec ftudium fine diuite vena,
nec rude quid profit video ingenium: alterius fic
altera pofcit opem res, et coniurat amice.

§. V.

ET VANVM EST ARGVMENTVM AB ANIMANTIVM NATVRA DVCTVM.

Quod a communi animantium natura ducitur argumentum, id forte propter leuitatem fuam in fumum abiret citius, nifi magnis placuiffet hominibus. Infiti brutis animalibus igniculi, ad cohabitandum, fefe conferuandum et augendum, magnum naturae bonum funt. Ab his autem homines arguere, quod longe fuperiores, quippe ratione praediti, decernere poffint meliora, nec ideo hifce debeant concedere, friuolum eft ac putidum. Aliter enim fpectatur animal, quando fertur naturali pro-

i) in princ. mechan. quaeft. k) fub fin. p. m. 171.

propenfione ad fociales actus, defenfionem fui, conferuationem, amorem et propagationem: aliter, quando adfuefactione quadam id efficit, quod fenfu externo tantum habetur rectum. Neutra parte cenferi poffunt animalia, quafi iuris perita. Siquidem agere aliquid, quod non aduerfetur rectae rationi, aut regulae praefcriptae, quin requiratur potius ab illa, non ftatim tribuit peritiam iuris, multo minus argumentum ab hac inferri poteft ad homines, cui propter excellentiam naturae, et fibi et aliis conuenientiora proferre debeant. Excipiunt: quicunque actus funt conformes normae a legibus traditae, illi quoque funt iufti, quod fecundum praecepta legum fiant: ideo fequitur hinc, animalia iufte non folum agere, fed iuris etiam non effe omnino expertia. Verum nititur rurfum falfa hypothefi fententia, cum fapientum iudicio et confenfu doceamur, iufte aut fecundum legis rectitudinem nihil agere, nifi adfit interna vis ratiocinandi, atque ex oppofitis eligendi, quae recta funt et honefta. Philofophi diftinguunt inter *iufte*, et *iufta agere*. illud ex habitu eft, hoc ex effectu vtcunque intelligitur tale. Iam autem quis adfcriberet ifta brutis animantibus? Diuina factum eft prouidentia, ab initio rerum creatarum, vt fingulis inderentur facultates adpetendi properandique ad finem propofitum. Qui fanctiora dogmata nobis explicant, hanc partem coeleftis prouidentiae διοίκησιν adpellant, difpofitionem ex mente legislatoris aeterni manantem, cui fubiiciuntur, quaecunque vitam ab orbe condito et motum habuere. Nemo tamen processerit eo, vt facultates illas, pro iuris peritia nobis obtruderet. Interim fimilitudo actionum paffim adparet, quas in animalibus nec citra obligationem turbamus, quia contra aequum foret bonumve, intercedere actibus brutorum focialibus, vnde non tam in haec ipfa, quam mortalium commoda fubinde redundaret ingens detrimentum. et eatenus cenfentur aliqua peritia iuris

fiue ex iure, propter agendi modum participant, adiuvanturque, vbi contra metam conftitutam impediuntur, et quae fibi diuinitus indita funt, perficere nequeunt. Aur. Galuanus, capite quinto *de vfufructu*, et Io. Strauchius *in Gratiani diftinct.* I. §. IX. pluribus hac de re disquirunt: quamuis maiore feris tribuere beftiis videantur, quam natura ferat earum.

§. VI.

VANA ITIDEM TESTIMONIA VETERVM HACTENVS COLLATA.

Teftimonia veterum nihil adeo conferunt ad iuris noftri artem impugnandam. Fatemur vltro, ita fenfiffe multos, ex Graecis pariter ac Romanis; inprimis quando faeculi vitia execrarentur, et priftina inftituta gentis fuae, velut exempla reuocarent, vt maiore cum efficacia turpitudinem morisque foeditatem ciuibus exprobrarent. Et quo magis dicta penetrent, cum poetis, de innocentia primorum hominum, fiue Aboriginum philofophantur, quam nec rite capiunt, in tanta fcripturae diuinae ignorantia, nec fincere defcribunt. Immo cenfentur id potiffimum fignificare voluiffe prifci fapientes, in comparatione, ac fuis inculcaffe: fi mortalium primi. fine legibus, tam cafte et modefte vixerunt, quid non deceret vos, quibus non defunt monita falutaria, et mandata principum. His vero fpretis, aut peruerfe traditis, in vetitum niti foletis, et cum ignominia veftra, reique publicae faftidio nihil non agitis, quo faltim iuris vinculo foluti vobis liceret, quidquid liberet. Licentiae igitur tam enormi compefcendae dediti femper, qui praeerant ciuitati, legum multitudinem ad certam redigere formam cogitarunt, vt fic ordo in iudiciis, in confulentium autem refponfis iuftitia effet, vna et fimplex. De Cornelio Sylla id commemorant, cui leges Cornelias debemus, deque Cn. Pompeio, qui tribunalia ordinauerat accu-

accuratius, quam fuerant antea. Dio Cassius: [l]) *δικαςήρια ἀκριβέςερον ἐκ τῶν τοῦ πομπηΐȣ νόμων συνήγετο.* Ex Isidori *V. etymologiarum cap. 1.* Gratianus: [m]) *Leges redigere primus in libros consul Pompeius instituit, sed non perseuerauit, obtrectatorum metu.* Ac ponamus, ab initio quosdam ita vixisse, qui tamen non adeo sanctos et incorruptos reliquere posteros, quin, extinctis honesti stimulis, irreperent praui mores, quibus tollendis disciplina legum, et imperio ciuili opus erat quam maxime.

§. VII.

MVLTITVDO LEGVM GIGNIT ABVSVM CVI MEDENDO ARS NECESSARIA.

Quae conuicia iurisprudentiae faciunt, ea vtique Cicero diligenter consignauit, neque hinc probatur aliud quid, nisi legibus tot conditis, et ad vitia hominum emendanda repertis, artem deesse, aut compagem firmam, ex qua deinceps et qui cauent aliis, quique respondent, et qui statuunt in iudiciis, meliora noscant. Nec facile negamus, tunc multas fuisse ciuium querelas, non iniustas, propter iuris et iustitiae contemtum, in vrbe media; quod Appianus testatur, ad haec tempora: [n]) *Φροντὶς δ' ȣ̓δεμία ἦν ȣ̓́τε τῶν νόμων, ȣ̓́τε τῶν ὅρκων, nec legum, nec iureiurandorum rationem fuisse habitam;* sed quod abusi sint plerique legibus, easque vel omnino adhibere noluerint, vel in sensum a mente legislatoris alienum traduxerint, arti legum parum obest. Ipse orator noster magna hinc incommoda sentiens, grauiter in iuris peritos aeui sui inuehebatur, facto tamen discrimine: [o]) *qui ius ciuile putat contemnendum, is vincula reuellit non modo iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitaeque*

R 3

l) lib. XL. p. m. 162. m) distinct. VII. c. 2. n) 1. ciuil. bell. p. m. 606. o) pro Caecina p. m. 336.

taeque communis. qui autem interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit: ſin peritis non putat eſſe obtemperandum, non homines laedit, ſed leges ac iura labefactat. Quibus aperte oſtendit, ſiue ius, ſiue iuris artem, ſine ciuitatis intertrimento, negligi haut poſſe; ſicut nec adſpernandi ſunt boni et probati iuſtitiae ſacerdotes. Contra, quae non ſunt ex legum praeceptis, ſed ex libidine et peruerſo arbitrio hominum proficiſcuntur, ea poſſe tuto contemni putat, ſicut et patronos iniuſtos. Patet hinc ſimiliter, quorſum pertineant dicteria, male excogitata in Themidem, cuius nouerca potius, improba iudicandi ſentiendique libido, recipiat ea, ac ſuſtineat cum dedecore. Ab ea enim prodierunt iniqui formularum aucupes, et qui fori excrementa, non iuſtitiae oracula fuerunt et ornamenta.

§. VIII.

AVCTIS NECESSITATIBVS PVBLICIS MVLTIPLICANTVR LEGES. AVSVS PRIVATORVM SYSTEMA IVRIS CONCINNANDI.

Proxima ſunt aduerſantium tela, quae in multitudinem legum vibrant, atque ſic prudentum confeſſione demonſtrant cicatrices et maculas corporis vndique laborantis. Mittuntur haec altius, quam vt nos petant. Creſcentibus delictis, numerus creſcebat legum, quibus nunquam peccatur, ſi publicis vtilitatibus, et melioribus inſtitutis conſulatur. Seneca: [r]) *ſingula continentur legibus, lex legi non miſcetur* quia paucae tabularum leges, quasque acceperant aliunde Romani et breuitate ſua, et vniuerſalitate, infinitis factis, ac ſimul emergentibus circumſtantiis impares erant, primum opus erat patrono aut iuris conſulto, qui defectum per interpretationem emen-

r) VI. de benefic. p. m. 51.

emendaret, hinc neque isto satisfaciente vbiuis, et publica necessitate cogente, nouae leges prioribus accedebant. Ex his vero concludere, quod scientia iuris nulla exspectari queat, inconsequentia est omnium foedissima. Quo enim plures, ac magis certae sunt leges de negotiis ciuium, eo videtur excultior doctrina legalis, et qui artem eius intendunt, pleniora sibi pollicentur ad hanc perficiendam subsidia. Cicero: q) *ars est adsumenda, quae rem dissolutam diuulsamque conglutinet, et ratione quadam constringat.* Item: *haec nulla est, nisi cognitis penitusque perspectis rebus, et in vnum exitum spectantibus, et nunquam fallentibus contineatur.* Oportet nimirum in promtu sit larga materia, ex qua denique iustum emergat systema, quale hoc tempore exoptabant in iure praesides illius atque consulti. Neque operam suam detrectarunt multi in hoc ipso concinnando, quos inter fuere Q. Mucius, pontifex maximus, qui ius ciuile dicitur primus constituisse, hoc est, secundum Corasium, r) *confusum atque conuulsum in ordinem redegisse.* Huic successit magna auctoritate Seru. Sulpitius, quem supra ex Tullio laudauimus, Lucilio Balbo, et Sexto Papirio, viris clarissimis, vsus praeceptoribus, quorum consuetudine, et fideli institutione id consecutus est, vt ius, nondum satis ordinate traditum, in certa genera tribueret, siue titulos, quomodo loquimur hodie, ambigua iuris rite definire inciperet, distinguere, per caussas item et effectus interpretari. Magna sic lux affusa legum studiis, adeo vt Romanae togae princeps Scaeuola iactaret, *artem hanc esse facillimam.* Atqui praeclara haec inuenta mentem Ciceronis exsaturare vix poterant, quin et ille conuersus huc nouam iuris artem moliretur, foro patrio magis aptam, cuius lineamenta supersunt in primo de oratore. Quintilianus inde monstraturus, necessariam esse scien-

 tiam

q) 1. de orat. p. m. 126. r) ad l. 2. ff. de O. I. §. 42.

tiam iuris oratori, ad hunc prouocat: [s]) *M. Tullius non modo inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiam componere aliqua de eo coeperat.* Nam librum ab illo prodiiſſe integrum, non a Craſſo, ſub cuius perſona loquitur ibi, A. Gellius teſtatur, et verba ex eo profert, libro I capite viceſimo ſecundo.

§. IX.

QVOD SYLLA, POMPEIVS ET CAESAR PVBLICA AVCTORITATE MOLITI SVNT, VT ESSET NORMA FORENSIS.

Verum iſti omnes priuata conditione, et auſu, certa methodo iuris ciuilis praecepta, quaeque vſu firmiter inoleuerant, conſecrare litteris ac perpetuam illis formam conciliare laborarunt. Quos indicaui modo, Syllam ac Pompeium, illi publica auctoritate tantum opus conficere, atque ciuitati ad forenſem normam relinquere voluerunt. Etenim videbant, non prius reddi patriae maiorem felicitatem poſſe, quam ſi legibus ac iure ſatis aucto modum ponerent. Verum impediti, non vna quoque ratione infenſi, quaſi a moribus et obſeruantia receſſuri, metu obtrectatorum, aut quod diu non eſſet manſurum, quidquid hoc nomine peregiſſent, gloriam eius poſteris commendarunt. Iulius Caeſar itaque, firmata ſibi potentia, omniumque animis ad ſe translatis, ſicut iam anni curſum, tanquam pontifex maximus, ad feriem commodiorem perduxerat, quam retinemus hodienum, ita iuris pariter, ac legum vndique ſparſarum, nouum ſyntagma meditabatur. quod propter inuentoris celebritatem ac prudentiam haud dubie per ſaecula duraſſet, non aliter ac reliqua ipſius monumenta ingenii, quibus fruimur ſuperſtites. Suetonius in Iulio: [t]) *ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque*

s) XII. Inſt. c. III. t) cap. XLIV.

ſaque legum copia, optima quaeque et neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinabat. Non obſcure colligitur inde, quo ſtudio leges coluerit princeps, et quid in promiſcuo illarum vſu ſpectauerit. Ordo non erat in re publica, cuius interceſſione forte impediretur: qui turbas huc vsque dederant tribuni plebis ſuam poteſtatem in dictatorem contulerant perpetuum. In ſenatu libere praeſcripſit, quae fieri cuperet. Appianus: *) καὶ τὰς ἀρχὰς εὐθὺς καθισταμένας ὀμνύναι μηδενὶ τῶν ὑπὸ Καίσαρος ὁριζομένων ἀντιπράξειν. *vt qui magiſtratus inirent, iurarent, ſe nullis eius decretis refragaturos.* Nemo ex collegio ſacerdotum ei poterat obſtare, quod ſacris praeeſſet, veneratione tanta, vt publice decerneretur, ſacerdotes ac Veſtales, ſingulis luſtris, pro ſalute eius, publica facere debere vota. Sic igitur nemo hoc effeciſſet rectius, quam Caeſar: quod tamen praeclare coeptum aduerſo ipſius aeque legumque fato, ac percuſſorum intempeſtiua vltione rurſum ceſſauit.

§. X.

AEQVITAS DVPLEX: LOCO LEGVM OBTINENS ET AD LEGES RELATA. HAEC IPSA ARS IVRIS NEC EI OPPOSITA.

Aequitas, cuius etiam ſupra mentionem fecimus, vltimo loco reponitur, et correctrix et ſuppletrix legum omnisque iuris. quaſi praeditus ea ſupra leges euehatur, ex alto hanc artem deſpiciens. Vbi notandum ante omnia, duplicem eam eſſe, alteram communem, quae lege vel nondum exiſtente, vel ſi exiſtat, non attenta, in humanis rebus obtinet, alteram, quae refertur vnice ad leges, earumque adiunctum eſt, et Ariſtoteli dicitur, ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου, *correctio iuris legitimi.* Illa ſub regibus dirigebat arbitria, quae pro legibus erant,

*) II. bell. ciuil. p. m. 807.

erant, et iustitiae nomine haut raro venit, cum cura discernenda, a simulata illa, quam priuatus quilibet in caussa sua exercet, legibus proterue spretis, et secundum eam iudicari cupit, de qua iam egimus. Haec ita legibus inhaeret, vt sine illis neque intelligi recte possit, iudici maxime et interpreti commendata, cuius ope vel suppleat, quae non sunt expressa lege, iuxta mentem tamen legislatoris, ac salutem publicam, vel in dubio casu mitiorem partem eligat, et scopum ferentis legem potius, quam verba obseruet. Per vniuersum corpus legum ista diffusa est, anima veluti iuris, vt hinc non male a Celso describatur, [x]) *ars aequi et boni*. Sed iam quis eam putaret obesse arti, quo minus ex legibus produceretur, aut saltem iuxta eam leges redigerentur sub capita certa? Non sequitur: aequitas deficiente lege succurrit iudici, ergo nec iuris ars haberi potest. Aequitas, siue facultas ex aequo respondendi, formam hanc artemve recipit difficulter. Aliter existimemus oportet, quando de iure in se spectato quaerimus. Iudex interim aequitatem suam ex legibus comparat, nec eam sine legibus vnquam adhibere debet. Vt adeo constet ex his, quid olim traxerit in partes Romani fori patres, qui artem iuris expetebant, quique eam plane respuebant, ac pro nihilo putabant. Hodie obiiciunt infirmiora, quasi iurisprudentia occupetur tantum circa singularia, nullas admittat nisi incertas definitiones, quod mutationi perpetuae sit obnoxia, propter voluntatem hominis inconstantem. Sed inferius, quando labores ac studia Triboniani sunt expendenda, de his plura.

x) l. 1. ff. de iust. et iure.

SECT.

SECT. II.

DE CAVSSIS MVTATAE CIVITATIS FORMAE.

§. XI.

IVLIVS CAESAR SVMTIS HONORIBVS CIVITATIS OMNIBVS:

Fatum itaque parum hactenus fuit aequum, quod nemo illorum ius redegit in ordinem, qui poteſtate ſuprema gaudebat. Sic enim cum auctoritate receptum, diutius permanſiſſet in ciuitate inconcuſſum. Qui ſine auſp ciis, priuato ſtudio id agebant, licet prudentia, et ciuilis doctrinae laudibus praecellerent, opera duntaxat ſua et forte etiam conſilio, non vi et efficacia obligandi publica dignoſcebantur. quippe penes quem eſt legislatio, penes eum quoque eſt, diuerſas leges ac iura praetorum, tabularum, ciuilia, quaeque his proxima ſunt, poſitiua omnia in vnum colligere ſyſtema, ac ſubiectis praecipere eius vſum venerationemque. Vt autem rectius nouerimus, vnde potiſſimum aeſtimetur hoc tempore legislatoria poteſtas, ac ſimul fatalis iurisprudentiae Romanae terminus ſub principatu, ad formam reipublicae mutatam, et populi varium animi habitum reſpiciamus oportet. Quid plebi in hunc vsque diem licuerit, quot leges tribuni impedierint, et contra vniuerſis ſcita ſua obtruſerint, ex allatis conſtat vberrime. Ita ſenatus rogationes, atque prudentum conſilia, cum fori inſtitutis explicare, et hinc iuris Romani demonſtrare incrementa, ad praeſentis tractationis metam pertinebat. Verum iam alia nobis obueniunt notatu cumprimis digna, quatenus nimi-

nimirum vel retentae ſunt maiorum leges, vel ſenſim extinctae, vt ne diſpliceret ab initio ſtatim vehementia Imperatorum, ac plebem ad iniquiora patranda concitaret. Iulius Caeſar, et arte et fortuna praecipuus erat, Iuſtiniano, [y]) Καῖσαρ. μέγας, *Caeſar magnus*, qui fundamenta poneret rei tam inexſpectatae, ac manſurae apud Romuli nepotes. Nihil in diuinis, nihil in humanis, quorum cura et moderatio aliquid haberet ſplendoris potentiaeve, quin beneuolis ciuium ſtudiis ad ſe pertraheret. Ordo non erat, quem offenderet facile, ſibique redderet aduerſum, aut ſi aliter fieri haut poſſet, maiora ipſi non opponeret ſubſidia. Haec omnia referebat eo, vt ſolus aliquando praeeſſet ciuitati, ſolus conderet leges, dictator in perpetuum. Ne verbis abundare videamur, ad nauſeam lectoris, hoc idoneis veterum teſtimoniis confirmabimus. Plutarchus [z]) de pontificatu maximo Caeſaris: διενεχθείσης δὲ τῆς ψήφου καὶ γενομένης ἁμίλλης, ἐκράτησε καὶ παρέσχε τῇ βουλῇ καὶ τοῖς ἀρίστοις φόβον, ὡς ἐπὶ πᾶν θρασύτητος πράξων οἱ δῆμον. *Suffragiis non ſine certamine latis ſuperior fuit, ſenatuique metum incuſſit, quaſi multitudinem ad omnem audaciam commoturus eſſet.* Quo ipſo poteſtatem inſignem cum imperio accepit, cui Numa [a]) ab initio omnia *publica ſacra priuataque* ſubiecit, quae in multis ad iura quoque ciuium profana extendi conſueuerant. Feſtus: [b]) *iudex is erat atque arbiter rerum diuinarum et humanarum.* Non ſenatui, non populo reddebat rationem factorum: nulli poenae obnoxius erat, nec pontificatus viuo ipſi debebat adimi. Appianus: [c]) ἱερωσύνην οὐκ ἐδέχετο ἣν ἕνα μέχρι θανάτου ἔχειν γενόμισαι. De Auguſto loquitur, qui etſi principatum ſuſceperat, pontificatum tamen Lepido viuo noluit auferre, nec potuit. Tribuniciam

y) Nov. XLVII. praef. z) in Caeſ. p. m. 710. a) Liu. I. 20. b) inu. ordo ſacerdotum. c) V. bell. ciuil. p. m. 1178.

ciam poteſtatem Iulio conceſſam eſſe per omnem vitam ſuam, Dio [d]) commemorat: *τήντε ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔλαβεν.* Scilicet vt magis caueretur eius potentiae, quam ſacroſanctam et inuiolabilem eſſe volebant ciues, ſi DIIS placuiſſet. Neque moramur Iac. Gutherium, [e]) qui contra naturam tribuniciae poteſtatis alia ſibi imaginatur, ac doctis etiam perſuadet, Iulium non fuiſſe *ſacroſanctum* iure tribunicio, *ἱερὸν τὸ σῶμα καὶ ἄσυλον,* ſecundum Appianum. [f]) Quamprimum ea dabatur alicui, ſimul tranſibat priuilegium, vt qui nocuiſſet, caput eius Ioui ſacrum eſſet. In tanto ſtudio, quo Caeſarem proſequebantur ciues, quis minora competiiſſe opinetur? Conſulatum, quem petierat abſens, ac ſibi decerni iuſſerat, contra morem maiorum, transmiſſo Rubicone, ſumit ipſe, ac Pompeium fugientem perſequitur. quo victo redit, et a populo ſubinde maiora accipit, non tam inuidenda, quam abſurda. Dio vocat *ἀτοπώτερα.* Pleraque complectitur Suetonius. [g]) *Non honores modo nimios recepit, vt conſulatum continuum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, inſuper praenomen Imperatoris, cognomen patris patriae, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtra; ſed et ampliora etiam humano faſtigio ſibi decerni paſſus eſt.* Hiſce nobis deſcribuntur ſumma omnia, et quod altius prouehi a Romanis Caeſar vix potuerit. Quae modo erant penes eos, quae excogitari adhuc poterant, in vim obſequii ac deuotionis, largiſſime transferebantur. Sic adeo verum iudicatur, quod multi non ſine auibus augurabantur, poſt reſtitutas ab illo pridem Marii imagines, populi fauore ſubnixum facile impetraturum in ciuitate, quaecunque vellet. Plutarchus: [h]) *πάντων γὰρ ἐκόντι τῷ δήμῳ περιέσεσθαι,*

[d]) lib. XLII. p. m. 219. [e]) de Offic. D. A. c. XXXIX.
[f]) II. Bell. ciu. p. m. 806. [g]) cap. LXXVI. in Iul.
[h]) l. c.

σεσθαι, καὶ πρωτέυσειν, *primas obtenturum esse Iulium, cunctorum animis propensis.*

§. XII.

FORMAM REIPVBL. SIC MVTAVIT VT ESSET παμβασιλέυς, LEGISLATOR.

Forma igitur reipublicae cum Caesare παμβασιλικὴ esse coepit, ac legislatio pertinuit ad ipsum solum. Cicero: [i]) *omnia delata sunt ad vnum: is vtitur consilio, ne suorum quidem, sed suo.* Item: *sed, mihi crede, etiam is qui omnia tenet, fauet ingeniis.* Alibi: [k]) *penes illum est omnis potestas,* ad Papirium Paetum. Asinius Pollio ad Ciceronem: *in potestate vnius sunt omnia.* scite poeta: *omnia Caesar erat.* Antonius Cos. apud Suetonium, [l]) per praeconem, laudationis loco, pronunciauit SCtum, quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerant: item iusiurandum, *quo se cuncti pro salute vnius adstrinxerant.* Monarchici status extantiora documenta nemo desiderat. Qui vnus praeest, et ad quem colendum amandumque coguntur singuli, in manu quasi ciuitatem habet, formandam ac reformandam pro arbitrio. Qui omnia honorum ac magistratuum fastigia supergressus, nihil amplius nouit, quod accedere possit in cumulum, haud dubie quidquid facit in ciuitate, sine alterius intercessione facit. Appianus: [m]) τὰ τῷ Καίσαρι πεπραγμένα κυροῦν συμβόλῳ, καὶ τὰ βεβουλευμένα συντελεῖν, populo a fato Caesaris tribuit. Vnde patet, quo affectu in illum conuersi, qua constantia probauerint ipsius acta. Cicero: [n]) *non regno, sed rege liberati videmur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur: neque vero id solum, sed etiam, quae ipse ille, si viueret, non faceret, ea nos*

i) IV. fam. ep. IX. et IIX. k) IX. fam. ep. 16. X. fam. ep. XXXI. l) in Iulio c. 84. m) II. bell. ciuil. p. m. 831. n) lib. XII. fam. ep. 1.

nos quaſi cogitata ab illo probamus. A morte igitur ſua Iulius Caeſar fuit maior et honoratior, quam ſi interfuiſſet poſteritati, de ſe inſigniter adhuc meriturae. Quare autem illum ſupplicio tam crudeli in curia mactauerint, Dio exponit. o) *ὄυτε γὰρ ἐπὶ δυναςείᾳ, ὄυτ' ἐπ' ἄλλῃ πλεονεξίᾳ ὀυδεμιᾷ ἀπεκτονέναι αὐτὸν ἔφασαν, ἀλλ' ἵνα ἐλευθεροί τε καὶ αὐτόνομοι ὄντες ὀρθῶς πολιτεύωνται, non propter potentiam, non propter auaritiam periiſſe Caeſarem, ſed vt libertate legumque vſu reſtituto respublica adminiſtrari recte poſſet.* De legibus Iuliis, quae non aliter quibusdam inuiſae, quam regiae quondam, iterum Tullius: p) *etiamſi nunquam probaui, concordiae tamen cauſſa multa conſeruanda arbitratus ſum, vt non modo, quas viuus Caeſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem; ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Caeſaris prolatas et fixas videtis.* Scilicet de actis Iulii poſt necem eius orta lis eſt, an rata forent, et cum ſalute publica ſtare poſſent. Alii per odium perſonae ferre non poterant, etiam quae ſalubriter conſtituta fuerant; alii et inter hos orator noſter, qui libertatem non aliter ac vitam ſuam tuebatur, non cum puluiſculo quaeque euerrenda iudicabant. Et ne tolerari certe ſingula debebant, quod nonnulla huc referrentur in commentariolis, chirographis, atque libellis, immo nec ſcripta quidem, ſed tantummodo dicta, quae inter acta Caeſaris firma eſſe volebant, vt iniquiora plura in ciuitatem inferrent.

§. XIII.

AC FVNDATAM RELINQVERET MONARCHIAM AVGVSTO PERFICIENDAM.

Interim patuit, quousque proceſſiſſet dictator, et quomodo apti eſſent Romani ad iugum denique ſubeundum. Poſt Marii et Cinnae turbas fere hoc egerat Sulla, exem-

o) lib. XLIV. p. m. 283. p) Philipp. I. p. m. 586.

exemplo futurus, quorsum respicerent ad summa adspirantes. Iulius Caesar non infeliciter tentauit fortunam suam, rei tantae et tam insperatae suffecturus omnino, si absque potentiorum insidiis fuisset. Appianus hinc gloriam adscribit ipsi monarchiae fundatae, quam ex interuallo Augustus confirmauerit, ac plenum ei robur comparauerit. [q]) *τήν τε ἀρχὴν τὴν ἐπικρατοῦσαν ἔτι νῦν, ἐῤῥιζωμένην ὑπ' ἐκείνου, μειζόνως ἐκρατύνατο, καὶ τὸν πατέρα τιμῶν ἰσοθέων ἠξίωσεν. principatum hodieque manentem, sub illo nempe Iulio fundatum, confirmauit auxitque, et patrem inter diuos retulit.* Plane in hunc sensum Iustinus loquitur, de Philippo Macedone, ac filio Alexandro: [r]) *orbis imperii fundamenta iecit pater, operis totius gloriam filius consummauit.* Augustus enim vel adsuetam dominationi plebem, vel rebus nouis studentem, luxu pariter et inertia degenerem, facile donis permouit et comitate incredibili, spectaculorum insuper epularumque magnificentia, vt libertatem, senio quasi confectam, ac viribus destitutam, cum principatu deinceps commutaret. Suaue hoc nomen, in libertate receptum apud senatores et gratum, post discordias ciuiles, blandiebatur ignauis, et ad paupertatem redactis plerisque: efficax contra et expeditum principi, ad ferendas leges, et subitaneos motus in herba opprimendos: Dictaturae, regnique vocabula dudum fatalia credebantur, quin legibus prohibita, nec in vrbem reditura, nisi cum interitu eius, qui vsurparet. Cicero in prima Philippicarum: [s]) *multa praetereo, eaque praeclara: ad singulare enim factum M. Antonii festinat oratio. Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex rep. sustulit.* Dio ita proponit: [t]) *νόμον ἐπέθηκαν, μηδένα αὖθις δικτάτωρα γενέσθαι, ἀράς τε ποιησάμενοι καὶ θάνατον προει-*

q) II. bell. ciuil. p. m. 848. r) IX. hist. cap. 8. s) p. m. 583
t) lib. XLIV. p. m. 303.

προειπόντες, ἔτις ἐσηγήσηται τοῦτο, ἄνθ' ὑποςῇ, καὶ προσέτι καὶ χρήματα ἀυτοῖς ἄντικρυς ἐπικηρύξαντες. *legem tulerunt, ne quis in posterum dictator crearetur: exe- crationes addiderunt, mortemque ei comminati sunt, qui saltem dictaturae mentionem fecisset.* Parum vero intererat, siue princeps adpellaretur Augustus, siue Dictator, aut Rex, quod sub isto nominis inuolucro posset exigere pa- ria, immo maiora, quippe summa potestate instructus. Suetonius: [v]) *nouissime per annos quattuor et quadraginta solus rempublicam tenuit.* quae verba, sensu historici, mo- narchica sunt, qualia de Caesare ante protulimus ex Tullio, inuicem simillima. Tacitus [x]) breuiter: *Augustus cuncta discordiis ciuilibus fessa nomine principis sub impe- rium accepit*, vbi Forstnerus ad primordia, et post eum Boeclerus, *annotatis politicis* ad primum annalem, capite nono videndus. Haec paullo vberius declarauimus, quod sint ex iureconsultis aliqui, huius antiquitatis iudi- ces alias non imperiti, qui tamen negant isto tempore statum παμβασιλικὸν, adeoque de perfecta legislatione, sub primis monarchiae Romanae conditoribus, dubitant. Immerito sane, ac per tot veterum testimonia, sine ra- tione certa. Quae adducunt ex Suetonio: [y]) *nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principa- tus in regni formam conuerteret:* quasi principatus et re- gnum opponantur, et ille cum populi libertate, hoc au- tem pleno iungatur dominio, non adprobant sententiam, a scriptoris mente alienam. *Species* in praesenti ac *for- ma* sibi respondent, nec indicant aliud, quam externum schema, regnique aut principatus imaginem, regia signa, ac diademata, in hunc diem, nempe sub principatu in- cognita, in regnis communia, et quotidiana. Caligula sumturus ista, nihil immutasset, quod ad interiora spe- ctasset

v) in Aug. cap. VIII. x) 1 annal. cap. 1. y) in Calig. c. XXII.

ctasset. Sunt alia praeterea, quibus delectantur adhuc, sed valde infirma.

§. XIV.

AN IVSTVS FVERIT CAESARIS ET SVCCESSORVM PRINCIPATVS?

Illud magis pertinere videtur ad legum sanctimoniam auctoritatemve, quod heic quaeritur, *an iustus fuerit principatus Romanorum*, an per inuasionem leges suas Iulius et Octauius promulgarint. Ad legem quidem non adeo requiritur, si perfecta sit et ciuitati salutaris, num forte proficiscatur a bono vel malo principe: interim commendat eam auctor, imprimis populo gratus et aequus, vt maiore cum studio semper obseruetur. Nuperus scriptor, patriae libertatis defensor acerrimus, non veretur in hanc rem ita philosophari: [z]) *libertas et legum imperium, vt naturam, ac rationem, sic etiam DEVM habet auctorem: at regnum solos homines, et quidem corruptos. Libertas beneficium est diuinum; regnum est poena.* Grauia haec sunt verba, et pari cum libertate prolata: vera autem et indubitata minime dixero. Sic enim male sentiremus non de plerisque solum principatibus, sed praecipue etiam Romanae monarchiae conditores infamaremus. Caesari obiiciunt improbam dominandi cupiditatem, a puero insitam, qua de multa in historia rerum ab ipso gestarum. Sulla dictator adhuc, immani supplicio tollere nostrum iusserat: deprecantibus pro illo dixit, parum sibi constare, *nec mentem habere, nisi ei multos inesse Marios viderent:* tam accurate nimirum perspiciebat in aliis, quae cupidissime desiderabat ipse. Plutarchus: [a]) οὐκ ἔφη νοῦν ἔχειν αὐτοὺς, εἰ μὴ πολλοὺς ἐν τῷ παιδὶ τούτῳ Μαρίους ἐνορῶσιν. Iocus erat,

z) de libert. publ. p. m. 65. a) in Caes. p. m. 707.

erat, quando in Alpino itinere vrbem praeteriret, a paucis habitatam, ac conuerfus ad amicos diceret, *mallem apud hos primus effe, quam Romae fecundus;* fed indolem prodidit regnatricem, vates propriorum fucceffuum non fpernendus. Plura aliquando congeffimus, in differtatione aufpicali, de Iulio Caefare, libertatis Romanae euerfore, ex quibus luculentum erit, non tam primum, quam folum effe voluiffe. Excufat quadantenus facta illius miferrima tempornm facies, qua euenire coepta aliter vix poterant, fato vbiuis inclinante. Appianus: [b]) *ἀλλὰ τάτε μὲν ᾠκονόμει θεὸς ἐς ἀρχὴν τηςδε τῆς νῦν ἐπεχέσης τὰ πάντα ἡγεμονίας. fed DEVS haec ita difponebat omnia ad principatum, qui nunc eft.* Paratus deinde Caefar erat, iudicio cauffam fuam committendi, aut cum hofte tranfigendi, quibus conditionibus vellet. Dio in oratione illius: [c]) *καὶ τοι ἔγωγε τοσοῦτον περιεῖναι τοῖς δικαιώμασι τοῦ Πομπηΐε νομίζω ὥςε καὶ ἐς δίκην πολλάκις αὐτὸν περικαλέσασθαι. equidem cauffam meam tanto iuftiorem Pompeii cauffa exiftimo, quod faepius ad iuris difceptationem inuitauerim ipfum.* Quod vero Pompeius nollet iure difceptari litem, ad arma progreffi, martis arbitrio fteterunt. ibidem in oratione Antonii: [d]) *δαιμόνιον δικαιότατα τὴν μάχην ἔκρινε τίνα μὲν τῶν τότε πρῶτον ἁλόντων ἀπέκτεινε; iuftiffimo arbitrio belli controuerfia eft diiudicata, quemnam tunc primum in alterius poteftatem venientem alter perderet?* Superato autem et occifo Pompeio, victori Iulio cuncta detulerunt fponte Romani. Iam vero cui fe committunt fponte populi, in quem humana et diuina transferunt omnia, is non occupaffe, fed libera fuorum difpofitione ea videtur accepiffe. Dio iterum: [e]) *καὶ ἐξεσίαν ἔννομον παρὰ τῆς ἐκεῖ βελῆς προσέλαβε, legitimam poteftatem accepit a fena-*

S 2

b) II. bell. ciuil. p. m. 774. c) lib. XLI. p. m. 188. d) lib. XLIV. p. m. 299. e) lib. XLI. p. p. 191.

a senatu. qui tum ibi erat. Ex antea dictis satis constat, quam proni erga Caesarem omnes et quam largi fuerint.

CAPVT II.

DE ORTV ET FORMA PRINCIPATVS AVGVSTI.

---

§. XV.

AVGVSTVS PARI CVM IVLIO IMPERIO PRAEFVIT ROMANIS.

Augustus, parente a percussoribus, Cassio et Bruto sublato, principatum instaurauit duratura magis felicitate. Non indigna maioribus peregit, quando triumuiratu repetito, ex paucorum imperio, praestantissimo sibi adparente subsidio, transiret ad summa quaeque De primis ipsius annis Cicero: [f] *quis hoc adolescente castior quis modestior? quod in iuuentute habemus exemplum illustrius veteris sanctitatis?* quae virtutes non ad laudes fictas comparatae erant, sed verum in ciuibus amorem excitabant. Surgebat itaque per gradus honorum, et metam quo propius contingebat, eo magis declinabat studia monarchiae. Praecipua difficultas, post fata Iulii, propter diuersas partes, in quas discesserat respublica. Ipse parentem adoptantem, heres testamento factus, auersari nec poterat, nec debebat: iniquae caedis vindictam per aetatem exequi, minus tutum existimabatur, quod libertatis nomen placeret iis etiam, qui a partibus Caesaris steterant. Medii quidam erant, inque patriae turbis quie-

tem

f) III. Philipp. p. m. 609.

tem expetebant. Antonius vbique praeualere cupiebat, iamque verendus ciuitati, ne publica inuaderet munera, et fauore militis regnare inciperet. Aduersus dominationem istius a senatu legitur dux Octauius, quem reprimit fortiter, et viam sibi aperit, plaudentibus singulis, ad futuri principatus auspicia. Ita fato quasi manebant singula. Lepidus, in olicharchia, siue triumuiratu collega, quod ampliora sibi tribueret vni, potentia sua, omnique imperio facile exutus est. Antonius nauali proelio apud Actium, Epiri promontorium, victus fugaque delatus in AEgyptum, desertus ab omnibus mortem sibi consciuit. Caesar Octauius supererat solus, maximorum operum contemplatione, votis et obsequiis cultus, inque perenni fortunae cursu subiectis formidabilis, ad communem belli administrationem vocabatur, pacem reducturus. Dio quinquagesimo, et ex illo Xiphilinus in Augusto: [g]) *τοῦτο δὲ οὐκ ἄλλως εἶπον (οὐδὲ γὰρ εἴωθα αὐτὸ ποιεῖν) ἀλλ' ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν, ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι.* Nempe IV. NON. SEPT. cum cura annotauerat, quod alias non consueuerat, vt posteri essent certi, quo die Augustus princeps factus, *τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν*, omnem potestatem solus habuerit, Domitis mox Pannoniae, [h]) Aquitaniae, Dalmatiae et Illyrici incolis, cum Dacis, et Germanis vltra Albim fluuium summotis, ex quibus dedentes sese Sueuos et Sicambros in proximis Rheno agris collocauit, aliisque gentibus male quietis ad obsequium redactis, domi celebratur, inprimis quoque Parthis et Armeniis signa ablata reddentibus, et Scythis cum Indis amicitiam Augusti populique Romani petentibus. Pignora haec erant fortunae excelsae, quae ciuium animos percellebant ita, vt neminem prae-

S 3 esse

g) p. m. 61. *h*) Suet. in Aug. c. XXI.

esse cuperent alium, quam Octauium, felicissimum pacis ac patriae conseruatorem. Scilicet per tot ingentia bella, et omne genus turbarum, quae tot regna et nationes peruaserant, ipsi eluctandum fuit, donec Iani templum cum gloria saeculi tertium clauderetur.

§. XVI.

EOQVE LEGITIMO.

Post deuictum Antonium restituere volebat rempublicam, voluntate meliore, num euentu, ambiguum haut est. Priuatus viuere sine periculo vix poterat, aut si reddidisset eam, haud dubie ad paucos iterum veniebat imperium. quare sibi retinuit, quod prauis molitionibus, ac per bella ciuilia, potentiores audere solebant. Corruptis adeo moribus, et quando sperare certiora vix liceret, optimus erat princeps, qui iustissime ciuitatem administrabat. Quam ei cupidinem dominandi exprobrat Tacitus, [i]) ex his internoscere pronum erit. Bella gessit, ciuium sanguine cruenta, atque horrida, sed pro pace: quibus si occubuisset, pro mansueto, et iustitiae amantissimo principe, regnum occupasset saeuus Antonius, voluptatis improbae mancipium. Eo enim processerant Romani, vt salui nec esse, nec nisi ab vno regi deinceps possent. Aurelius Victor de Caes. [k]) *mos Romae incessit, vni prorsus parendi.* Dio: *) absente Augusto populus in creandis consulibus seditione agitatur, *ὥςε καὶ ἐκ τούτȣ διαδειχθεῖναι, ὅτι ἀδύνατον ἦν δημοκρατουμένους σφᾶς σωθῆναι, rempublicam sub imperio populi saluam esse non posse.* Sic et verissima sunt, quae Polybius, scriptor grauissimus tradit, ad principium sexti: *ἡ γένεσις καὶ κατὰ φύσιν μεταβολὴ τῶν πολιτειῶν εἰς ἀλλήλας, naturalis veluti ac mutua est rerump. conuersio.* quam nec obscure nobis Dio describit, quinquagesimum secundum inchoaturus.

i) 1 annal c. 1. *k*) p. m. 734. *) LIV. p. m. 600.

turus. Romani primo ſub Regibus, poſtea in libertate, denique ſub principatu certorum hominum, *ταῖς δὲ δυνασείαις· ἐκ δὲ τούτου μοναρχεῖσθαι, αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο.* quibus circulum illum ciuilem, et quod omnia redeant in orbem, accurate teſtificatur. Non ſunt ab his aliena, quae Iuſtinianus ex antiquiſſimis repetit temporibus, niſi quod libertatem omittit. [l]) *Αἰνείας ἡμῖν ὁ τρῶς ὁ βασιλεὺς τῆς πολιτείας ἐξάρχει. Αἰνειάδαι τε ἡμεῖς ἐξ ἐκείνου καλούμεθα. δευτέρας ἀρχὰς κατεςήσαντο Ῥωμύλος τε καὶ Νουμᾶς. εἶτε καὶ τὰ τρίτα προοίμια λάβοι τις τῆς βασιλείας, τὸν Καίσαρα τὸν μέγαν, καὶ Αὐγουςὸν τὸν σεβαςόν. Aeneas nobis Troianus rex princeps reipublicae: et nos quidem Aeneadae ab illo vocamur: deinde regna conſtituerunt Romulus et Numa, tandem auſpicati ſunt imperium Caeſar et Auguſtus.* Libertatis nulla facta eſt mentio, quod maieſtas reipublicae magis ex ſingulari imperio, quam ſtatu optimatium aeſtimetur. Iam vero ſicut ibi ex conſulibus tempora inſtrumentorum deſignabantur, qui mos in hunc fere diem frequentabatur: ita poſtea iubet Imperator, vt nomen eius et imperii ſimul praeponatur, id quod hodienum obſeruatur a tabellionibus, qui ciuium acta et inſtrumenta conficiunt.

§. XVII.

PER QVINQVENNIA DECENNIA SVMTO IMPERATORIS TITVLO. (INITIVM MONARCHIAE QVO ANNO?)

Aut, ſi concedamus, non omnia legitime ſuſcepta fuiſſe et geſta ab initio, quis negauerit, quin Auguſtus per quinquennia datum imperium, perque decennia, iuſte obtinuerit. Quaeſtio hac parte ſoluitur facilius, cum precibus ciuium adductus Imperator poteſtatem in ſe collatam paſſus eſt continuari. Id ſaltim a doctis non-

l) Nov. XLVII. praef.

dum est discussum plane, quo tempore coeperit principatus Augusti? Sunt, qui a primo eius consulatu ordiuntur, quia is liberum patefecit aditum ad honores. De hoc Suetonius: [m]) *consulatum vicesimo aetatis anno inuasit.* Sententia parum aequa, de ardore iuuenili, et magistratu annis maturiori. Inter illos est scriptor dialogi de claris oratoribus: *sex et quinquaginta annis divus Augustus remp. rexit.* Primum autem consulatum anno V. C. DCCX A. D. X KL. OCT. capessiuit, cum Q. Pedio, suffectus C. Vibio Pansae et A. Hirtio. Cos. ad Mutinam occisis. Alii ad consulatum quintum referunt, et annum V. C. DCCXXV, quo triplici peracto triumpho, Mineruae templum, et curiam Iuliam, in honorem patris factam, dedicauit, in eaque posuit imaginem victoriae. his vero Caesar Octauius indicabat, imperium se ex victoria esse adeptum. Dio: [n]) *δηλῶν, ὡς ἔοικεν, ὅτι παρ' αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐκτήσατο.* Paulus Orosius [o]) habet similia, ac diem insuper signat, quando ista contigere, nempe octauo Idus Ianuarias, quo et primum AVGVSTVS consalutatus sit. Addit: *hoc nomen cunctis antea inuiolatum, et vsque ad nunc ceteris inausum dominis, tantum orbis licite vsurpatum apicem declarat imperii: atque ex eo die summa rerum ac potestatum penes vnum coepit esse et mansit, quod Graeci monarchiam vocant.* Isthaec non distincte satis transfert CL. V. Antonius Pagi [p]) ad consulatum septimum, qui vtique de sententia Pauli est quintus, *Caesare Aug. quinquies, et L. Apuleio consulibus.* Interim verior est opinio illorum, qui a septimo demum consulatu imperium Augusti legitimum auspicantur, anno V. C. DCCXXVII, a Parilibus ineunte, quo senatus populique consensu in decennium ipsi confirmatum est. Hoc enim tempore serio cogitabat Caesar de [illegible] red-

m) in Aug. cap. XXVI. *n*) Lib. LI. p. m. 526. *o*) libro VI. cap. XX. *p*) in diss. hypat. p. 330.

reddenda republica, suadente potissimum Agrippa, sed obnitente pluribus argumentis Maecenate, quorum orationes contrarias exhibet nobis Dio, quinquagesimo secundo, quare huic potius, quam illi auscultandum ratus ad solitas artes confugit. Idem Cassius, quasi interfuisset consilio regio: *Imperatoris* nomen sumsit, non quod vetusto more tribui consueuerat propter victoriam: *verum quo summa imperii demonstraretur*, ἐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισὶν ἐπίκλησιν αὐτοκράτορος, ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, q) quam dignitatem iam olim Iulio eiusque filiis Romani decreuerant. Vt sic contra fidem historiae sit, quod Sutholdus r) ait: *Augustus neglecto Imperatoris fastuoso titulo populum indulgentius habebat.* qua de re alibi plura. Mox Dio libro sequenti aperit modum abolendi acta triumuiratus, quo ipso rursum in oculis erat omnium, et laudibus in coelum ferebatur, princeps optimus. Post orationem in senatu recitatam, de abdicanda potestate suprema in perpetuum, varius animorum habitus noscebatur. Aliqui diu edocti, omnino non velle semper Augustum, quae prae se ferret ore, suspicabantur diuersa omnia. Alii comitate, et mitiori imperandi consuetudine pellecti statum reipublicae popularem odisse coeperant, monarchiae solum dediti. Nec defuerunt, qui conarentur, quantum in se, nocere Caesari per insidias, vbicunque tandem sibi pateret.

§. XVIII.

VT VSVS ARTE ET CONSILIO IMPERARET OMNIVM CONSENSV AC LEGITIME.

In tanta hominum dissentientium multitudine vicit maior pars, qui sollicitis verbis precati sunt Caesarem, vt solus imperii summam gereret: s) μετὰ τοῦτο μοναρχεῖσθαι

q) p. 565. r) de iurisd. §. LXII. s) lib. LIII. p. m. 576.

χεῖσθαι τε, δεομενοι, καὶ παντα τὰ εἰς τοῦτο φέροντα ἐπιλέγοντες, μέχρι οὗ κατηνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν αὐταρχῆσαι. vbi significantiora notentur verba, *μοναρχεῖσθαι, αὐταρχῆσαι,* monarchici ſtatus propria, quae ſtudioſe nobis Dio praeſtat, ibidem legenda. Ita vero dum generoſo honorum contemtu, ad priuatam conditionem redire ſimulat, maiorem ſibi poteſtatem comparat. Et dum omnes ipſum ſibi principem optant, eique plenam vim largiuntur ſponte, nemo conqueri poteſt amplius, inuitum ſe aut coactum vnius imperio ſubeſſe. Accurate tentauerat animos, quousque ferrent principem, et quo magis adſuefierent, ſemper incitauit homines, ad offerenda maiora, quae per modeſtiam ipſe recuſabat. Per vitam ſibi oblatum principatum ſubterfugiebat, inque decennium modo ſuſtinere volebat, pacandis omnino prouinciis, quas reſeruauerat ſibi, quo elapſo rurſum accipiebat in quinquennium, ac denique in plura decennia, periculum aeque atque inuidiam ſuperaturus, ab iis remanentem, qui libertati ſtudebant. Ab initio itaque principatus in poſſeſſione fuit Auguſtus, exemplo illorum, qui ante ſe imperium ſingulare affectabant: iam vero ex conſenſu et voluntate populi, ius nactus eſt firmum quod et in ſucceſſores, auctoritate publica ſenatus populique transmiſit. Haec ſunt notabiliora, in regimine Auguſti Caeſaris, quae licet huc facere non adeo putabantur, tamen ob iuſtitiae, moderationis, omnisque virtutis ac diſciplinae cultum, omitti haut debebant, vt legitima imperii auſpicia, quod hodienum propagatur, cum legibus Romanis, cognoſcantur eo rectius, et amor iuris hinc deriuandi magis accendatur. Annum vrbis conditae ſeptingenteſimum viceſimum ſeptimum extra controuerſiam habemus, quo iſta euenere: dies in fragmento inſcriptionis apud Gruterum deſignatur, contra quam Ouidius in primo Faſtorum, ac Cenſorinus de die natali exiſtimarunt: ex quibus Petauius, et ante ipſum Pan-

Panuinius sua hauserunt, quos refellit Italorum doctissimus, Henricus Norisius, capite I. *de votis decennalibus.* Verba antiqui lapidis ita iacent: *t*) VII QVOQVE IDVS IANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST THVRE VINO SVPPLICENT ET HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT.

§. XIX.

PENES QVEM NVNC FVERIT LEGISLATORIA POTESTAS? DE LEGE REGIA:

Explicata iustitia principatus Augusto delati, porro iubemur, vt propius contemplemur potestatem legislatoriam, siue quo iure leges ipse cum successoribus ferre potuerit. Fata enim Romanae iurisprudentiae hinc non parum illustrantur, si certi simus, tot Imperatorum constitutiones ac rescripta, non imaginaria auctoritate, non vi, sed lege niti. Quaenam vero sit illa, apud veteres non plane expeditum, apud doctores aeui nostri varie disputatum est. Immo qui maiestatem iuris Caesarei venerari, aut saltim habere comiter debebant, fluctus movent, quasi penes se esset, statuta per principes ad liquidiorem auram perducere. Celebrata est antiqua lex, iureconsultis non adeo male REGIA dicta, quam multi vel ignoratione veteris Imperii, vel odio Tribuniani, diuerso adparatu impugnarunt. Fuerunt, qui se imperitis ostensuri, non tam liberae disquisitonis honestate, quam vana ingenii praecipitatione huc se verterunt, quos nec studiorum ratio, nec proposita cura excusat. Inter doctiores autem ob merita et studiorum praestantiam, idonei semper huius controuersiae arbitri visi sunt, Scipio Gentilis, Thomas Lansius, Io. Fridericus Gronouius, Vlricus Huberus, qui antiquitatis eruditae consulti non magis, quam omnis diuini humanique iuris, peculiaribus

t) p. CCXXIX. apud Gruter.

bus libellis, quidquid aduerfus principum Romanorum auctoritatem et legem hanc alii conduxere, penitus discufferunt.

§. XX.

QVO TEMPORE ET A QVO SIT LATA?

De tempore prima quaeftio eft, quo lex regia fit orta, quia ex vera huius notitia cetera pendent. Si nomen fpectemus, nihil tale reperimus Augufteo faeculo, fi rem ipfam, iam extitiffe illam euicimus: quippe nihil pofthac lucidius adparebit, quam cuncta illa fuiffe conceffa a principio, quae capita legis regiae adhuc integra praeferre nouimus. Lis videlicet agitata eft diu, quonam fub Caefare lex innotuerit, argumentis in vtramque partem collectis, quorum euidentia probabili funt plures commoti, vt abftinerent fere, nihilque decernerent. Sunt autem haec praecipua. Lex omnis populi quoddam pactum eft, atque conuentio: at quoties cogitur populus. aut contra fententiam adftringitur, tunc nullus adeft confenfus, et fic omnino falluntur, qui fub Imperatoribus primis talem fuper lege regia conuentionem animis imprimunt. Neque enim conceffione fpontanea, aut plenaria abdicatione, potentia tranfiit a populo ad Principes, fed vi doloue fpoliati ciues, cum dolore paffi funt, alium praeeffe folum. Ita quidem difputat Francifcus Connanus v) Ad haec vrgent, regiam condi legem non potuiffe, quod nimis odiofa denominatio fuerit, et contra fanctionem vetuftam, qua nec Dii nec homines regem, aut legem regiam, qua omne imperium confertur in vnum, in vrbe finerent perdurare. Pergunt alii, cum videant eam negari prorfus haut licere, atque commentum putant otioforum hominum, qui, vt gratiofi forent in aula, pofteriorum fcilicet imperatorum, exco-

v) lib. 1. Comment. Iur. Civ. c. 16.

excogitauerint legem hanc, et per certos articulos dispofuerint, exemplo status publici, qui tunc vigeret. Tandem exquirunt antiquorum testimonia, et nihil horum superesse contendunt, ne iam dicamus de iis, qui inepte quaerunt: *quid si apud Romanos nullam vnquam legem Regiam fuisse opinemur?* In singulis hisce magna peruicacia decertant, ac quod semel propugnare ausi sunt, totis viribus vel ex absurdis adseuerant. Nunquam interea destituuntur plausu, sed eorum fere, qui caueam implent, ac procul animi sensu laetantur.

§. XXI.

IPSVM AVGVSTVM LEGIS REGIAE NON ESSE AVCTOREM CONTRA CONNANVM OSTENDITVR.

Equidem fatendum est, haec dudum esse a doctissimis viris confutata, vt operae pretium non simus facturi, si prolixe respondeamus ad argumenta prolata: verum tractationis nostrae modus postulat pauca duntaxat, et suffectura dubiis. Huberus Connanum [x]) inter illos reponere vix audet, qui regiam legem negent, sed existimat illum tantum concedere nolle, populi consensu latam esse. Ac sane id crederetur indicasse, nisi acerbius de principatu Augusti ac successorum statueret, regiae legis occasionem scilicet inuentam esse, quam tyrannidi suae obtenderent. Aut enim de Iulio loquitur et Octavio, aut de his, qui serie perpetua surrogati sunt in locum eorum: si de illis, regiae legis in principio non magna erit vis, quod antea demonstrauimus, affirmantes in successu demum imperii, rerumque gestarum, iustitiam principatus consensu populi stabilitam esse. Grotius: [y]) *quae vi parta sunt primum imperia, possunt ex voluntate tacita ius firmum accipere, et voluntas aut ex initio*

x) I. digress. Iustin. cap. XVI. y) II. Iur. B. P. IV. 14.

initio constituti imperii, aut ex post facto, esse potest talis, vt ius det, quod in posterum a voluntate non pendeat. Si de istis, inique describit eos, tanquam tyrannos, qui legitime ad sua sceptra peruenerunt. Iam vero, qui nam sunt illi, qui occasionem huius legis inuenerunt, vt cum Connano dicamus? Senatus populusque eam non potuit inuenire, quia statim additur, *quam tyrannidi suae obtenderent:* confer quae tradit Franciscus de Amaya *1 obseruat. iuris* cap. 1. Arbitratur ergo, principes ipsos inuenisse, quod a temporum habitu, et statu publico abest longissime. Iulius de potestate sua nihil edixit, contentus vtique, sibi a senatu populoque Romano decreta esse summa omnia, quae non sibi dari iusserat, sed per obsequia ciuium, ac studia deuotissima susceperat, maiora adhuc habiturus, ni prohibuisset ipse. In tanta honorum accumulatione, et singulari imperio, Caesari vltro concesso, quis de consensu dubitaret? Quod plebs mobilis et inconstans, ferre postmodum noluerit, aut sermonibus iactaret, sibi vnius imperium non placere, a factione Pompeianorum forte manauit, quorum in senatu populoque supererant plurimi. Augusto similia, aut etiam si potuissent, longe superiora tradidissent, pari ardore ac studio, quo parentem Caesarem prosequebantur. Vtrobique eadem mens, ac voluntas, quam publicis monumentis comprobarunt, quorum recordationem nobis praeclare suggerunt historici, nummi, ac lapides, incorrupti veteris aeui testes. Quamdiu igitur manet certum, in honores, ac potestatem Imperatorum primorum, consensisse populum Romanum, quod praeter superius dicta, de iure principatus, variis documentis allatis facile confirmari posset, tamdiu conuelli haut possunt, quae lege regia continentur, siue ea sub Augusto, siue eius posteris nomen ac formam solennem nacta sit. Sutholdus, [z]) in eodem

z) §. LXVI. de iurisd.

dem argumento, non male euertit Connani fundamentum, ac falsum esse ait, quod ad legem condendam, aut pactum ineundum, pure libera et spontanea voluntas semper requiratur.

§. XXII.

LATA FORTE LEX REGIA ALIO NOMINE.

Quod deinde subnectitur, illo tempore nec propter nomen regium infaustum, et proscriptum e republica, tale quid existere vix potuisse, in eo non multum refragamur. At propterea inferre: ergo nec populus supremam potestatem in Augustum, eiusque successores transtulit, in conuenientissimum esse putamus. Et neque inficiari debemus, aliquatem regii nominis venerationem tunc quoque pectora mouisse Romanorum, vtut nuper libertati solum addicerentur. Iulius ex proelio Pharsalico reuersus, ac modo ex Hispania, victo ad Cordubam Sexto Pompeio filio, per totam vrbem cultus est, per prouincias omnes ac nationes per regna quoque sociorum et amicorum populi, atque honores ipsi magis quam humani seruati. Non sufficiebat, ipsum in publici gaudii festiuitate patrem adpellasse patriae, dictatorem constituisse perpetuum, consulem in decennium, et sacrosanctum: fuerunt etiam, qui regem adpellandum censerent: [a]) *εἰσὶ δ᾽ οἱ καὶ βασιλέα προσειπεῖν ἐπενόουν*, Appiano teste. Non ex odio, non ex insidiis hanc dignitatem offerebant: sed quae erat promta in Caesarem indoles, eam sic quoque explicare studebant. Cicero aliquoties hac voce vsus est, conuicium facturus maximis ausis Iulii; sed nihil inde aduersum nos valide concluditur, qui largimur, sub tali schemate commune decretum populi ab initio non extitisse: interim persuaderi minime possumus, rem ipsam non extitisse sub primis Cae-

a) II. bell. ciuil. p. m. 807.

Caesaribus. A solo nomine argumentari solent, qui vmbra delectantur, et a sole calorem esse, temere et obstinate negant.

§. XXIII.

VERE LATA, NON FIGMENTVM TRIBVNIANI.

In tertio nihil est, quod vel tanti aestimemus: quis enim otiosis vim legislatoriam dedit? quis parasitos aulae, et quadruplatores legem in tantae rei momento tulisse vnquam putaret? Scilicet qui ita philosophantur, in principia legislatoriae prudentiae enormiter impingunt, nec moniti habent, quod opponant, nisi contumeliosa dicta. Sunt homines in iure, et probae notae scriptoribus optime versati atque exercitatissimi, quoties autem vel nominare volunt Tribunianum, non aliter eum auersantur, quam prisci Romani in libertate nomen regium, et quae norunt flagitia, huic imputant secure. Ita non credunt, Vlpianum fecisse mentionem legis Regiae, sed Tribunianum, veteratorem, interpolatorem, scopulum, et obicem iurisprudentiae antiquae, principi vt placeret suo, has fecisse fabulas. Misera doctorum sors, qui adeo perturbantur affectu, vt inuideant alteri, quae sibi praestitit bona. Nempe rectiora semper norunt, et vituperant, qui operam non inanem dedit legislatori, quem ipsum quoque in ordinem cogunt. Quam vera sunt itaque, quam digna istis, quae AEmilius Ferretus, iureconsultus et fama et auctoritate celebris exoptat: [b]) *vtinam doctores nostros non cepisset ea insania, vt mallent leges condere, quam interpretari! non esset tanta imperitorum copia, audacissimorum tamen. neque tanta in iudiciis confusio.* quibus praecipue Tribunianomastiges perfricat, intempestiue iudicantes.

§. XXIV.

b) ad l. 12. ff. de adquir. vel am. poss.

§. XXIV.

NEC IVVAT NEGANTES SILENTIVM SCRIPTORVM.

A silentio ducitur vltimum, egregium certe in scholis historicorum. Non hodie demum querela Scipionis Gentilis, [c]) sed iam olim fuit repetita: de stillicidiis, de fullonibus et aleatoribus haberi leges, inque manibus omnium prope esse, solam de Imperio principis, dubiam fieri ac suspectam, obliuione vetustatis. Et quidem constat, has in ciuium commoda latas, cum ciuitate propagatas fuisse diligentissime, quod hodienum fieri adsolet. Contra, quae propter regum aut principum maiestatem, arcana status ac similes caussas, relegantur ad sanctiora loca, et praecipua cura adseruantur, non ita facile manibus quorumlibet conteruntur: quare subeunt fata cum locis communia, vbi recondita fuerant. Hostium inuasiones, temporis edacitas, et quae mala innumera premunt κειμήλια, siue quae pretiose fouentur, eadem nocere potuerunt legi nostrae, siue in aere scriptae, siue publicis tabulis commissae. Res igitur vulgata, et omnibus nota, quippe sub principe viuentes, de imperio eius certi erant: legis verba concepta, et quae alia erant interiora, non patebant singulis. Scriptores igitur quoties meminisse intererat, velut in transitu commemorabant, aut per quandam expositionem longius petitam, rem omnibus haut ignotam tangebant. Legis nomine omisso Bodinus: [d]) *Romani quae promulgata erant negligenter omisere: atque id fere omnibus historicis contigisse videmus, vt quae vulgo cognita sunt reipublicae instituta praetermittant: quasi exteris aeque ac ciuibus nota, vel etiam immutabilia fore iudicarent.* Interim quis recte argueret affirmantes decipi, quod magnum hac de lege silen-

c) de L. R. p. m. 42. d) Meth. hist. cap. IV. p. m. 74.

silentium primis saeculis fuerit? Falsum autem hoc esse, monstratur e tabula aerea Romae, in templo Iouis Capitolini affixa, hodie in Lateranensi basilica, qua sub Vespasiano instaurabantur cuncta, Augusto quondam concessa a populo Romano. De aliis in rem praesentem facientibus Limnaeus *e*) videatur, qui tandem addit: fateor historicorum testimonia rei dubiae fidem conciliare, quando rem aliquam contigisse affirmant: *sed a silentio negatiue in profanis historiis procedere, argumentandi genus est valde arenosum.*

§. XXV.

LEGEM REGIAM AFFIRMANTIVM SENTENTIAE.

Postquam hactenus adparet, quae in contrarium partem dicantur, et cur nulla fuerit vnquam regia lex: neque minus deprehenditur fucus, quem opinioni suae circumfundant, in diuersa omnia abeuntes: paullulum ad huc subsistemus, contemplaturi, quid sentiant, qui illam fuisse latam affirmant. Rursum vero hi sunt discernendi, quia alii penetrant ad interiora, et verissima promunt, alii coniecturis inhaerent ac sententiis, quae fabulis perquam sunt affines. Sunt qui regiam legem ab origine vrbis manasse volunt. quando Romulo, eiusque successoribus, omnis pariter data potestas fuerit imperitandi, *vt libitum.* Nihil enim rediisse aliud sub imperatoribus, quam vim illam absolutam, et illimitatam, lege competentem. Sed quorsum hae pertinent antiquitates? Hominum genus quoddam est, qui se vestigare primordia rectissime opinantur, si quando difficiliora in speciem, et per tricas quorundam squalida ac situ latentia non eruant, sed magis magisque compingant in abstrusa, vbi religiose colantur. Non legis istius tantum, sed rerum longe plurimarum hanc sortem esse nouimus, de quibus

e) lib. 1. de iure publ. c. XII. n. 47.

quibus iam alibi differuimus. Qui tempora Imperatorum, et regiminis momenta, cum vetustis regiis comparant, in plerisque falluntur, propter indolem subiectorum, magistratuum auctoritatem, et fatorum seriem. Minus ideo quadrat ratio, a similitudine imperii ducta, quam nec admittere possumus, testimoniis permoti, omni exceptione maioribus, exercitatione prima adductis. Taciti verba non simpliciter trahenda sunt ad sensum regii status, ac formam qualis hodie passim intenditur, aut qualis aeuo scriptoris prudentissimi fuit, apud Romanos: sed ex aliorum quoque, in primis Dionysii Halicarnassei descriptione, illa explicanda veniunt ac temperanda.

§. XXVI.

VBI REFELLITVR FR. HOTOMANNI IACTANTIA.

Instar gloriosi militis est, qui publice iactat, Franciscus Hotomannus, se primum reperisse legem regiam, quae a multis diligentissimisque hominibus diu quaesita sit, opera tamen vana et inani, quod omnes ipsam statuerent iuniorem. Mediam sic viam insistit, et in libertate vsum quendam regiae legis ostendit, cum de lege Oppia abroganda M. Porcius Cato, Cos. et L. Valerius tribunus pleb. in certamen irent. Liuium [f]) huius opinionis auctorem laudat: *Haec quum ita natura distincta sint, ex vtro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? an vetus lex regia, simul cum ipsa vrbe nata? an, quod secundum est, a decemuiris ad condenda iura creatis in XII. tabulis scripta?* Erant nimirum in tabulis retentae quaedam ex regiis legibus, de parentum potestate in liberos, de mariti iure, ac dominio ciuili intra suos parietes, de honestate mulierum, temeto adulterioue vitando, de quibus heic praecipue loquitur Valerius, an ex-

T 2

f) XXXIV. hist. cap. VI.

expungere hinc aliquam vellent? Ac videtur haec sententia cum antecedenti conuenire, quod perinde ad vrbis palilia et natales consurgat eius inuentor. Verum de imperio regum lex in tabulas minime fuit recepta. quippe quae contra libertatis naturam, quam vnice tuebantur, quamque, in tabulis condendis prae oculis habebant, veluti normam, admissa fuisset. quod nemo de Romanis facile dixerit. Exciperet quis cum Corasio, Romulum, [g]) lege lata, populo concessisse ius creandi regis: eamque de rege egisse, de rege latam esse. Neque vero obest hoc ipsum nobis, et iam patet ex Corasii verbis, a rege latam, neque tam regiam, quam Remniam, de incerta dubiaque illius sententia, vocandam esse. Gronouius [h]) pater, Liuii sospitator: leges illas *a regibus, non de regibus rogatas esse*, vel coeco adparet. Immo fatentur omnes, leges regias ita dici, quod reges tulerint eas: num vero de potestate, et imperio suo promulgarint vnquam tale quid, nusquam legimus. Abeat sic Franciscus, et gloriosum putet, se cum lippis, acribus interim oculis, cernere acutum. Qui eum secuti sunt, magno consensu, auctoritati hoc tribuebant, quam habet in disciplina iuris. quando hac nihil communius, inprimis circa antiquiora, quam vel vnius effato reliqui sectantur, re non tam accurate perpensa. Sunt enim alumni fori, caussis dediti, quibus observationes eruditae videntur nugae atque scientiae triuialis verba; quae cum indignatione et clamore profantur: quos tamen nugari solertissime, libenter audimus.

§. XXVII.

ITEM CORASII ALIORVMQVE ERROR CIRCA ORIGINEM AC TEMPVS LEGIS REGIAE.

Non satis erat, circumspexisse omnia penes veteres, et

g) VI. misc. iuris c. VIII. h) de L. R. p. m. 23.

et anxie cogitasse, vnde tandem huius legis principia designarentur, inuentus quoque est, qui forte iniectam legit mentionem *legis antiquae*, illico respexit ad Romulea tempora, eique legis antiquitati recte conuenire existimauit. Sed nihil inconsideratius potuisset statuere, quod ibi de iure tabularum antiquo loquatur Vlpianus, [i]) non de regiis legibus, multo minus de iure vnius in republica, sed noxa dedenda. Ita vero noscimus, quam misere trahantur in diuersa homines, qui rei non plane intenti, verum in obuiis sal im, se non repperisse putant, quod pueri in faba. Negari vix potest, iureconsultos adpellare saepius regiam, legem antiquam, inter quos est Io. Corasius etiam: *Romuli antiqua regia idcirco dicta, quod ea pertineret ad populi ius creandi regis.* Hinc tamen nihil sequitur aliud, quam in comparatione praesentium dici illam antiquam, non praecise habito respectu ad regia tempora, a quibus merito vocaretur *antiquissima.* Idem prope euenit nonnullis, de origine feudorum quaerentibus, qui apud Feudistam [k]) legentes *antiquissimo tempore*, iura haec non a Longobardis in Italiam propagata, sed a Romanis inuenta esse contendebant. Infirmum certe argumentum, quod vnica voce nititur. Semper intelligenda haec συγκριτικῶς, non absolute, quod praeclare docet Bitschius ad locum illum, quia multa ex altera sententia incommoda prouenirent. Eodem sensu *leges antiquas* Iustinianus [l]) adpellat, quae non ita pridem curiae libertatem agentibus in rebus indulgebant. Item *antiqua lex*, quae filiisfamilias, in certis tantum casibus, testamenta facere permittit, eadem est, de qua Imperator ibidem agit, *quam nuper promulgauimus.* Ex quibus manifeste cognoscimus, quousque extendatur vis *antiquae legis*, et quae hoc nomine venire queat. Ad

 haec

i) l. 2. ff. de nox. act. *k*) 1 Feud. §. 1. Et quia. *l*) l. vlt. C. de decur. l. 11 C. qui testam. fac.

haec ne frustra dicatur, in tabulis haut extitisse, quod potestati regiae gratum fuerit, et amicum: huc praeter laudatos alius quidem accessit, et quod legeret apud Ciceronem: [m]) *regio imperio duo sunto: hique praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules adpellantor. militiae summum ius habento, nemini parento, ollis salus populi suprema lex esto.* inde regiam legem exsculpsit, quasi consulibus fuerit eadem concessa potestas, quam olim reges habuerint, ac deincepes Imperatores. Iuuat eam oratoris responsio, quam Attico dedit ibidem, de imperio vnius in ciuitate: *regale ciuitatis genus probatum nostris quondam: postea non tam regni, quam regis vitiis, repudiatum est. cuius nomen repudiatum videbitur, res manebit, si vnus omnibus reliquis magistratibus imperabit.* non sine profundiore cogitatione haec proferuntur a Tullio, qui mala saeculi, non aliter ac vulnus recrudescens tangit, sub triumuiratu; nec vanus augur de imperio vnius fuit. At quod regiae legis natiua sedes in istis demonstretur, probatu difficillimum est. Semper potestas in republica suprema sit oportet, an autem lege semper in vnum transferatur, opus vix est. Romae post eiectos reges nec vnquam sola fuit penes consules, multo minus in tabulis potuit iure confirmari, quas plebs attentissima cura examinauit, ne quid continerent libertati publicae inimicum. Quae autem in his de praetorum, consulum, aut iudicum potestate habentur, non omnia decemuiri sanxerunt, sed pleraque M. Tullius, pro impetu liberiore, quo de legibus ac patriae statu cum Attico colloquebatur. Scilicet ipsi fuit perquam solenne, reges, ad familiares, aut potestatem regiam false perstringere, quod aperte interdum quoque fecit. Diu est, quando hoc ipsum monstrare voluerunt, qui antiquiora a nuperis discernere norunt, homines

m) III de LL. p. m. 544.

nes magni, in commoda ciuitatis litteratae pridem nati, *τὰ ὑγιῆ καὶ τὰ μὴ τοιάυτα κρίνειν, τάτε γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων διορίζειν* Inter hos eminet iureconſultus, dignitate et iudicio praeſtans, Ant. Auguſtinus: ⁿ) *voce capital, quam Nonius Marcellus explicat capitis periculum, aut crimen capite vindicandum, vſum eſſe Ciceronem arbitror, in fictis illis legibus. quae falſo XII. tabularum eſſe creduntur, libro tertio de legibus.* Quibus in manibus erant tabulae. illi nouerant vtique, haec ſcripta eſſe a Cicerone, ad imitationem alterius reipublicae. propria enim iura decemuirorum a puero diſcebant, inſtar carminis, ac domi recitabant. Superfuiſſe autem tempore Auguſti, Diodorus Siculus affirmat. qui tunc vixit: ᵒ) *ἡ δὲ γραφεῖσα νομοθεσία βραχέως, καὶ ἀπερίττως συγκειμένη διέμεινε θαυμαζομένη μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν. haec legum deſcriptio, breuis et concinna, mirando fatorum ordine, ad noſtra tempora perdurat.* Antiquas iſtas legum tabulas, per Gothicam barbariem, et incendium repetitum, in Capitolio demum conflagraſſe exiſtimat Rittershuſius. ᵖ) Ciceronianas ab his alienas prorſus cum Auguſtino deſcribit Gronouius, de lege Regia: *Lex haec M. Tullii Ciceronis eſt Platonico legislationis more imaginem, in ficta ad inſtar Romanae, et condenda republica, adumbrantis; non decemuirorum, ſine perſona agentium, quos ille ſimulabat; neque in campo Martio. ſub Quirinali, ad Tiberim, tribus ordinibus claſſicorum ciuium, ſed in luco Arpinati, ſub quercu Mariana, ad Febrenum amnem, Q. Tullio et Pomp. Attico, VTI ROGAS dicentibus, perlata eſt.*

§. XXVIII.

ITEMQVE VVLTEII COMMENTVM.

Ad vetuſtiora reſpicit, et ſacratiora tempora regum,

 in

ⁿ) III Emendat. cap. vlt. ᵒ) XII. bibl. p. m. 87. ᵖ) cap. V. comm. ad tabb. p. m. 13.

in populo Iſraelis, Herm. Vulteius, q) legemque noſtram repetit ex regio iure, cuius meminit Samuel propheta. quod a politicis viris, atque iure conſultis, varie explicatur. Verba eius haec ſunt: *quid ſi quae de lege regia dicuntur, referamus ad ius regium, ex Samuele ſupra dicto loco repetitum?* Si rem ipſam, ex Romanorum inſtituto, cum Ebraeorum iure componere velit, non tam acerbe quorundam ſermone vapulabit: ſi veram hinc ducit originem, illius nec nos miſerti, liquidiora ſequemur. Felices vtique Romanos arbitremur, qui principatum inchoaturi, diuina exempla colebant, diuina Iſraelitarum iura ſuſcipiebant. Vnde vero id conſtabit, quem nobis teſtem produxerit? Negat, regiam legem apud Romanos vnquam fuiſſe, et per quaeſtionem indefinitam affirmat: quo ipſo ſe ridendum praebet aliis. Etenim nec Vlpianus, nec Iuſtinianus, eo ſpectabant, cum legis regiae memoriam nobis conſeruarent, quippe certi de iure imperii, quod Imperatores exemplo reliquarum gentium, et pro captu Romani populi, huc vsque exercuerant. Vt autem opinionis ſuae rationem reddat, ad incerta interualla conuertitur, quibus interpretes diſſentiant inuicem, nec indicare legis huius natales poſſint. Parum et hoc facit ad negotium praeſens, quia ſi non conſtaret indubitate, quinam forent ortus rerum, ad coeleſtia ſtatim oracula cum illo recurrendum non erat. In poteſtate, ac vi plena imperii, prope conueniunt, Ius regium populi DEI, regiaque lex Romanorum. Ibi reges ius adepti vitae necisque, ſeſe pro maieſtate in ſuos gerebant, ita tamen, vt quae ibi peſſima fieri dicantur, non ſint de officio, et iure regum: heic ſimiliter imperatori omnis relicta poteſtas, adeo quidem, vt hoc nomine rogaretur Auguſtus, vellet eam ſuſcipere, ac retinere ſemper. Quemadmodum autem ibi per improborum ſententias, multa in

q) ad §. 8. Inſt. de iure N. G. et C.

in reges conferebantur, aut hinc etiam subditis lata aperiebatur via, regibus obluctandi: ita sub Romanorum Imperatoribus non omnia, vigore legis regiae ex voto succedebant. Verum quidquid horum sit, nemo tam incommode senserit porro, vt legem hanc ad ius regium, a Samuele descriptum, referri debere autumaret.

§. XXIX.

HAVD REPETENDA LEX REGIA EX IMPERIO SYLLANO:

Sequuntur nunc ii, quorum auctoritas et doctrina nos prope ad adsensum cogeret, nisi compertiora aliunde offerrentur. Sullanam dominationem, quae tyrannide crudelior, heic nobis ostendunt, eamque cum regno occupato in multis comparant. [r]) Rapere omnes, domum alius trahere, alius cupere agros, neque modum, neque modestiam habere, foeda crudeliaque in ciues facinora miles facere consueuerat. Sub hoc primum insueuit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea priuatim ac publice auferre, delubra spoliare, sacra profana omnia polluere. Adeo miles victor in rep. victis nihil fecit reliqui. Iniquiora in patriam committere vix poterat, animo consilioque saeuus, Cornelius Sulla dictator, [s]) φονεὺς τῆς πατρίδος, ob tot millia impune caesa, siue lacessitus iniuriis, siue propria mentis atrocitate stimulatus. Ne tamen videretur quidquam contra ius ac potestatem fecisse, interrex proditus L. Valerius Flaccus, qui ediceret publice, vt rata essent, quaecunque L. Cornelius Sylla, belli ciuilis victor cruentus peregisset, isque praeterea, quem vellet ciuium, indicta caussa impune occideret. Cicero [t]) hinc proscriptionem Sullanam vocat *poenam in ciueis Romanos* no-

r) Salluft. in Cat. c. XI. s) Plut. in Sylla. p. m. 472. t) pro domo p. m. 410.

nominatim, sine iudicio constitutam. Florus [v]) hos *iure belli* proscripsisse ait, nisi potius *victoriae ius*, vel *licentiae ferocis* dicere malimus, cum per arma feruntur inuasores, quorsum collibitum est. Sallustius breuiter: *L. Sulla* [x]), *cui omnia, in victoria, lege belli licuerunt.* Idem: [y]) *armis recepta republica ex bonis initiis malos habuit euentus.* Cicero [z]) sic effert: *honestam caussam secuta est non honesta victoria.* In qua victoriae lege, tanquam iure vitae ac necis, liberrimaeque potentiae vi, quidam capita legis regiae se inuenisse glorianiur. Superius, ex habitu genioque saeculi, declarauimus indolem Romanorum, et quomodo ad principatum suscipiendum tolerandumque essent habiles, vt fere de Sulla praedicari posset, ipsum primum claustra monarchiae perrupisse. Ad quod ex antecedentibus tuto concludi queat, legem sub Sulla Dictatore obtinuisse, de imperio vnius quae deinceps regia dicta sit, incertum est ac vero dissimillimum.

§. XXX.

NEC A POTESTATE IVLIO CAESARI CONCESSA.

Intermedius veluti habetur Iulius Caesar, qui Sullae vestigiis incedens, turbatam patriam toties, ac sub vnius imperio gementem, ad se delatam ardenti ciuium studio, solus accepit, consul, dictator mox perpetuus. Num libera abdicatione tantum, an lege simul condita, haec ita euenerint, tam perspicue nemo significauit. Confirmauit quidem populus ei solenni more, vt qui magistratus inirent, iurarent se nullis eius decretis refragaturos. Appianus: [a]) *καὶ τὰς ἀρχὰς εὐθὺς καθισαμένας ὀμνύναι μηδενὶ τῶν ὑπὸ Καίσαρος ὁριζομένων ἀντιπράξειν.* quibus omnis tribuitur libertas Caesari, in decernendo nihil-

v) lib. III. cap. XXIII. x) orat. de rep. ordin. y) in Catil. c. XI. z) II de offic. c. 8. a) II belli Ciu. p. m. 807.

nihilque amplius ciuitati superest, vnde intercedat ei, licet inique decernat. Quae sane nota est certissima singularis imperii. Verum ex his potius occasio data secuturis in vrbe legibus, quam quod hinc secure affirmetur, cum Iulio coepisse plenam illam potestatem, legeque in illum translatam esse. Nunquam hoc exerte dicitur. Mynsingerus: b) *Postquam Iulius Caesar, extincto Pompeio, solus in vrbe regnauit, neque vlla superesset spes libertatis, populus iam seruitutis iugum ferre adsuetus, lege regia lata, omnem potestatem transfudit in principem, vt deinde respublica per vnum gubernaretur, ac quidquid posset statuere populus, ac facere per se, idem posset et princeps solus.* Extra dubium est, solum administrasse rempublicam Caesarem: quamuis non excluderet in difficilioribus patriae senatores, eorumque consensu subscripsisse factis decretis: de lege autem imperii ipsius lata nihil in antiquioribus comparet. Cicero: c) *adimus ad Caesarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus: quod est obsignatum ab amplissimis viris.* Item: *Caesar decreto suo, quod ego obsignaui cum multis amplissimis viris, Buthrotios liberauit.* Quae sicut de humanitate testantur erga senatum, ita quoque palam faciunt, regia potestate Romanis praefuisse Caesarem; nihil enim mandari, nihil decerni sine illo potuit. Reipsa proinde id habuit, quod successores lege sibi dari voluerunt.

§. XXXI.

AVGVSTVS INFIRMATA SENSIM SENATVS POPVLIQVE POTESTATE OMNES HONORES AD SE TRAXIT.

Augusto principe constituto, manifestiora processerunt

b) ad §. 6. Inst. de iure N. G. c) XVI. ad Att. sub fin. ad Planc. ep. XVI.

runt fingula. In libertate fenatus cum populo diuifam habebat poteftatem: ille fenatus confulis ac legibus in communi propofitis, hic praecipue tribunorum rogationibus atque decretis, quae ad falutem publicam videbantur pertinere, folebat edicere. Maxima hinc belli pacisque temporibus auctoritas, et in diuerfis magiftratibus, velut per partes diftributa maieftas, vt hodie loquimur, quam nemine fere fentiente, ad fe vnum traxit Auguftus. Tacitus: [d]) *infurgere paullatim, munia fenatus, magiftratuum, legum in fe trahere, nullo aduerfante* coepit. Idem: *fenatus populique nomina oblitterata.* et rurfum: *fenatus populique nunquam obfcura nomina; etfi aliqua obumbrarentur.* nempe ftudiis Augufti, quibus principatum ftabiliuit, ac τὸ κύριον folus ipfe fuftinuit, legeque fibi confirmatum voluit. Maecenas in confilio fecretiori perfuadet, ne plebi amplius aut populo magiftratuum creandorum libertatem concedat; ne poteftatem antiquitus conceffam magiftratibus indulgeat, quando illa abutantur facile, et ad priora refpiciant: fed honorem duntaxat, potentia omni fubtracta, largiatur. Dio: [e]) μὴ μέντοι καὶ τὰς δυνάμεις σφῶν τὰς ἀρχαίας τηρήσῃς, ἵνα μὴ τὰ αὐτὰ αὖθις γένηται, ἀλλὰ τὴν μὲν τιμὴν φύλαξον, τῆς δ' ἰσχύος παράλυσον τοσοῦτον, ὅσον μήτε τοῦ ἀξιώματος τι αὐτῶν ἀφαιρήσῃ, καὶ τοῖς νεωτερίσαι τι ἐθέλουσι μὴ ἐπιτρέψῃ. *magiftratuum poteftatem iis conceffam olim feruabis minime, ne res eodem recidat: fed honore eorum integro relicto tantum potentiae detrahes, vt neque dignitas imminuatur, neque fuperfit facultas moliendi res nouas.* Quid autem dici poterat clarius, et in praefenti verius, *obfcurata effe, oblitterata effe, nomina fenatus populique*, quam auctoritate fublata, ac potentia, nudum illis publici honoris corticem relinquere, eosque

con-

d) 1 Annal. cap. 2. 2 hiftor. LV. 11 hiftor XXXII. *e)* lib. LII. p. m. 546.

consules ac magistratus nominare, qui sine consensu principis efficere nihil, aut si minus placeret, exequi nunquam possent.

§. XXXII.

DERIVATA IN SE PROVOCATIONE AD POPVLVM A SE NON LICITA AMPLIVS.

Praeter infirmitatem senatoriae dignitatis consularisve maius patuit arcanum, ad monarchici status robur vnice comparatum. *prouocatio ad Augustum suprema,* a qua altius ire haut liceret. Nihil certe, ad declarandam potestatem summam, innenemus in republica vel efficacius, vel quod magis arguat infractas esse facultates senatus populique, quam ordinem prouocandi. Ex consilio Maecenatis haec iterum annotat Dio: f) *μήτε γὰρ αὐτόδικος, μήτε αὐτοτελὴς, ἔστω τὶς τὸ παράπαν ἔξω, ὥστε μὴ ἐκ ἐφέσιμον ἀπ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι.* Vlricus Huberus Xylandrum heic et Leunclauium, adde et Henricum Stephani, Xylandri censorem. g) graece doctissimos, *αὐτόδικον καὶ αὐτοτελῆ*, male explicasse demonstrat per eum, qui habeat *merum imperium*, quod de schola iureconsultorum dupondii nouerint, *criminalem iurisdictionem* id. ipsum significare, de qua non adeo hoc loco agatur, sed de pleniore quadam vi ac potestate. Est enim *αὐτοδικεῖν*, iura sibi ipsi statuere, leges et sibi et aliis ferre, quod merum imperium longe excedit. Harpocration: *αὐτοδικεῖν, ἀντὶ τȣ̃ ἑαυτοῖς τὰ δίκαια ὁρίζειν.* sibi suisque definire, quae iusta sunt siue vt Suidas explicat, *ὅταν αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ τις δικάζηται.* quando quis ipse de rebus controuersis iudicat, exclusis aliis. Ita enim Hesychius: *αὐτόδικοι, οἱ ἑαυτοῖς δικασαῖς χρώμενοι. καὶ ἐκ ἀλλαχόθεν παραγινομένοις.* Nomen coniunctum, *αὐτοτελὴς*, hoc magis magisque adprobat.

Sui-

f) ib. p. m. 557. g) I. Obseru. Iur. cap. XVII.

Suidas: αὐτοτελὴς δίκη, ἀφ' ἧς οὐκ ἔστιν ἐκκαλέσασθαι ἐφ' ἑτέραν. *iudicium* αὐτοτελὲς, *perfectum est, a quo ad aliud prouocare non licet.* addit: καὶ αὐτὸ τὸ κύριον ἁπλῶς, *idque est supremum,* quale hoc loco adscribitur Augusto. Hesychius rursum: αὐτοτελὴς δίκη, ἀφ' ἧς μὴ ἔστιν ἐφιέναι, vnde non datur adpellatio: hinc ἐφέσιμος δίκη, siue ἔκκλητος, caussa de qua fit prouocatio, caussa euocata, siue quando auocantur acta, et ad superiora mittuntur tribunalia, et cognoscenda et diiudicanda. Harpocration: ἔφεσις, ἡ ἐξ ἑτέρου δικαστηρίου εἰς ἕτερον μεταγωγή. qualis adpellandi modus, cum Augusto introductus, vt ab omnibus ad ipsum, contra ab ipso ad alium prouocare haut liceret. Prouocatio semper apud Romanos [h]) *patrona ciuitatis, libertatisque vindex,* credita fuit, ita vt quamuis praetores, consules, praecipua constituti forent auctoritate, ab iis tamen prouocatio daretur ad plebem, tanquam in statu populari. Nuper cum dictatura perpetua, semel iterumque triumuiratus inualuerat, vnde propugnaculum hoc sacrosanctum, potestas tribunitia, cum prouocatione omnino recesserant, quae ne pacata vrbe ad alium transiret quam Augustum, istis cauetur, maxime in caussis, quibus vitae necisque ius exercendum. ὅταν περὶ θανατώσεως, ἢ καὶ ἀτιμίας τινὸς ἀγωνίζωνται. σοὶ γὰρ δὴ τὰ ταῦτα μόνῳ προσκείσθω, καὶ μηδεὶς ἄλλος περὶ αὐτῶν δικαζέτω. quod suggerebat principi inter argumenta status Mecaenas.

§. XXXIII.

SVMSIT ERGO CONSVLATVM ET TRIBVNATVM CONTENTVS NOMINE PRINCIPIS.

Vt autem magis pateat consilium, atque ex euentu noscatur, quomodo a senatu et plebe omnis transierit potestas in principem, qua in re consistunt regiae legis interio-

h) Cic. II. de Orat. p. m. 159.

interiora, ad munia praesertim respiciendum est, quae sustinuit Augustus. Haec enim scriptor annalium primo loco posuit. Consulatum in curia, fastigium honoris postissimum, serie non interrupta repetiit, vt in publicis deliberationibus praeesset senatoribuss cuncta ipsis pro arbitrio moderate tamen ac ciuiliter ingereret: tribunitiam potestatem, aut consulari parem aut propter temporum, plebisve inconstantiam et impetum, saepe maiorem, recepit similiter, nihil porro concessurus, vnde sumerent animos ciues, et pristinam libertatem dolerent amissam: quin gauderent potius, diu fluctibus agitatam ciuitatem, sub mitissimo principe, et omnibus grato, ad portum velut adpulisse, vbi tuto requiescat, nullis obnoxia procellis ac tempestatibus iniquis. Florus: [i]) *gratulandum in tanta perturbatione est, quod ad Octauium Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua ac solertia, perculsum vndique et perturbatum ordinauit imperium. quod ita haud dubie nunquam coire et consentire potuisset, nisi vnius praesidis nutu, quasi anima et mente regeretur.* Antea sub pluribus distracta respublica, inque partes diuisa, iam vnius dispositione, et administratione liberrima floret. Sed ne vel dictatoris, vel domini adpellatione inciperet ciuibus esse minus gratus et acceptus, nomen principis amauit, quasi princeps foret, siue primus in senatu, interque ciues Romanos. Neque tamen externo schemate haec fiebant, aut quod contentus ille vocabulis dignitatum, nihil susceperit amplius, omnem imperii vim per coniuncta in se munera publica ostendebat. Consulatus honor omnium maximus in libertate. Suetonio [k]) *summus magistratus,* sub Imperatoribus maiestati regiae proximus. Gratianus: [l]) Aug. *Consulatus proponendus est omnibus fastigiis dignitatum.* Iulianus [m]) Imp. ἐπώνυμος

i) IV. rerum Rom. cap. III. k) in Caes. cap. XIX. l) l. 1 Cod. Theod. de Cons. et praef. m) Orat. III. p. m. 200.

νυμος ἔτους ἀρχὴ πάλαι μὲν ἰσχυρὰ καὶ βασιλεία ἀτεχνῶς νομιζομένη, olim regia dignitas et potens, si concederetur ea recte vtenti. quam ita adsumsit Octauius, vt plures tamen sibi collegas exoptaret, non alio fine, nisi vt potentiam in plures diffusam, redderet inanem ac sibi reseruaret eius vim potiorem. De hoc instituto rursum Iulianus: n) *τοῖς μὲν ἰδιώταις ἆθλον καὶ γέρας ἀρετῆς ἢ πίστεως, ἢ τινος εὐνοίας καὶ ὑπηρεσίας περὶ τοὺς τῶν ὅλων ἄρχοντας, ἢ πράξεως λαμπρᾶς, τοῖς βασιλεῦσι δὲ πρὸς οἷς ἔχουσιν ἀγαθοῖς ἄγαλμα καὶ κόσμος. consulatus priuatis velut praemium quoddam est, ac merces virtutis, aut beneuolentiae erga principes: principibus vero ipsis ad ea bona, quae iam possident, velut decoris et ornatus accessio est.* Nihil enim ad illorum auctoritatem isthoc honore potest adiici, sed ex libertate remansit in principatu, quo facilius ad regiam potentiam emergeret Augustus, cum posteris suis, qui siue consules adpellarentur, siue Imperatores, habebant satis, modo ne irritaretur ingrato regiminis titulo plebs, aut senatus quereretur de ambitione. Recusabat tandem consulare imperium, sed vt certiorem eius dignitatem sibi compararet in perpetuum. Dio: o) *καὶ διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅπου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε, τὴν τε ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐς ἀεὶ καθάπαξ ἔχειν. ὥστε μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ ἔισω τοῦ πωμηρίου κατατίθεσθαι αὐτὴν, μήτε αὖθις ἀνανεοῦσθαι. καὶ ἐν τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψεν. ea propter senatus detulit Augusto suffragio communi, vt tribunus plebis esset perpetuus, et quoties vellet, de quibuscunque referret in senatu, quamuis non esset consul; proconsulare autem imperium semper haberet, neque id deponeret vrbem intrans, aut renouaret. Sic vero maior*

ipsi

n) Orat. III. p. m. 201. o) sub fin. LIII. p. m. 594.

ipsi potestas semper quam praefectis in prouinciis concessa. Quae omnia testantur de potestate maiore. quam consules habuerant vnquam, et in vrbe Italiave, et in prouinciis. Adiuuerat consilia principis, atque confirmauit diuturna in imperio aetas, qua non tantum singula reddidit exactiora, sed prudentia quoque senili, et perfecto studio absoluit. Magistratus praeterea non constituit, nisi qui essent a partibus suis, inque his Agrippam imprimis promouit, collegamque esse voluit. Hic enim, secundum Nicolaum Damascenum, de institutione Augusti. [p]) *ἦν εἰς τὰ μάλιϛα Καίσαρι τῷ νέῳ συνήθης καὶ φίλος. ἐν ταυτῷ τε παιδευθεὶς καὶ τινα ἔχων ὑπερβολὴν ἑταιρίας, maxime familiaris et amicus Caesari Octauio, quod cum eo simul educatus haberet sodalem sibi iunctissimum.* Verum quod de Bibulo, Iulii Caesaris collega in consulatu, per iocum dicebatur olim, quod non Caesare et Bibulo, sed Iulio et Caesare consulibus haec facta sint: id hoc loco pariter notabimus. cuncta nimirum Octauio et Augusto consulibus, siue auspiciis solius Caesaris euenisse, quippe tanta eius vbique praecellentia, vt nemo contra illius acta vel hiscere auderet.

§. XXXIV.

POTESTAS AVGVSTI TRIBVNITIA AMPLIOR QVAM ANTEA AC SVMMA.

Tribunitia potestas, cum consulatu facit paria, quam ita quoque accepit, vt pleniore ambitu ac iure sustineret, quam reliqui ex plebe tribuni. Intermissa diu, Sullana tyrannide, sub Iulio quadantenus restituta, iam vero cum gratiosa populo deligerentur omnia, inter elogia pariter et potentiae vocabula eminere coepit. Tacitus adpellat [q]) *summi fastigii vocabulum, quod Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen* ad-

p) Excerpt. Peiresc. p. 478. q) III. annal. p. m. 125.

adpellatione aliqua cetera imperia praeemineret. Quod Iulius, in plebe sibi conciliandа praecipuus artifex, intenderat animo, filioque monstrauerat hauddubie, id nouo et huc vsque incognito exemplo praestitit Octauius. Nouum erat atque insolitum, quod a senatu decreta sit ipsi tribunitia potestas, quae alias plebe suffragante in comitiis deferri consueuit. Appianus, de ista dignitate, priusquam Augustus vicerat Antonium, deque plebis fauore: [r]) καὶ ὁ δῆμος ἐπενόει ἐν ταῖς χειροτονίαις δήμαρχον ἀποφῆναι τὸν Καίσαρα. *plebs ipsum declarare volebat suis suffragiis tribunum plebis.* Nouum et insolitum erat, quod vi tribunitiae potestatis, tam in vrbe, quam extra pomoeria, sese implorantibus contra alios quoscunque magistratus auxilio esse posset. [s]) καὶ ἔξω τοῦ πωμηρίου μέχρι ὀγδόου ἡμιςαδίου, auctore Dione. Tribuni plebis alias extra vrbem nec intercedere aliis, nec opem ferre poterant, quod moenibus terminare ur omnis illorum iurisdictio. Dionysius Halicarnasseus: [t]) οὐδενὸς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν. περιγέγραπται αὐτῶν το κράτος τοῖς τείχεσι. Primus igitur fuit Augustus, qui hanc potestatem, connitente ac fauente plebe, senatu autem vrgente, ad fastigium supremum eueheret, nec tantum sumeret per eam, quae olim habuerant tribuni, sed maiore illam exornaret splendore, ac vi publica. Ratio haec est, quare adpelletur a Vopisco [v]) *pars maxima regalis imperii*, argumento non obscuro, quanta sub Imperatoribus fuerit. Sacrosanctus erat atque inuiolabilis Augustus, hac potestate munitus, vt qui contra illum auderet quidquam, laesae maiestatis crimen incurreret: ius hinc tantum ipsi concessum, vt si vel verbo laesus ab vllo esset, indicta eum caussa, tanqnam qui se piaculo obstrinxisset, necare

r) III belli ciu. p. m. 886. s) lib. LI. hist. p. m. 523. t) lib. VIII. antiq. n. 409. v) in Tac. cap. 1.

necare poſſet. Xiphilinus: [x]) ἥ τε ἐξεσία δημαρχικὴ καλουμένη δίδωσιν αὐτοῖς πρὸς τοῖς ἄλλοις τὸ μὴ ὑβρίζεσθαι, κὰν ἄρα τὶ καὶ τὸ βραχύτατον μὴ ὅτι ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀδικεῖσθαι δόξωσι, καὶ ἄκριτον τὸν ποιήσαντα αὐτὸ, ὡς καὶ ἐναγῆ ἀπολλύναι. Legem rogare poterat, cui populus vniuerſus obligabatur, item ſenatum conuocare, ac diſſoluere, quoties placeret, tandemque intercedere reliquorum magiſtratuum decretis, eaque reddere irrita, maxime ſi minus ea grata forent. Cumque daretur ceteroquin ad tempus certum, quo ſe rurſum abdicare debebant tribuni, ipſe [y]) *recepit perpetuam, in qua ſemel iterumque per ſingula luſtra collegam ſibi cooptauit,* ad vitandam nimirum poteſtatis inuidiam, et licet ſemper minuere videretur illam, attamen ſinguli maiorem, in dies probe efficiebant, in curia et plebe, cumulando et transferendo in eum, quae penes ſe erant cuncta. quem ſervarunt morem deinceps quoque Imperatores, tribunitiam poteſtatem ſibi praeter alias dignitates efficaciores cum cura adſerentes, tanquam praecipuum vinculum retinendi iungendique animos ſenatus populique. Dio: [z]) ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ ἐκεῖνος, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτον αὐτοκράτορες ἐν νόμῳ δὴ τινὶ τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῇ ἐξεσίᾳ τῇ δημαρχικῇ ἐχρήσαντο. *ex hoc tempore ille, ac ſucceſſores in Imperio, lege quadam, et aliis dignitatibus vſi, et tribunitia poteſtate.* Eoque proceſſerant ciues, vt ſi quae mala contingerent, ac vel diuinitus impenderent, ſtatim exiſtimarent ſe minime futuros eſſe ſaluos, niſi conſul eſſet, aut dictator Auguſtus, ſiue quae alia regiminis nomina ſupereſſent, illi tribuenda. Ex quibus manifeſtum eſt, vltro detuliſſe Romanos, et pleno conſenſu, quae vel magiſtratuum iure, vel propria auctoritate ſtatuere, ab ſubiectis edicere vellet princeps.

x) p. m. 68. y) Sueton. in Aug. c. XXVII. z) lib. LIV. hiſtor. p. m. 594.

CAPVT III.

DE LEGE QVA AVGVSTVS PRINCIPATVM OBTINVIT.

§. XXXV.

QVO REGIMINIS MODO AVGVSTVS SIT VSVS?

In manu Caesaris Augusti iam erant omnia, ex caussa, vt videbatur, honestissima spontaneae concessionis, et titulo gratioso consulatus tribunitiaeque potestatis. quem inter status arcana semper amauit ac retinuit, quod non tam facile cessaret, instar dictaturae, aut regni omnibus inuisi. Sicut autem in republica et libertate fuerat huc vsque, et si forte potentiorum artibus detruncaretur, plebis furore et clamore perpetuo restitui consueuerat: ita sub hoc inuolucro principatum ingressus est Augustus, eumque successorum felicitate perennem effecit. Modus administrandi rempublicam hoc perspicue designat, quando ipse solus ageret, quae vellet, in primis, quae firmiorem magisque continuam redderent eius potestatem: contra vero quae magna erant in speciem, nulloque cum periculo coniuncta, ea cum senatu communicabat, vt libertati fauere nosceretur. Suetonius: [a]) *sibi instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis tractaret.* Idem Dio scribit: [b]) *ἐσέφερε μὲν γὰρ τινα καὶ ἐς πᾶσαν τὴν γερουσίαν· βέλτιον μέντοι νομίζων εἶναι μετ' ὀλίγων καθ' ἡσυχίαν τὰ το πλεῖαν καὶ τὰ μείζω προσκοπεῖσθαι*, *de plerisque et maximis solus egit cum Maecenate et Agrippa* con-

a) in Aug. c. XXXV. b) lib. LIII. p. m. 585.

consiliariis intimis. Quanta sit in omni ciuitate aerarii cura, neruus in gerendis rebus validissimus, quanta sit militis necessitas, ad vtrumque tempus belli et pacis rite exigendum, norunt qui regnorum fata serio dignoscunt, et momenta considerant potissima, quibus circumagitur felicitas publica. Vtrobique senatus ac plebis intererat, ne quis maiora auderet, et rei Romanae fieret iniquior. quod in his versaretur cardo imperii, et qui praeesse cuperet omnibus, his praesidiis adiutus facile posset. Iulius Caesar id sedulo inculcabat, duo praesertim esse, quibus potentia et quaereretur, et conseruaretur, pecuniam et militem. Dio: [c]) *δύο τε εἶναι λέγων τὰ τῆς δυναστείας παρασκευάζοντα καὶ φυλάσσοντα καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα.* Consilio hoc vsus quoque, et euentu gauisus est Caesar Augustus, qui permisit quidem senatui curam aerarii, non aliter ac in reliquis negotiis, sed quod sine militis et diuitiarum ope parum esset fortunatus, aut potens, a senatu populoque impetrauit, vt iis ad arbitrium vteretur, quin nouum instituit *aerarium militare*, cum vectigalibus nouis, vt perpetui, ac sine difficultate, sumtus praesto essent, qua de re Suetonius [d]) in Augusto. Dio: [e]) *τῷ γὰρ ἔργῳ καὶ πάντων καὶ διὰ παντὸς αὐτὸς ὁ καίσαρ ἅτε καὶ τῶν χρημάτων κυριεύων, καὶ τῶν στρατιωτῶν κρατῶν, αὐταρχήσειν ἔμελλε. reipsa Caesar in omnibus plenum habiturus erat imperium, quod et pecuniam et milites haberet in potestate.* Ex quo praecipue verbum notabile *αὐταρχήσειν*, quod plenam et absolutam potentiam significat, et indolem *αὐτοκράτορος* induit, inque loco praesenti non obscure declarat, Imp. Augusto maiorem dictatore concessam esse potestatem. Is enim nihil ex aerario, sine decreto senatus, auferre poterat, quod heic liberum fuisse dici-

c) lib. XLII. hist. p. m. 234. d) cap. XLIX. e) lib. LIII. p. m. 580.

dicitur Caesari. Zonaras: f) ἡ δικτατωρία κατά γε τὴν ἐξουσίαν τῇ βασιλείᾳ ἰσόῤῥοπος, πλὴν ὅτι μη ἐφ' ἵππον ἀναβῆναι ὁ δικτάτωρ ἠδύνατο, εἰ μὴ ἐκστρατεύεσθαι ἔμελλεν, ὅτε ἐκ τῶν δημοσίων χρημάτων ἀναλῶσαί τι ἐξῆν αὐτῷ, εἰ μὴ ἐψηφίσθη. *dictatura; quod ad potentiam, regiae par est, nisi quod equum dictator non prius conscenderet, quam in bello, neque ex aerario sine consensu quidquam sumere posset.* At vero quam ampla in ceteris, quam illimitata potestas dictaturae? qua superior Octauius vere potuit αὐταρχεῖν, quod et statim a Dione g) subiungitur, explicaturve: οὕτω μὲν δὴ τό, τε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη, *omne populi senatusque imperium ad Augustum transiit.* Vlpianus: h) *lege regia, quae de imperio eius lata est, populus ei, et in eum omne suum imperium et potestatem contulit.* Xiphilinus: i) καὶ πᾶσαν μὲν τὴν τῆς βασιλείας ἰσχὺν περιβέβληνται, πλὴν τοῦ κατὰ τοὔνομα φορτικοῦ. Regiam potestatem habuit Augustus, cum successoribus, acerbitate tamen omni demta vocabulorum. id quod pariter in catalogo illorum, principis, imperatoris, consulis, tribunitiaeque potestatis hactenus demonstrauimus. Vt sic minime dubitandum sit amplius, de capitibus supremae potestatis, in lege regia descriptis.

§. XXXVI.

LEGE PRINCIPATVM OBTINVISSE AVGVSTVM ARGVMENTVM I.

An vero lege publica, de sententia Vlpiani, haec quoque singula Augusto sint confirmata, quae re ipsa prae se ferebat, de eo solliciti porro erimus. Et hoc quidem *κρινόμενον* illud est, *ἐξετάσεως ἄξιον*, quo de anxia mentis intentione doctissimi quique in arenam descende-

f) tom. II. annal. p. m. 21. g) p. m. 581. h) l. 1. ff. de const. princ. i) in Aug. p. m. 69.

ſcenderunt, acri inter ſe pugna concertantes. Primum argumentum, quo nituntur affirmantes, ex Paullo ICto petitur qui de iure manumiſſionis ad Flautium diſerte meminit [k]) *legis Auguſti*, quae pro ratione ſolam agnoſcit voluntatem Imperatoris. *quod enim principi placuit, legis habet vigorem,* quibus anima legis regiae continetur. Agitur ibi de vindicta praetoria, ſeu virga manumittendi impoſita capiti, tanquam ſymbolo, et ſolenni indicio libertatis conceſſae, *num apud parem*, ſiue qui pari gaudet iurisdictione, *imponi poſſit ſeruo,* ac negatur. De principe autem dicitur, quod etſi nec imponat vindictam, liber tamen fiat, qui manumittitur, cum ſola ipſius voluntas ſufficiat, ex lege Auguſti. Haec ſatis luculenta ſunt, ad quae multa tricantur, qui ſententiam tuentur huic oppoſitam, nempe nulla lege datam eſſe poteſtatem Caeſari ſummam: Auguſtum heic non Octauium intelligi, ſed Imperatorem, ſub quo vixit Paullus. In ſimili notant errorem Balduini et Cuiacii, qui ad legem Ἀξίωσις, in qua mentio pariter Auguſti fiat, de Octauio Caeſare ſermonem eſſe velint, cum potius elogium hoc ad Antonium referri debeat. Eodem ſenſu falli, qui legem 1 Codicis, *de naufragiis*, Auguſto inſcriptam, eidem ſimpliciter tribuant, quando ea ſit itidem Antonii Auguſti. Non ſine veriſimilitudine haec ita explicantur: ſed non adeo pertinent ad litem praeſentem decidendam. Certum eſt, inter titulos communes fuiſſe Auguſti nomen et honorem, Xiphilino monſtrante: [l]) *καὶ ταύτην τὴν πρόσρησιν καὶ οἱ μετ᾽ ἐκεῖνον πάντες, ὥσπερ καὶ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος, πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελοῦς σφῶν ἐξουσίας, ἀντὶ τοῦ βασιλέως τοῦ τε δικτάτωρος ἐπικλήσεως ἔχουσι, huius nominis adpellationem ille, ſicut et imperatoris, cum ſucceſſoribus refert ad ſummum imperium, loco regis aut dictatoris.* an autem abſolute, κατ᾽ ἐξοχὴν, ac

 recepto

k) l. 14. ff. de manumiſſion. l) in Aug. p. m. 68.

recepto salutandi more, omnes in Imperio successores, Augusti tantum adpellati sint, valde ambiguum adparet, vt quoties occurrat *lex Augusti, imperium Augusti, priuilegium Augusti*, is semper subintelligatur princeps, cuius aetate haec et similia alleguntur. Deinde si quis in gratiam aduersarii largiretur id ipsum, fateri tamen cogeretur, legem vel Augusteam, vel regiam fuisse latam, eamque sine dubio exemplo Augusti, a quo ita cognominaretur, velut a primo Imperatore, quippe abunde nouimus, Romanos auspicatiora indicasse cuncta, quae instituto exemplove Augusti fierent, atque tunc sese felicissimos praedicasse, vbi huius vestigia premerent, ac simillima ex voto patrarent.

§. XXXVII

EIVSDEM REI ARGVMENTVM II. FISCVS PRINCIPIS

Alterum mox argumentum de sententia plurium, Iustinianus, *m*) praebet, qui de Fisco Imperatorio rescribens ad senatum vrbis Constantinopolitanae, *priuilegium Augustum*, ad principis vtilitatem inuentum diserte adpellat. Ludov. Charondas, in editione sua, ad marginem notat, *priuilegium augustum*: quod ieiunum nimis, ac sententiae Imperatoris aduersum, ideoque nec si in codice scripto occurrisset, merebatur locum in lege tam luculenta: aut si debetur ingenio Charondae interpretis, retenta lectione suspecta, nullus inde sensus erui potest. Fiscum primus instituit Augustus, et vocem huc vsque sordidam, nec satis honestam ad sublime fastigium promouit. Asconius, *n*) dum Verris explicat *fiscos complures*, quibus in senatu corrumpebantur aliqui, vt aedilitate Ciceronem deiicerent: *sportae, sportula, sportellae nummorum sunt receptacula: sacci, sacculi, saccelli, et crumenae, viterae, scorteae, et manticae, et marsupia:* ita

m) l. vn. C. de ead. toll. §. 14. *n*) in Verr. p. m. 50.

ita fisci. fiscinae. fiscellae, spartea sunt vtensilia, ad maioris summae pecunias capiendas. Antea nimirum in familia, si beatior esset, ac maior pecuniae vis recondenda, fiscus adhibebatur ex materia durabiliori confectus, quo ea tutius adseruaretur: quem retinent morem hodie in orientali Imperio Suldani, omnesque diuitias et promunt, et condunt in saccis, quos Pedianus noster cum fiscis comparat. Festus, v. *fiscus* describit *sufficium*, quod sit *folliculus* testium arietinorum cuius vsus celebris pro *marsupio*. Huberus III. *digressionum* cap XXI. pluribus differentiam inter aerarium et fiscum explicat. Augustus popularе verbum vsurpabat iterum, ne, si thesaurum priuatum dixisset aerarium, recrudesceret memoria Iulii, qui commune populi aerarium effregerat, vt ne sibi paratae deessent copiae bello ciuili componendo. Reddidit igitur populo turbis patriae exhaustum illud, ac proprium instituit, quod postea semper dicebatur fiscus, et aerario velut opponebatur, sicut publico privatum. Interim potestas vtrobique eadem, hisce pecuniis vtendi. Dio: °) *λόγῳ μὲν γὰρ τὰ χρήματα δημόσια ἀπὸ τῶν ἐκείνου ἀπεκέκριτο, ἔργῳ δὲ καὶ ταῦτα πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ ἀνηλίσκετο. verbo quidem publica pecunia a priuatis opibus eius discernitur, sed re ipsa vtebatur illa ad arbitratum suum.* Ex hoc tempore honestior significatio fisci, et peculiaria iura, quibus nimiopere creuerunt opes Imperatorum, vt sic in domus Augustae muneribus duplex deinceps obtineret ratio, num essent ex fisco principis, an ex publico aerario. Ille saepius adpellatur in legibus *sacrum aerarium*, item *privatum*, *res Augusti*, vel *Augustae* et quae hinc fiebant largitiones. *sacrae* pariter ac *priuatae* nominabantur, quibus certus praeerat magistratus, sicut in exercitatione *de comitibus Palatinis* docuimus. Asconius ibidem: *quia*

 maior

°) lib. LIII. p. m. 580.

maior summa est pecuniae publicae, quam priuatae, vt pro censu priuato loculos et arcam et sacellos dicimus, sic pro publico thesauro aerarii dicitur fiscus. Iura fisci augendi quod forent plane singularia, fere apud iureconsultos audiunt priuilegia. Vlpianus: [r]) *quodcunque priuilegium fisco competit, hoc idem et Caesaris ratio et Augustae habere solet.* vt adeo *priuilegium Augustum*, in rescripto Iustiniani, praecipue ad priuata thesauri principis incrementa pertineat, ita vocatum ab eius conditore Augusto, cuius voluntas in his etiam pro lege erat. Neque enim vel princeps diu mansisset, vel postea fiscus extitisset, nisi lex regia, siue Augusta, de absoluta ipsius potestate lata fuisset.

§. XXXVIII.

EIVSDEM REI ARGVMENTVM III.

Maiore subsistit vi ac robore quod ab Alexandro Imp. *Lex Imperii* dicitur, qua nullas principem decet adhibere solennitates, cum quando placuerit ei, defectum suppleat omnem in testamento, aut negotio quocunque ciuili minus perfecto. Iam supra monstrauimus ex Dione, quid sub nomine imperii concederetur Augusto, eiusque posteris. Xiphilinus [q]) idem tradit, ac de plena potestate explicat: καὶ ταύτην τὴν πρόσρησιν αὐτοκράτορος ἔχουσι πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελοῦς σφῶν ἐξουσίας, et mox subiungit: ταῦτα μὲν οὕτω τε καὶ διὰ τούτων τῶν ὀνομάτων εἰλήφασιν, ὅπως μηδὲν ἄνευ δόσεώς τινὸς ἔχειν δοκῶσιν. *haec omnia possident ex concessione libera, non vsurpatione propria* Quid autem manifestius, quam lege Augusto, quo de agit historicus, a senatu populoque summa concessa esse omnia? Idem praeclare innuit Dio: [r]) καὶ ἵνα γε μὴ ἐκ δυναστείας, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν νόμων τοῦτ᾽ ἔχειν

p) l. 6. ff. de iure fisc. q) in Aug. p. m. 68. r) lib. LIII. p. m. 581.

ἔχειν δοκῶσι, πάνθ᾽ ὅσα ἐν τῇ δημοκρατίᾳ μέγα παρ᾽ ἐκέισι σφίσι ἴσχυσεν αὐτοῖς ὀνόμασι προσεποιήσαντο. legibus habent Imperatores, quaecunque magna et valida in libertate fuerunt. Si igitur accepit haec lege, Auguſtus cum ſucceſſoribus, ac ſub *Imperatoris αὐτοκράτορος* titulo, non incongrue *lex* illa *Imperii* adpellatur. Antea imperii atque Imperatoris cognomen dabatur res praeclare bello gerentibus, maxime a militibus, per ſolennem acclamationem: poſtea vero nemo id amplius poterat ſuſtinere, quin caeſis hoſtium decem millibus, victor abiiſſet. Appianus: [s]) *ἔςι δὲ τιμὴ τοῖς ςρατηγοῖς τόδε τὸ προσαγόρευμα παρὰ τῶν ςρατῶν καθάπερ αὐτοῖς ἐπιμαρτυροῦντων ἀξίως σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι, καὶ τήνδε τὴν τιμὴν οἱ ςρατηγοὶ πάλαι, μὲν ἐπὶ πᾶσι τοῖς μεγίςοις ἔργοις προσίεντο, νῦν δ᾽ ὅρον εἶναι τῇ δε τῇ εὐφημίᾳ πυνθάνομαι τὸ μυρίας πεσεῖν. id honoris olim ducibus conferebatur a militibus, tanquam virtutis teſtimonium, quem illi poſt quoduis praeclarum belli facinus admiſerunt. hodie datur nemini, niſi caeſis decem hoſtium millibus.* Noua certe ſignificatio fuit, quando Iulio Caeſari ſub Imperatoris honore decreuerunt poteſtatem plenam, imperium abſolutum, *αὐτοτελῆ ἡγεμονίαν καὶ ἐξουσίαν, τὸ κράτος, το κύριον,* quae ſunt Dionis: [t]) qui ſemper vtitur aliquo verbo, ex quo palam fiat, non ipſum haec ſumſiſſe, ſed decreta fuiſſe publice: *δημοσίᾳ ἐψηφίσαντο.* item *ὥςε καὶ τὰς παῖδας τάς τε ἐγγόνας αὐτὰς ὅτω καλεῖσθαι ψηφίσασθαι.* Nec igitur quidquam agunt, qui priuato auſu Iulium tanta vſurpaſſe nomina contendunt, quando hinc omnino luculentum fit, in ſenatu et de iis deliberatum, et vnanimiter ſtatutum fuiſſe. Caeſar Octauius quoque, cum ſingula repeterentur, ad venerandum illum ac magnificandum, ex titulis patri quondam collatis, hunc praecipue retinere voluit, de conſilio Mae-

s) II. bell. ciu. p. m. 747. t) lib. XLIII. p. m. 266.

Maecenatis. *δώσουσι μὲν σοι τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν, ὥσπερ καὶ τῷ πατρί σου ἔδωκαν.* Istius enim vi ac iure militem scribere, delectus agere, pecuniam colligere, bella inferre, pacem concedere, peregrinis et vrbanis rebus, pro absoluta potestate ac perpetua, praeesse ac modum ponere, equites ac senatores intra pomoerium necare, alia omnia pleno imperio conficere potuit. Si natiua scriptoris verba legere mauis: *καταλόγους ποιῆσθαι, χρήματα ἀθροίζειν, πολέμους ἀναιρεῖσθαι, εἰρήνην σπένδεσθαι, τοῦτε ξενικοῦ καὶ τοῦ πολιτικοῦ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἄρχειν, ὥστε καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ τοὺς ἱππέας καὶ τοὺς βουλευτὰς θανατοῦν δύνασθαι, τάτε ἄλλα ὅσα τοῖς τε ὑπάτοις καὶ τοῖς ἄλλοις αὐταρχήσασι ποτὲ ποιεῖν ἐξῆν.* quae si in summam veluti cogis, vltro emergit, quod lege regia populus ei et in eum omne imperium suum et potestatem concesserit. De concessione vero ista imperii rursum Dio, non aliter ac si praevidisset quorundam dubia: v) *ταῦτα μὲν ἐκ τῆς δημοκρατίας, ὥς που καὶ ἕκαστα ἐνομίσθη, οὕτω τε καὶ διὰ τούτων τῶν ὀνομάτων εἰλήφασιν, ὅπως μηδὲν ἄνευ δόσεως τινὸς ἔχειν δοκῶσι. haec sicut alia, in libertate stabilita legibus, ita sumserunt imperatores, vt nihil non sibi a ciuibus datum accepisse viderentur.* qui igitur ex spontanea concessione habet omne imperium, is etiam lege aut senatus populique decreto, habebit. quia *ψηφίζεσθαι*, siue *ψῆφον ἀναδιδόναι, ἐπιφέρειν*, suffragii ius, prudentiam et auctoritatem publicam requirit: quae Romae ita comparata erant, vt senatores ferrent sententias, ac quid publice foret vtile censerent, populus deinceps iuberet: quod similiter obtinuisse sub Augusto, mos constans et lex suffragandi ostendit, inprimis in re tanti momenti, et vbi singulorum intererat.

§. XXXIX.

v) Dio LIII. p. m. 582. x) LII. hist. p. m. 542.

§. XXXIX.

HORVM ARGVMENTORVM VERITAS EX TENORE, LEGIS REGIAE COMPROBATVR.

Tandem si cuncta probationi nondum suffectura essent, id praesertim ex singulari conuenientia omnium capitum in lege regia, cum iis, quae Augusto data sunt, manifestum fieret. Potissimum est, *quod principi placuit, legis habet vigorem.* id Maecenas, in oratione *συμβȣλευτικῇ*, todidem prope verbis ingesserat: *ἵνα καὶ νόμος ἐυθὺς ᾖ πᾶν ὅ, τι ἂν βȣλευσαμένῳ μετὰ τῶν ὁμοτίμων ἀρέσῃ. vt statim legis vim habeat omne quod tibi consultanti per optimates placuerit.* Non adulabatur vir sapiens, et magnus in palatio senator, non ad perniciem afferebat isthaec: sed vt principis maiestatem in eo pariter versari doceret, si quid cognoscendo, iudicando, statuendo, aut quouis alio modo ediceret, id pro lege acciperetur. Vbi tamen notant iureconsulti, ad verba, *quod principi placuit*, non statim legis nomine venire, si princeps de negotio vtcunque sententiam interponat, interloquatur, aut iubeat in transitu, sed obseruandum esse propositum animi, num ita sentiat ac decernat, vt legis vigorem babeat. quae interpretatio ex verbis nostri Dionis meretur adsensum, quia dicit *ὅ. τι ἂν βȣλευσαμένῳ σοι ἀρέσῃ. si placitum fuerit*, post seriam deliberationem institutam: quorsum et illud Leonis pertinere aiunt: y) *τὸ κριθὲν ποιεῖ νομοθέτημα.* Neque obstant haec iis, quae antea probauimus, voluntatem solam principis, in negotiis ciuium minus perfectis defectum supplere: quia subintelligitur efficax illa, et determinata ad hoc, vt, quod deest ciuili solennitati, expleatur plenissime: sequitur in lege regia, *omne imperium suum et potestatem, ei, et in eum contulit.* Dio: z) *ȣ̈τω μὲν δὴ τό, τε τȣ̃ δήμȣ καὶ τὸ τῆς γερȣσίας κράτος πᾶν εἰς τὸν Αὔγȣςον μετέςη:* hoc

y) Nou. LXII. z) lib. LIII. p. m. 581.

hoc est, quod Tacitus, primo annalium scribit, *Augustus cuncta nomine principis sub imperium accepit*, itemque primo hiostoriarum, post Actiacam victoriam, *omnem potestatem ad vnum conferri pacis interfuit.* quasi arbitraretur, bellum internum neque componi, pax neque poterat redire, et florere patria viris iuxta et viribus, nisi ad principem Augustum omnia transferrentur, quibus administratio publica circumscripta erat.

§. XL.

DE AMBITV POTESTATIS AC IMPERII AVGVSTO CONCESSI LEGE REGIA.

Imperii potestatisque vocabula apud Romanos, cum effectu singulari debent intelligi. Graeci *ἀρχὴν, ἡγεμονίαν*, imperium, *ἐξουσίαν* vocant potestatem, et in Caesarum potentia describenda frequenter vsurpant. Ambitu imperii comprehenduntur, quaecunque in exercitu et legionibus, inque ciuitate eminebant: huius vi indicatur magistratus, ac populi maxime auctoritas, in statu libero, vnde potestas tribunicia. Imperium adeo diuiditur in militare atque ciuile, hoc rursum in vrbanum ac prouinciale: potestas autem significatu tam amplo constat, vt omnes quidem magistratus dicantur esse cum potestate, cum imperio non nisi illi, quibus peculiariter mandatum est imperium. Festus: *cum potestate esse dicebatur ille, qui alicui negotio praefectus esset: cum imperio, cui nominatim esset delatum imperium.* Imperium militare vtique fuit insigne, quod ex lege discimus, quae de illo superest apud Ciceronem: *) *militiae ab eo, qui imperabit, prouocatio ne esto. quodque is, qui bellum gerit, imperassit, ius ratumque esto.* In ciuitate sustinebant imperium, consul ac praetor, tanquam vicarius consulis perpetuus. et quod inprimis notabile, prorogabatur saepe imperium, si ne-

a) III. de LL. p. m. 343.

si necessitas reipublicae postularet, ex quo factum, vt qui abiissent magistratu, *pro consulibus*, *pro praetoribus*, ad certa interualla, rem gererent, idque vocatur *imperium extraordinarium*, quia si ordinem spectemus, non concedebatur nisi magistratui. Interim summo fuit decori, quando tale cui tribueretur, nec parum inde senserunt commodi, ad maiora ituri. Velleius: [b]) *Pompeium quis non miretur per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum.* Quemadmodum autem comitiis diuersis, nempe centuriatis dabantur honores magistratibus, ita imperium plerumque curiatis deferebatur, interdum tributis, aut etiam senatus consulto. Scilicet imperium vel a populo datum, vel a senatu: qui a populo acceperant, sumtu publico habebant, qui a senatu, proprio sumtu viuebant, ac fine auspiciis. Illi lege curiata, hi lege Cornelia, ibant in prouinciam. Atqui cuncta, si inspiciamus, quibus et imperium, et potestas censetur, siue in exercitu, inque prouinciis, siue in ciuitate, ea translata sunt, per *supremi fastigii* decus: quamuis id *vocabulum summi fastigii* Tacitus [c]) adpellet, et per hoc intelligat potestatem tribunitiam. Dicitur quidem a scriptore grauissimo ibidem, quod Augustus repererit hoc vocabulum, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret: cum tamen de Iulio Caesare Dio [d]) similiter testetur, quod Romani contulerint in illum, *τὴν ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου*, *potestatem tribunitiam per vitam.* Neque pugnant inuicem historici, sed aliter atque aliter debent in sensu accipi. Iulius tentauit, quantum ex parte plebis hac ipsa sibi permissum esset: Augustus eandem traduxit ad formam statam, vti loquuntur. Vlricus Obrechtus, peculiari dissertatione exposuit tribunitiam Caesarum potestatem, ac differentiam monstrauit, inter vul-

b) II. histor. 30. c) II. annal. c. 56. d) lib. XLII. histor. p. 194.

vulgarem ſub libertate. et alteram ſub principatu. Haec regiae poteſtati non abſimilis, ſiue quae data fuit Imperatoribus, *quanta fuit maxima*, ſecundum Dionem [e]) *προστιθέντας τὴν δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν, ὅσηπερ τὰ μάλιστα ἐγένετο.* Ita enim poteſtas haec eminebat inter alia conceſſa Imperatoribus, vt annos quoque Imperii deinceps ex illa dinumerarent. Noris ex incurrupta antiquitate coniungendus, *in Cenotaphiis Piſanis.* [f]) Haec ratio eſt haud dubie, quare apud ſcriptores hiſtoriae Auguſtae, quoties deſcribunt honores Caeſaribus delatos, *Imperium et poteſtas* iungatur *tribunitia.* Capitolinus, in Marco Antonino: [g]) poſthaec Fauſtinam duxit vxorem, et ſuſcepta filia, *tribunitia poteſtate donatus eſt atque imperio extra vrbem proconſulari.* Lampridius in Alexandro Seuero: [h]) *cum ante a ſenatu Caeſar eſſet adpellatus, mox idem recepit Auguſti nomen: addito eo, vt et ius proconſulare, et poteſtatem tribunitiam vno die aſſumeret.* item: *certatim decreta ſunt omnia nominum genera et poteſtatum.* Atque haec ſufficiant, de lege regia, in ortu et progreſſu: contra eos potiſſimum, qui meras circa illam praeſtigias agunt. Iam erit, vt capita eius breuiter inſpiciamus, ac neceſſaria tantum ad lucem inferendam exponamus.

§. XLI.

DE CONTENTIS IN LEGE REGIA SPECIATIM.

I. DE IVRE FOEDERVM.

Primum caput eſt de iure federis, quod ex hac lege facere licitum erat Imperatori, vti licuit *Diuo Auguſto, Tiberio Caeſari, aliiſve.* Nemo non videt, ex documento hoc incorrupto et aere perenniori, magis magisque probari, quae iam de primordiis imperii Romani, eius-

e) lib. LIII. p. 508. f) differt. ſecunda p. 260. ſeqq. g) cap. 6. h) in principio.

eiusque iure in Caefares translato, a fenatu populoque, fatis luculenter commonftrauimus. Quae enim olim fuerunt penes fenatum duntaxat et populum, vt federa, cum quibus vellent, ex vtilitate publica inirent, ea iam confenfu et voluntate omnium tranfierunt in principem. A federe incipit fenatus populusque, quia nihil adeo facit ad rempublicam conferuandam, quam amicitia et fides exterorum, in communi pacis bono retinendo. Ne tamen confundamur in iure federum, notemus oportet varias rationes, quibus Romani ex bello ad pacem adfpirarunt. Habebant *fponfiones*, habebant *federa:* quae inter fe non debent commifceri, licet non male dicantur generali vocabulo *pactiones*, a Graecis συνϑῆκαι. Sigonius quidem, *de antiquo iure Italiae*, [i]) tertiam fpeciem pacis bono fruendi conftituit pactiones, easque refert praecife ad inducias. Verum alio iure cenfentur induciae, vtut nec genus aliud, nifi pactionem, aut conuentionem admittant: quare funt, qui eas ad fedus, certo annorum fpatio definitum, propius accedere malunt. Quidquid harum rerum fit, et fponfionibus, et federibus, adiici pacta folebant, Quae nuda inter gentes ac respublicas erant, folenni *conuentionum publicarum* nomine celebrabantur, de quibus Cabotius, *II. Difputationum libro, cap. X. et fequentibus* addi poteft: nullo facto difcrimine, an federa effent, an fponfiones. De iure fponfionum, earumque publicarum, certi fumus ex vulgatiffima narratione Liuii, [k]) vbi Poftumius, cum Samnitibus infeliciter bellum gerens, ad pacem eluctabatur per fponfionem Caudinam. Facile intelligitur ex verbis hiftorici, et integra ferie rerum geftarum, quod fedus auctoritate fenatus ac populi tantum fieri potuerit; contra qui duces erant in bello, fuo periculo fpondebant, et fic priuata, non auctoritate publica. Praeterea non legi-

[i]) lib. I. cap. I. [k]) IX. hift. c. 9.

legimus, quod ſponſione ducum in bello vnquam facta ſit pax, armis inter certantes poſitis omnino: ſed quod per eam praeluſerint futurae paci et quieti publicae, ſiue promiſerint hoſtibus, pacem fore in propinquo. In hac ſententià explicanda Duarenus [l]) partite disquirit, an duci regendi tantum exercitus cura demandata ſit, an vero plena et libera rerum omnium poteſtas conceſſa ſit? Illo caſu negat, hoc vero adfirmat. Argumentatur ex lege ciuili, quae ſane huc non pertinet: immo neque diſtinctio, in quaeſtione diuerſa, facere quidquam ad rem videtur. Solus eſt princeps, ſola respublica, quae ius belli et pacis habet. Vbi igitur non ſpeciali mandato ius hoc eſt conceſſum duci, libera illa et plena, quippe generalis poteſtas, non ſufficit. [m]) Florus, [n]) quando agit de *ſponſione Caudina*, ac Samnitum victoria, illam *fedus* adpellat: ſed vniuerſali nimis, et improprio ſignificatu, niſi cum CL. V. IO. GEORGIO GRAEVIO, quis ad fedus iniquum *deditionis*, quae ſponſione, a ſenatu populoque non probata, fieri debebat, verba ſcriptoris, in ſermone luxuriantis haut raro, adplicare velit. Praecipua differentia, in externis quidem, ſupereſt ceremoniarum ac rituum ſolennitas. Fedus praeter iuſſum populi, legem ac ſenatus conſultum, vt Caeſar [o]) loquitur, requirebat ad perfectionem ſuam feciales, herbas, victimas. Liuius [p]) breuiter: *conſules negarunt iniuſſu populi fedus fieri poſſe: nec ſine fecialibus, ceremoniaque alia ſolenni.* Idem exponit morem apud Romanos primo *hiſtoriarum*, capite viceſimo quarto: cum quo conferendus eſt Turnebus, ad Varronem, *de Lingua Latina*, in voce *Feciales*, et [q]) Pighius *in annalibus Romanorum*, ſub Numa. Qui plura, circa federa ſancienda, requi-

[l]) ad l. 5. ff. de pactis. p. m. 66. [m]) addatur Cabotius ibid. cap. XV. [n]) I rer. Rom. cap. XVI. [o]) III. de bello ciu. cap. CVII. [p]) IX. hiſtor. cap. V. [q]) p. m. 68. 69.

requirunt, ea passim apud veteres inuenient: quae ex parte conduximus, in dissertatione, *de moribus gentium circa federa.* Sponsio talis non admittebat circuitus, et solennitates in publico, coram populo vidente, ac testificante. Neque digressi sunt Romani ab hisce ritibus, sub Caesaribus. Suetonius in Claudio: [r]) *Cum regibus in foro icit fedus, porca caesa, ac vetere fecialium praefatione adhibita.* qua de Brissonius, quarto *formularum*, in medio. De porca caesa Rupertus ad tertium Flori, capite octauo decimo. Quando igitur senatus populusque Romanus omne ius, quod in libertate habuerant, per senatus consultum, sicut ostendit Gronouius pater, *de lege regia*, in Caesares transtulerunt, nec iura federum, potiora belli tempore ac pacis, omittere potuerunt, sicut ex capite hoc satis adparet. Dixerit quis, non frequentia sub Imperatoribus primis federa describi a melioribus illius aeui historicis. Verum nobis vnicum quoque sub Claudio sufficere potest. Ratio cur tam frequentia non fuerint sub Imperatoribus primis federa, haud dubie est illa, quod per Augustum, et successores, Imperium vndique firmatum auctumque sit, nec opus habuerit aliorum societate, vnde vel cresceret bellis, vel contra hostes externos defenderetur. Qui enim domi viribus tam amplis instructus est, cum periculo eas quaerit alibi, per socios nimirum ac federatos. Mentio quidem fit apud nonnullos regum sociorum: qui tamen antea fuerunt in amicitia, et federe Romanorum, nec sub Caesaribus istis demum accessere. Ita de Ariouisto, Maroboduo, Ariminio, testes habemus idoneos, quod cum Romanis amicitiam coluerint, et multa ipsorum beneficia agnouerint. [s]) Praeter nostros idem fecerunt alii, inprimis Parthi, sed federe inaequali, ac Persae, sicut ex Tacito, et Hege-

X 2 sippo,

r) cap. 25. s) conferatur Goldastus 1. de R. B. cap. 5.

sippo, notauit Rupertus, [t] per formulam antiquam, qua *comiter obseruarunt* vicini *maiestatem populi Romani.* Locus insignis est apud Suetonium in Augusto: [v] *reges amici ac socii, in suo quisque regno,* Caesareas *condiderunt:* quas alii vocant *Sebastas.* item: *saepe regnis relictis, non modo Romae, sed et prouincias peragranti Augusto quotidiana officia togati, ac sine regio insigni more clientum praestiterunt,* id est inaequaliter federatorum, sub protectione viuentium. Forte quis adhuc instat, nec non sine ratione dubitat, quare Caligulae, Neronis, ac bimestrium Imperatorum, Galbae, Ottonis, et Vitellii, nulla sit facta mentio? Sed responsio est facilis. Caligula nulla vixit lege, quemadmodum et Nero, homines omnibus inuisi, propter inaudita scelera, quibus non magis semetipsos, quam Imperium oppressere. Ille a tribuno cohortis praetoriae, Cassio Chaerea, et Cornelio Sabino misere trucidatus periit: [x] hic a senatu populoque ad necem quaesitus, violenta manu sibi vitam eripuit. [y] Tres reliqui vel ideo non poterant nominari, quia per vim inuaserant rempublicam, neque senatus auctoritate et populi, siue per legem regiam constituti sunt. Qui igitur legitimam non habuere potestatem summam, per concessionem scilicet liberam senatus populique, illi nec in exemplum allegari debent, nomina inauspicata, ac tremenda: quasi illis federum ius, belli ac pacis, vnde salus omnium pendebat, vnquam fuerit traditum.

§. XLII.

DE CONTENTIS IN LEGE REGIA SPECIATIM. II. IVS SENATVS HABENDI ET SCTI FACIENDI.

Alterum caput est de senatu habendo et senatus consulto

t) ad IV. Flori cap. X. n. 1. v) cap. LX., x) Sueton. in vit. cap. 56 et seqq. y) Dio lib. 63. p. 727. conungatur Huberus l. digress. cap. 22. n. 5.

fulto faciendo: quod in legislatione potissimum consistit. Republica adhuc stante libera senatum habebant, quibus id ius permissum erat. Manutius [z]) ὡς ἐν γένει *ius habendi senatus dubium non est, quin ad eum magistratum spectauerit, qui summam in vrbe potestatem gerebat.* A. Gellii [a]) commune testimonium est ex Varrone, quod more maiorum senatus haberi non potuerit, nisi per dictatores, consules, praetores, tribunos plebis, interreges, praefectos vrbi. Aut enim dictator erat, qui per semestre gaudebat potestate summa, ita tamen, vt rationes post dictaturam positam redderet: aut consul erat in vrbe, qui vbi per diuersa tempora non posset superesse rebus, aut abesset prorsus, reliqui velut in subsidium, vices eius sustinebant. Et hi quidem ordinario iure senatum habebant, pro circumstantia rerum, et necessitate publica: si tamen casus inciderent, per quos publica salus promoueri posset, senatum quoque tribuni militares conuocare poterant, notante ex probatis et antiquis Hotomanno, *II. de senatu et senatusconsultis, capite tertio.* Verum ista sub libero statu patuerunt: cum praeessent Caesares, alia sane inualuerunt. Augustus, teste Suetonio, [b]) non saltim aliter constituit senatum, de faciendo decreto, et liberauit eum a sordibus, sed et modum praescripsit, quem ante consultationem obseruarent, erga DEVM ac patriam. Nisi fallor, hic est interpres, vnde caput nostrum intelligitur optime: *vti nimirum Vespasiano senatum habere liceat, sicut licuit Augusto.* Ille vero habuit, vt facies tantum externa maneret potestatis, hic contra omnia in se traxit munia senatus, magistratuum et legum, quibus vera Imperii maiestas inerat. Taciti haec esse nouimus, quae Boeclerus [c]) erudite interpreta-

 tur

z) cap. VI. de senatu Rom.
a) XIV. Noct. Attic. c. 7.
b) cap. XXXV. in Augusto.
c) in annotatis politicis ad I annal. cap. 2. n. 9.

tur. Cumque antea saepius haberetur senatus in mense, Augustus constituit, vt non nisi bis ageretur, Kalendis nimirum et Idibus. Qui *senatus* vocabatur *legitimus*, quasi de lege ac iure habendus, cui opponebatur *senatus indictus*, siue σύγκλητος a Graecis dictus, per vulgata. In modo senatusconsulti faciendi, pauca similiter afferemus, quia de illo exstant integri commentarii, Manutii, Sigonii, Hotomanni. Verba legis regiae, et quidem capitis secundi, explicari debent. Sunt autem haec: *senatum habere, relationem facere, remittere liceat, ita vti licuit Diuo Augusto.* De priori membro satis certi sumus. Quid sit *relationem facere*, ex sequentibus apertum erit. Antiquiores expresserunt aliter, sed eodem sensu: *consulere patres*, aut *senatum*, item *recitare litteras in senatu.* Post relationem *sententiae rogabantur* senatorum, qui aderant, non aliorum, qui senatoria dignitate haut erant illustres. Quod enim alii subinde venerint in curiam, ac deliberantes publice auscultauerint, passim legere est: qui tamen a referente, siue consultore, interrogabantur minime. Rogatus sententiam dicere surgebat, et quae sibi viderentur, libere proponebat, suadendo, modo ad salutem communem ea pertinerent. Talia *senatusconsulta*, in libertate, fieri dicebantur *per relationem*, exquisitis nimirum, siue perrogatis omnium sententiis, iisque libere pronunciatis et auditis: a quibus differebant *senatusconsulta per discessionem* facta. Plinius *VIII. epist. XIV.* quae sua aetate adhuc in more erant posita, satis luculente declarat, isque vnus instar omnium esse potest, qui haec sacra rite percoluit. Caussa *discessionis* erat hauddubie, quod senatus esset longioris subsellii, et vltra quadringentos in senatusconsulto legitime faciendo requirerentur senatores. Fiebat autem per formulam: *qui hoc censetis huc transite, qui alia omnia, in illam partem.* Festus [d]) in *pedario senatore*: ita adpellatur,

d) p. m. CLV.

latur, *qui tacitus transeundo ad eum, cuius sententiam probat, quid sentiat, indicat.* Actus iste peculiari voce dicebatur *assensus*, ac secundum rei propositae varietatem, senatusque institutum vel manu, vel pede solebat demonstrari. Sed haec sunt vetusta illa in senatu iura ac mores, de quibus aliter statuendum est sub Imperatoribus. Suetonii locum, in Augusto, paullo ante laudauimus: quia discere ex eo possumus, quae ad potestatem referendi in senatu competierint olim. Diuina et humana erant, de quibus relationes ad senatum fiebant. Augustus discrimine facto maiora negotia solus tractauit, immo si de iis forte retulisset ad senatum, non more, atque ordine, sed prout libuisset, praerogabat. Scilicet idoneos in senatu homines nouerat, qui praeire sententiis consueuerant, in vota Caesaris promtissimi: quare additur ab historico, *animum quisque intendebat, ac si censendum magis, quam assentiendum esset.* Neque sic placebat adeo priscus adsentiendi modus, per manum, vocem vnam alteramve, aut pedum: sed in senatoribus attentio fuit requisita, vt censendo, siue rem propositam probe expendendo, cum cura suffragarentur, vel oratione, vel scripto. Interim non fiebant ista, quasi necessario ad senatus auctoritatem obligaretur Augustus Caesar, sed ne vno impetu auferre cuncta videretur senatui, ex consilio regio Mecaenatis, apud Dionem: *) Τὴν μὲν τιμὴν φύλαξον, τῆς δ' ἰσχύος παράλυσον τοσοῦτον, ὅσον μήτε τοῦ ἀξιώματός τι αὐτῶν ἀφαιρήσῃ, καὶ τοῖς νεωτερίσαι τὶ ἐθελήσουσι μὴ ἐπιτρέψει. *honorem ipsis serva, potentiam vero in tantum deminue, vt nihil dignitatis quidem deficiat, virium autem nihil supersit, ad res nouas moliendas.* Qui non intelligunt ista, mira de legislatoria potestate Caesarum proferunt: quibus veniam indulgent docti eo facilius, quo sunt liberiores in confu-

*) lib. LII. histor.

tandis veteribus, pro imperitia sua deplorata. Equidem dubitat forte quis, annon ius referendi ad senatum Augusto sit datum ideo, quod consul fuerit. Atqui non desunt rationes, quibus probetur, hoc ius pariter Augustum habuisse extra consulatum: quod alii post eum lege regia, vel senatusconsulto facto, citra vllius contradictionem exercuere. Sigonius *II. de senatu Rom. capite nono.* Dionis [f]) verba sunt iterum: *ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅπου ἂν θελέσει καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε. Senatus Augusto honores perpetuae tribunitiae potestatis decreuit, et vt quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus posset referre.* Placentinus, celebris legum interpres, inter medios barbaros, existimauit, senatusconsulta in pandectis, et reliquis iuris partibus, quae suis distinguuntur nominibus, omnia sub Imperatoribus condita esse; quam sententiam amplectitur doctissimus praesul, Antonius Augustinus, in principio libri *de senatusconsultis.* Apparet inde, admodum exile ius fuisse senatus, non re magis, quam tale in speciem, et quod penes Augustum eiusque successores legislatio remanserit semper. Quoties enim oratio nomine Caesaris recitabatur deinceps, aut patres consulebantur, id non ex necessitate fiebat, sed ne honor senatus periret statim, et per eiusmodi blanditias demulceretur populus, quasi quaedam adhuc Senatui constaret auctoritas. Si tempora consideramus, quibus facta sunt ab Imperatoribus senatusconsulta, illa hinc repetuntur vsque ad Marci Antonini principatum; post illa enim non facile reperiuntur. Neque hoc ignorabit, quicunque in historia iuris vltra communes lineas processit.

§. XLIII.

f) lib. LIII. sub. fin. p. 518.

§. XLIII.

DE CONTENTIS IN LEGE REGIA SPECIATIM III. IVS GESTA QVAELIBET SANCIENDI.

Quod sequitur caput legis nostrae tertium, antecedens praecipue confirmat: nihil scilicet valere, nisi a voluntate, auctoritate, iussu, mandatuve principis originem habeat, siue senatus conuocetur, ac deliberet publice, siue decernere quidquam velit. Eo vsque enim progressi erant Caesares, vt pro arbitrio disponerent cuncta, quae ad summam reipublicae faciebant, quippe consules, praetores, tribuni plebis, ac pontifices maximi in vrbe: in exercitu supremi duces, et imperatores, quibus inde nihil domi obstare poterat bellique. Non repetimus ea, quae saepius iam demonstrauimus, omnia fuisse Caesaris: quia veritas illorum ex hoc quoque capite satis dilucet.

§. XLIV.

IV. IVS MAGISTRATVVM CREANDORVM.

In quarto rursum occurrit *ius* insigne, quod antea per senatum populumque expediri consueuerat, nempe facultas *magistratuum creandorum.* Hoc cum legislatoria potestate facit paria, non saltem in effectu, sed et origine. Quemadmodum enim centuriatis comitiis leges a senatu populoque condebantur, ita magistratus in iisdem creabantur maiores. notante Onuphrio Panuinio, [g]) et quidem in annos singulos. Iulius Caesar ab hoc more patriae discessit primus. Suetonius: [h]) *repentina consulis morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia spreto patriae more, magistratus in plures annos ordinauit.* Appianus: [i]) Καῖσαρ ἐς Ῥώμην παρ-ῆλθε,

g) cap. LIII. de ciuitate Rom. h) cap. LXXVI. in vita Iul.
i) II. bellor. ciu. p. m. 751.

ἦλθε, καὶ αὐτὸν ὁ δῆμος πεφρικὼς ᾑρεῖτο δικτάτωρα, ἔτε τὶ τῆς βουλῆς ψηφιζομένης ἔτε προχειροτονοῦντος ἄρχοντος. ὁ δὲ εἴτε παραιτησάμενος τὴν ἀρχὴν ὡς ἐπίφθονον. εἴτε ὐ χρῄζων, ἄρξας ἐπὶ ἕνδεκα μόνας ἡμέρας ὑπάτους ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνεν ἑαυτόν τε καὶ Σερουίλιον· ἡγεμόνας τε ἐς τὰ ἔθνη περιέπεμπεν ἢ ἐνήλαττεν ἐφ' ἑαυτοῦ καταλέγων. *Caesar veniens Romam populo territo creatus est dictator, nihilque moratus vllius suffragium: quia tamen videbatur inuidiosum hoc fastigium honoris, aut forte minus necessarium, sese consulem designauit cum Servilio Isaurico: suoque arbitratu prouinciis dedit aut mutauit praesides,* omnia contra morem maiorum. Antonius deinceps explicat, [k]) quot fuerint anni, plures illi, a Suetonio designati, per πενταετὲς, *quinquennium.* Tanto nimirum spatio ipse antea proconsulare imperium acceperat in Galliis, quod hoc elapso iterum prorogatum fuit in quinquennium, sicut de eo constat aliunde. Augustus moderatior visus est, Suetonio teste, [l]) quod cum interesset comitiis magistratuum, cum candidatis suis circuiret, supplicaretque more solenni. Nemo parum in antiquitate versatus ignorat, quin candida toga induti adparuerint omnes, qui magistratum in comitiis petere volebant a populo, cuius praesertim erat beneficium. Quoties autem difficultas incidebat, vt nomen professus in numerum candidatorum non statim referretur, senatus cognitio locum habebat. Intererat enim, ne indigni suffragio populi eueherentur ad magistratus, quibus praeesse non possent. Sed iam toties Augusti ac Tiberii studia notauimus, quibus paullatim in se traxerunt munia et iura imperandi. Quo enim magis recusabant ista, eo cupidius desiderabant: nisi quod intelligerent probe, ad memoriam pristini status abolendam, et animos libertati innutritos, ad amorem noui adsuefaciendos, tempus

requiri

k) p. m. 827. l) in vita eius cap. LVI.

requiri non aliter quam in frutice, antequam radices agat. Ita ſane quae ſimulabant, ſeſe nolle, vltro accipiebant a ſenatu populoque, de quibus conferatur Boeclerus *annotatione* VIII. ad I. annalium Taciti, et *caput eius* III, itemque *annotatione politica* IV. ibidem *ad caput* VII: vbi eleganter differit de acciſmo Tiberii, eumque per partes explicat. Neque ſic amplius dubitandum de poteſtate Caeſarum, praeſenti legis regiae capite deſcripta.

§. XLV.

DE CONTENTIS IN LEGE REGIA SPECIATIM V. IVS POMOERII PROFERENDI.

Quintum de *pomoerio proferendo* eſt conceptum, ſiue de iure ac *lege vrbis augendae*, ſicut Cicero m) loquitur, et ad illum Corradus. Ius hoc antea regibus tantum, et illis datum erat, *qui populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerant*, teſte A. Gellio. n) Caeſar poſt Galliam imperio Romano adiectam in animo habuit promouendi vrbis moenia: ſed qua parte auxerit vrbem, non tam liquido affirmare poſſumus. Neque enim ex priſcis quisquam id tradit, niſi quod vniuerſe ac generatim dicant: *de vrbe augenda, quid ſit promulgatum, non intellexi: id ſane ſcire velim*, ait Tullius, o) ad Atticum ſuum. Antonius in oratione, qua memoriam Iulii conſecrauit, apud Dionem: *ὁ καὶ τὸ πωμήριον τῆς πόλεως ἐπαυξήσας, pomoerium auxit.* Sequitur tamen ſtatim, *ἐν τῷ βυλευτηρίῳ κατασφαγεὶς, in ſenatu hoc vrſit conſilium*, an autem perfecerit, non additur. Auguſtum quoque protuliſſe moenia, falſo ex A. Gellio ſtatuit Sigonius *I. de antiquo iure ciuium Romanorum capite II.* quod nulla prorſus Auguſti mentio fiat ibidem. Tacitum p) nominare de-

m) lib. XIII. ep. XXXIII. ad Attic. n) XIII. Noct. Attic. c. 14.
o) l. c. ep. XX. p) XII. annal. cap. 23. et ſequ.

debuisset, qui de Iulio pariter et Augusto hoc testificatur: *pomoerium vrbis auxit Caesar more prisco: quo iis qui protulere imperium, etiam terminos vrbis propagare datum. Nec tamen duces Romani vsurparunt, quanquam magnis nationibus subactis, nisi Sylla et Augustus.* Lipsius ad haec verba: *non defendo te, Corneli: erras,* nimirum in eo, quod vrbis incrementa per hos reuera sint facta. Forte idem de Augusto valet, quod pronunciauimus de Iulio, quasi in animo habuerit, aut more prisco, siue consueta superstitione Romanorum, per augures effatos vrbis fines designauerit, non amplificauerit statim tectis et moenibus. Ita certe pomoerium cum iis, qui de auspiciis scripserunt, accipere possumus, quod sit *locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum, pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auspicii.* Hoc spatium ita dedicatum vrbis incremento Romae, pro religione quidem Romanorum, neque habitari ab vllo, neque arari poterat amplius, quasi post solennia verba augurum DEI foret, nullius vero hominis. Deinde aliud est, muros dilatare, aliud pomoerium, eiusque fines proferre. Vopiscus in Aureliano: *muros dilatauit vrbis: nec tamen addidit pomoerio.* Singula constant sibi, neque difficultatem habent vllam. In capite nostro facultas ac ius pomoerii proferendi conceditur Vespasiano, sicut licuit Tiberio Claudio: qui Tacito et A. Gellio testibus, q) auctis populi Romani finibus, pomoerium ampliauit terminauitque, inprimis post Britanniam Imperio adiectam, recepto intra fines pomoerii monte Auentino, qui ad haec vsque tempora extra illos fuerat. Caussae ab A. Gellio demonstrantur, vbi Thysius coniungendus. Quidquid vero sit, ius pomoerii humana ac diuina includens, per legem regiam transiit in Caesares, ita quidem, vt augere potuerint vrbem, sine consensu sena-

q) locis citatis.

fenatus, modo auxerint prius more maiorum fines imperii. Si conducere, atque comparare fingula velimus, quae fuperfunt de pomoerio, non poffunt illa proponi arctius: qui plura amant, Salmafium conferant ad Vopifcum, *in Aureliano*.

§. XLVI.

DE CONTENTIS IN LEGE REGIA SPECIATIM VI. IVS CVNCTA EX VSV CIVITATIS LIBERE AGENDI.

Sexto capite legis regiae, *cuncta ex vfu ciuitatis et maieftate diuinarum humanarumque rerum principi agere ius ac poteftas facta eft.* Quod cum octauo in plerisque conuenit, et iam fuperius de actis principum quadantenus explicatum eft. Id faltim notabile cumprimis, quod Ekardus, qui fragmenta legis in Capitolio Romano fe legiffe, et verba fingula inde cum cura defcripfiffe ait, totum hunc articulum omiferit. Siue igitur ibi exftet, quod Smetio, a quo habuit Pighius, Gruterus, ac tot oculatis teftibus credendum, fiue omittatur, fatis erit, repeti poftremo capite, et confirmari, tanquam iufta, et rata, quaecunque vel a Caefare acta, gefta, decreta, vel eius iuffu mandatove facta funt ab alio. His vero fumma iura iterum principi deferuntur, vt omnino dicere poffimus, iftorum vi, habere ipfum maieftatem rerum diuinarum et humanarum, cuiusque actus a nullo mortalium irriti queant reddi. Obeffe huic fententiae videtur, quod talia aeftimentur tantum, quae ex vtilitate publica fecerit princeps, ficuti heic verba iacent: vt adeo quae cum vtilitate communi pugnent, iniufta et quafi non facta declarari poffint. Sed ex his maieftas praefertim intelligitur, quae nihil committit, quod honeftati vtilitatique publicae aduerfatur, quin femper eam in oculis habet, pro fine actionum colit, felicitatemque publicam vbiuis intendit. Quemadmodum enim maieftas eft fumma

summa potestas, quanta in terris modo datur, ac DEVM solum agnoscit superiorem; ita procul omni agit impedimento, quaecunque faciunt ad conseruationem et amplificationem suorum. Misere profecto ageretur cum mortalibus, si cui omne in se ius traderent, non vt quae ipsis bona essent futura procuraret, sed arbitratu suo bonis ciuium abuteretur ad perniciem. Haec non summa foret potestas, sed licentia summa, quidlibet agendi impune, et grassandi in capita subiectorum, quasi nec homines essent, nec societatem illam in partibus constituerent: quae singula a scopo societatis ciuilis alienissima sunt, nec in praesenti locum inueniunt. Nam si ex antecedentibus dubitemus, cur Augusti fere et paucorum aliorum mentio fiat in lege, non ceterorum etiam vsque ad imperium Vespasiani? Iam est responsum, non mereri nomen et honorem in excelsa principum serie, qui contra r) pium fasque, contra salutem et incrementa ciuitatis egerunt, indigni, quorum exempla posteris commendentur. Possunt haec sufficere, ad extantiora in sexto et octauo membro diducenda: quae septimo conceduntur principi, quod sit solutus legibus, itidem alibi pro instituti ratione exposuimus. Quae sanctio heic additur, non est irrogatoria poenae, quam lex alias complectitur, sed derogatoria ceterarum legum, ne vlla contra hanc inualescat. Atque haec hactenus. VLR. HVBERVS, iureconsultus elegantissime doctus, Schookii nebulas, ad obscurandam impugnandamque legem regiam, penitus discussit, aliquot capitibus sub finem primi libri *obseruationum humanarum:* quorsum lectorem remittimus, vt in medio sole versetur. Ante ipsum partes suas in hoc argumento praeclare sustinuerat Gronouius parens, oratione solenni, cuius editionem debemus filio, paternae gloriae aemulo, Laurentio Theodoro, eique plura

r) Rupert. ad Pomp. p. 154.

plura debituri posthac, si perfecerit, quas ad pandectas coepit emendationes iuxta exemplar Florentinum, labore, ingenio, nitoreque erudito commendatas.

§. XLVII.

LEX REGIA NON VNA, SED SVBINDE NOVO IMPERATORI NOVA CONDITA.

Quaestio sub finem istius tractationis addi solet, an lex haec regia sit vna, pro successoribus in Imperio lata omnibus, an noua subinde fuerit condita, si rerum summa transiret ad alium? Priorem quaestionis partem tuentur et iureconsulti, et historici, veteris aeui periti. Arcadius [s]) libro singulari, de officio praefecti praetorio, *regimenta reipublicae ad Imperatores perpetuos translata* scribit: ex quibus conficiunt hoc, quasi et in perpetuum vna lex de Imperio principibus data sit. Minime vero sequitur: regimenta ad perpetuos imperatores translata sunt, ergo et perpetua lex fuit, eaque vnica, qua regimenta transferebantur. Pro ciuitatis natura et constitutione, pro imperantium captu et indole, lex formabatur, inque repetitione publica vel ampliora, vel pauciora hauddubie conferebantur. Id satis probabile videtur, ex articulis et fragmentis regiae legis, quae superstant. EI AGERE IVS POTESTASQVE SIT ITA VTI D. AVGVSTO CAES. FVIT: quae ex noua quadam formula conceduntur, non ex vna et perpetua lege. Immo excipiunt, non *perpetuos* legi debere, in verbis Arcadii iureconsulti, sed *perpetuo*, quod sicut semel et in perpetuum sit imperium Caesaribus concessum: ita quoque de hac concessione lex intelligatur. Iuuabit illos forte, quod monumenta quaedam prostent antiquiora, ex quibus lectio firmatur. Sic enim apud Ludou. Nonnium, in tabulis numismatum Iulii Caesaris, XXXV, XXXVII, et

s) l. vn. ff. de off. praef. praet.

et sequentibus perspicue legitur, CAESAR DICT. PERPE-TVO. Verum nec prodest hoc eis, quod honor iste personalis durauerit vsque ad fata saltem Iulii, nec prorogari vlterius potuerit. Appianus, quando ipsum cum Sylla comparasset, dicit quidem, quod sit creatus *δικτάτωρ ἐς τὸ διηνεκὲς, in perpetuum,* [t]) vitae nimirum spatium, sicut euidenter alibi explicat, *δικτάτωρ ἐς τὸν ἑαυτοῦ βίον,* dictator *quam diu viueret.* Ita ex simili de Imperatoribus statuamus, quod lege hac imperium plenum adepti sint, vsque dum per vitam et fata licuerit, non autem iure successionis perpetuae atque hereditariae. Id neque voluerunt ab Augusto moderatiores in imperio principes, neque ita senatus populusque ab initio dederat. Quod deinde, ex Iustiniani verbis et Pomponii, Corasius et Connanus, sicut modo ex Arcadio, idem concludunt, praeclare confutauit Huberus, [v]) *in digressionibus* saepe laudatis.

§. XLVIII.

A VESPASIANO INDE FILIVS VEL IN SPEM REGNI ADOPTATVS EADEM CVM PATRE NON NOVA LEGE TENEBATVR.

Illud vix possumus diffiteri, quod ad posteriorem quaestionis partem attinet, primam legis formulam instar exempli fuisse, vnde successoribus in Imperio conditiones variae praescriberentur. Singuli igitur peculiaribus decretis in senatu ante inaugurationem vel obstringebantur, vel plenariae libertati ac potestati summae permittebantur, donec adirent tandem imperium, velut ex hereditate, nec aliter ac patrimonium. Flauius Vespasianus, cui lex explicata fuit lata, filio Tito viuus tribunitiam potestatem, imperiumque proconsulare concessit: quae

t) I. bell. ciu. p. m. 902, II. bell. ciu. p. m. 806. v) lib. I. cap. XXX.

quae dignitates praecipuae non alio fine, quam in ſpem imperii dari conſueuerant. Ipſe antea ſenatus decreto, ſiue quam ita poſteri adpellarunt, regia lege Imperium adeptus erat. Tacitus: [x]) *Romae ſenatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit.* Vitae autem et regiminis gloria, nec minus prudentiae omniſque virtutis laude, in tantum celebratus a ciuibus, vt paene certus eſſet de ſucceſſione ſuorum. Quare et ſenatui aliquando affirmare non eſt veritus: [y]) *aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem.* Romani hoc tribuunt eius pietati, et quod per quietem viderit Titum ac Domitianum imperaturos. Victor: [z]) *Succeſſores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore.* Lectio haec eſt Gruteri, in volumine *hiſtoriae Auguſtae.* Apertior ſenſus, non ex fiducia, ſed ex viſione, ſecundum Tranquillum. qui diſcrete prodit: *dicitur vidiſſe.* Qui tamen mos obtinuerit, ſi qui non legionum electione, ac ſolenni adclamatione, ſed parentum aut cognatorum amore in curas parteſque imperii adſumerentur, ſenatu illos adprobante, iam paucis indicandum. Nerua Traiano gemmam tradiderat non ita pridem ante mortem, pignus certum de ſucceſſione, eumque collegam imperii renunciauit, quamuis inuitum. Plinius: [a]) *recuſabas imperare, recuſabas, quod bene erat imperaturo: igitur cogendus fuiſti.* Idem paullo poſt: *confugit in ſinum tuum concuſſa reſpublica, ruensque imperium ſuper imperatorem, imperatoris tibi voce delatum eſt. Imploratus adoptione et accitus es. Nerua tibi imperium dedit, tu illi reddidiſti, communicato enim imperio ſollicitior tu, ille ſecurior factus eſt.* Xiphilinus [b]) adoptandi formulam, et commendationem in ſenatu nobis conſeruauit: ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ

x) IV. hiſt. cap. III. y) Suet. in Flau. Veſp. c 25. z) de Caeſar. c. IX. a) Paneg. c. VII. et IX. b) in Nerua p. m. 241.

αὐτοῦ Μάρκον Οὐουλπιον Νέρουαν *τραϊανὸν*, *ποιοῦμαι*, *καὶ μετὰ ταῦτα. ἐν συνεδρίῳ* Καίσαρά *τε αὐτὸν ἀπέδειξε*. Quod felix faustumque sit senatui populoque Romano et mihi ipsi Marcum Vlpianum Neruam Traianum adopto. Eundem postea Caesarem in senatu designauit.

§. XLIX.

HINC MODVS SVCCEDENDI IN REGNO ADOPTIO CONFIRMATA A SENATV.

Adoptio itaque vinculum erat praecipuum siue modus adspirandi ad suprema. Traianus Hadrianum sibi suffecturus a gemma honores auspicatus, vt spem faceret successori. Aelius Spartianus: [c]) *quare adamante gemma, quam Traianus a Nerua acceperat, donatus Hadrianus ad spem successionis erectus est.* ibidem: *consul secundum factus totam praesumptionem adoptionis emeruit.* Adoptiones principum ab Augusto coeptae, eo potissimum fine, ne vagum et incertum relinqueret imperium, si quid fatale ipsi contigerit. A Nerua hoc institutum prudenter innouatum, ac deinceps continuatum, cuius vi successor optimus eligi semper poterat. Quae status publici momenta heic obseruari mereantur, fine exemplo annotauit Boeclerus ad caput XII. primi historiarum Taciti. Adrianus Ceionum Commodum Verum adoptans, Aelium Verum Caesarem adpellauit, qui mox implicitus morbo *prae valetudine nec gratias quidem in senatu agere poterat de adoptione.* Scilicet in senatu confirmabatur adoptatus, et senatusconsultum fiebat, quod regiae legis nomen deinde habebat: ipseque Caesar, siue adoptatus imperii collega dicebatur gratias agere, cum iam de rebus praeclare gerendis documenta sui varia huc vsque edidisset. Plinius [d]) iterum: *non tua in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante puluinar Iouis optimi maximi*

c) cap. III. p. m. 244. d) cap. XI. paneg. p. m. 11.

ximi adoptio peracta eſt. Si oratio eucharistica AElii ſupereſſet, quam Spartianus in vita illius laudat, totius negotii huius ſeries manifeſta foret. Aelio mortuo Adrianus adoptauit Antoninum, qui poſtea dictus eſt Pius, ea tamen conditione, vt ille rurſum ſibi duos adoptaret, Annium Verum et Marcum Antoninum. De Antonino Pio Capitolinus: *adoptatus in ſenatu gratias agit, quod de ſe ita ſenſiſſet Adrianus,* [e]) hauddubie ipſum commendans de meliore, et quod digniorem reperire haut potuerit: quo facilius conſentirent patres, eique legem de Imperio ſiue ſenatusconſultum illud ſolenne exhiberent. Idem in Marco Antonino, poſt adoptationem, Adriani deſiderio factam: [f]) *actis igitur, quae agenda fuerant in ſenatu,* ſiue etiam vt vult Gronouins pater, *ſolennibus ſenatusconſultis de imperio perfectis, pariter caſtra praetoria petiuerunt,* vt nimirum adprobati a ſenatu exercitui ſimiliter grati adparerent, et conſueta munera praeſtarent, ob participatum imperium.

§. L.

SENATVS CONFIRMATIO NECESSARIA QVOQVE ELECTIS AD IMPERIVM PER EXERCITVM.

Pertinacis electio et confirmatio in ſenatu perſpicue deſcribitur a Xiphilino: [g]) *ὠνόμασμαι μὲν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν αὐτοκράτωρ, οὐδὲν μέντοι τῆς ἀρχῆς δέομαι, ἀλλ᾽ ἐξίσαμαι ἤδη καὶ τήμερον αὐτῆς, διά τε τὴν ἐμαυτοῦ ἡλικίαν καὶ ἀῤῥωστίαν, καὶ διὰ τὴν τῶν πραγμάτων δυσχέρειαν.* Excuſabat nimirum Pertinax militum facinus, quod ipſum adpellaſſent Imperatorem, cum neque imperandi cupidus eſſet, neque per valetudinem, aut aetatem tanta ſuſtinere poſſet negotia. Quo vero magis deprecabatur onus, eo flagrantius inſtabant patres conſcripti, vt ne moli ſe grauiſſimae ſubduceret: *καὶ ἐπῃνοῦμεν αὐτὸν ἀπὸ*

[e]) cap. IV. [f]) cap. VII. [g]) in Pertinace p. m. 298.

ἀπὸ γνώμης, καὶ ὡς ἀληθῶς ᾑρούμεθα, et laudauimus vere, et elegimus in imperatorem, addente Xiphilino ibidem, ex Dione Caſſio. Spartianus [h]) omnia complexus eſt in Didio Iuliano, poſtquam rurſus imperium venale eſſe coeperat: *totum ſe permiſit ſenatui, factoque ſenatusconſulto imperator eſt adpellatus et tribunitiam poteſtatem et ius proconſulare, in patricias familias relatus emeruit.* Vbi de confirmatione ſenatus per ſenatusconſultnm exſtat illuſtre teſtimonium. Quod milites per vim dederant, patres auctoritate ſua firmare conſueuerant. Ita enim ab ipſis petit Iulianus: [i]) *πρὸς ὑμᾶς ἀφῖγμαι, ἵνα μοι τὰ ὑπ' ἐκείνων δοθέντα ἐπικυρώσητε, ad vos veni, vt quae mihi ab illis data ſunt confirmetis*: et paullo poſt: *ἔτω τὴν αὐταρχίαν καὶ ἐκ τῆς βουλῆς πραγμάτων βεβαιωσάμενος.* Quaenam vero eſſent hoc loco *πράγματα τῆς βουλῆς, acta ſenatus*, niſi quae in confirmatione Imperatoris, poſt deſignationem militarem, lege regia huc vsque dari ſolebant? In ſucceſſore eius, Seuero, idem repetitur, et praeterea ſignificatur, quod anteceſſores ad hanc legem iuramento ſint adſtricti. [k]) *Ingreſſus in vrbem nobis in ſenatu confirmauit, quae ſuperiores boni principes fecerant, idque non ſolum iurauit, καὶ ὤμοσε περὶ τούτȣ, καὶ τόγε μεῖζον ψηφίσματι κοινῷ αὐτὸ κυρωθῆναι προσετετάχει, ſed praecepit etiam vt publico decreto ſanciretur, imperatorem, ſi mortem ſenatori adferret, eum, et quorum opera ad hanc rem vteretur, hoſtes reipublicae futuros.* Nouum hoc in regia lege argumentum erat de ſenatore, inconſulto ſenatu, haut occidendo: ex quo rurſum patet vnicam legis formam non ſuffeciſſe moribus imperatorum coercendis. Immo Seuerus, vt gratus foret in ſenatu, populoque acceptus, oratione habita, declara-

h) cap. III. in Did. *i)* Xiphil. in Iul. p. m. 305. *k)* de iurament. principis. Boecl. ad Tacit. p. m. 202. Xiphil. ibid p. m. 310.

clarauit, ſe fore pertinacem, et libertatis publicae fundamenta de integro poſiturum eſſe. Herodianus: [l]) *τὴν δ' ἀρχὴν παρέξειν, καὶ εἴσοδον ἀριστοκρατίας*: ius quoque vitae ac necis, in maieſtate praecipuum eo tempore, ſe cum ſenatu communicaturum promiſit: ibidem: *μηδὲ ἄκριτόν τινα φονευθήσεσθαι ἢ δημευθήσεσθαι.* quamuis parum fuerit memor deinceps, quae ab initio tam benigne ac liberaliter de ſe pollicebatur omnibus. Alexandri Seueri Imperium praebere normam facile poteſt, quid iuris habuerint milites, aut ſumſerint, in principe adpellando, quo iure ſenatus id quoque egerit. Lampridius [m]) ab initio ſtatim: *milites iam inſueuerant ſibi imperatores tumultuario iudicio facere, ac facile rurſum mutare, adferentes nonnunquam ad defenſionem, ſe idcirco feciſſe, quod neſciiſſent ſenatum principem adpellaſſe.* Hoc ſaltem deſideratur in Lampridio, quod capite duodecimo, recitatis orationibus, quas in ſenatu habuerat Alexander, non addiderit ſimul publicum ſenatusconſultum, aut regiam legem, [n]) ſed in tranſitu dicat, *quum et alia multa eo die eſſent acta:* quaſi non opus foret explicare haec aut iam cognita, aut non omnibus patefacienda. De ſenatusconſulto tacito videndus eſt Capitolinus in Gordianis, capite itidem duodecimo, de ſententia Iunii Cordi. Vopiscus in [o]) Tacito Imp. et Floriano [p]) deſcribit gaudium ſenatus, et communem laetitiam, quod ius eligendi principis ad ampliſſimum ordinem redierit, quin ipſum factum iam eſſe principem ſenatum, leges a ſenatu petendas eſſe, de quibus dicendum reſtat. Vlterius enim progreſſuris manum iniicit humanus lector, inque viam reducit, vt ad finem properemus.

l) II. hiſtor. c. 14. *m)* cap. I. in Alexandro. *n)* Ne quem legis aut ſenatusconſulti affinitas turbet, iungat Gronouium p. 80. *o)* c. XII. *p)* c. V.

CAPVT IV.

DE LEGISLATORIA POTESTATE, LEGIBVS, PRAETORVM EDICTIS ET PRVDENTVM RESPONSIS SVB IMPERATORIBVS.

SECT. I.

DE LEGISLATORIA POTESTATE IMPERATORVM.

§. LI.

FACVLTAS IMPERATORVM LOCO POPVLI LEGES IVBENDI LEGITIMA, SENATVS, CONSILII TANTVM CAVSSA ROGATI, VT ANTEA NVLLA.

Ex lege regia, pro argumenti nostri ratione, satis superque explicata, iam intelligimus probe, quibus fundetur modis auctoritas legislatoria Romanorum: nimirum haut vi, sed lege publica, non simulacris aut coloribus peregrinis, sed potestate legitime concessa, et hac omni translata in Imperatores: qui siue per epistolam deinceps constituerent aliquid, siue post cognitionem decernerent, siue edicto praeciperent, omne id sane vim legis habebat. Intercedunt heic nonnulli, ac dubitant, an leges potuerint Imperatores soli condere, quia semper magna senatus manserit auctoritas, et plurima sub Imperatoribus edita sint senatusconsulta, instar legum valitura. [a]) Qui principia iuris interpretantur, quoties de his quaeritur, in varias

a) §. 5. Instit. de I. N. G.

varias propendent sententias. Et quidem vix possumus diffiteri frequentem esse post Augusti tempora senatusconsultorum mentionem, quibus in iudiciis totaque ciuitate maxima fuit efficacia, contra quam in libertate fieri consueuerat. Quod autem a nomine concludunt: ergo senatus adhuc legem tulit, id perquam est ab imperio, et statu priorum saeculorum publico alienum. Sub primordia exercitationis secundae tradidimus in compendio morem legis ferendae. post reges exactos, quantaque fuerit senatusconsulti, quanta fuerit plebescitì auctoritas: ea vero huc non possunt nec debent referri, quod legislatio cum forma ciuitatis intime coniuncta sit, et quemadmodum illa comparata est, ita quoque se habet ista. Ibi penes populum erant omnia, nec senatusconsultum vires suas exserere poterat, nisi populus iuberet: heic penes principem omnia sunt, nec senatusconsultum fieri, nec pro lege vsurpari poterat, nisi princeps auctor esset. De statu populari Polybius: *ἔχει δὲ ὁ δῆμος τὴν κυρίαν καὶ περὶ τῆς τῶν νόμων δοκιμασίας.* [b]) *legum quoque sanciendarum et abdicandarum ius penes populum est.* De imperio principis Vlpianus: [c]) *Imperator noster Antoninus ante excessum Diui Seueri, oratione in senatu habita, auctor fuit senatui censendi*, siue ad senatum retulit instituto antecessorum, vt sententias dicerent singuli, quid censerent, ipse vero iuberet. Ibi plebescita etiam patricios obligarunt, quae inuitis plerumque imposita, sine refutandi abrogandive potestate: heic tribunitia potestate Imperatores eminentissimi, in speciem duntaxat consilio patrum vtuntur. Ibi senatus plebis placita adprobare coactus, eadem repetiit interdum senatusconsultis, quod existimaret indignum genere suo ac nomine, plebi subesse aut morem gerere: heic plebs

 omni

b) VI. lib. hist. p. m. 462. c) l. 32. ff. de don. inter vir. et vxor.

omni potestate in principem translata ampliore vi a successu constringebat nobiliores.

§. LII.

QVOD CONSTAT EXEMPLO AVGVSTI LEGES A SE SANCIENDAS PRVDENTIAE CAVSSA APVD POPVLVM ROGANTIS.

Vt tamen propius cognoscamus, quo animo principes hoc iure sint gauisi, per exempla progrediemur. Augustus Caesar, ne prorsus abiret a more maiorum, leges a se conditas velut in trinundinum proponebat, vt forte resciret, quae de iis hominum forent sententiae, an quid iuste desiderari emendarique posset. Dio: [d]) *ὀυ μέντοι καὶ πάντα ἰδιογνωμονῶν ἐνομοθέτει, ἀλλ᾽ ἔςι μὲν ἃ καὶ ἐς τὸ δημόσιον προεξετίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ τινὰ προμαθὼν ἐπανορθώσῃ. non omnia proprio consilio egit, sed multa publice deliberanda proposuit, vt si quid placeret minus, corrigere id posset.* Admittere sic voluit omnes ad legislationem, quasi in libertate lex ederetur, deque illa *δοκιμασία* populi requireretur, vt esset perfecta: immo quod simulacrum plane videtur ciuile, aut si cum Aristotele loquamur, *σόφισμα πολιτικὸν*, quaedam admonitus imperator mutauit. ibidem: *καὶ τινὰ καὶ μετέγραφε*: et comitia populo concessit, quibus ei permittebat designare magistratus, id fere curans, *ne indigni per factiones, aut ambitum designarent*, [e]) *ὅπως μήτ᾽ ἀνεπιτήδειοι, μήτ᾽ ἐκ παρακελεύσεως, ἢ καὶ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται.* Solus interea poterat omnia, nec aduersum haec insurgere quisquam audebat. Tranquilli narratio huc facit: [f]) *comitiorum ius pristinum reduxit*, in quantum scilicet non obesset consiliis Octauii, et per fauorem omnium destinata proueheret.

§. LVIII.

d) LIII. hist. p. m. 585. e) ib. p. 583. f) in Aug. c. XL.

§. LIII.

IIEM EXEMPLO TIBERII DE LEGIBVS A SE IVBENDIS AD SENATVM REFERENTIS, ET CAETERORVM.

Tiberius pariter cuncta per consules incipiebat, ad retinendam libertatis imaginem, quin iurabat, se acta principum, Iulii praesertim et Augusti, rata habiturum, non sine manifesto indicio horum, quae superius in regia lege sunt obseruata studiose. Libertati autem vt magis fauere crederetur, populo reliquit inania quaedam: sibi contra et magistratui vindicauit, quae olim communi senatus populique, arbitrio administrabantur. Comitia fuerunt talia, quae tribubus huc vsque multum iuris, in honoribus potissimum cenferendis, tribuebant. Haec Iulius [g]) cum populo partitus, ad eundem morem Caesar Augustus post ciuilia bella restituit, Tiberius autem ad senatum transtulit. Tacitus: [h]) *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant.* Postquam vero comitia peruenerunt ad senatum, leges quoque ibi ferebantur: [i]) *aequum visum est, senatum vice populi consuli.* Vlpianus: [k]) *non ambigitur, senatum ius facere posse.* Quae tamen non ita simpliciter sunt accipienda, quasi penes senatum omnino fuerit potestas condendi iuris. Tiberius paullatim insurgens, munia senatus, magistratuum, legum praecipue in se tracturus, non in foro, aut comitio, exemplo patris Augusti, leges solebat proponere, totiusque populi suffragia expectare. Sed eum senatu de singulis prope communicabat, non aliter ac si ex populari statu transferit ciuitas Romana ad optimates. Interim nihil

g) Sueton. in Iul. XLI. in Aug. XXX. *h*) 1 Annal. 15. *i*) §. 5. Instit. de I. N. G. *k*) l. 9. ff. de LL.

nihil non agebat arbitrio suo princeps, magistratus designabat, leges ferebat, refragante nullo, dum enixe principi adularentur in senatu, ipse autem solitis artibus nosset mulcere, et ad vsus suos adplicare senatorum animos, ne quidquam eueniret, studiis ac destinatis aduersum. Tacitus [l]) ibidem, ad senatores: *o homines ad seruitutem paratos!* Ius igitur, consultum aut lex a senatu facta, neque ius, neque lex erat, nisi placuisset principi, quin nec de senatusconsulto cogitare poterant in curia, nisi oratione praeiret princeps, ac demonstraret legem.

§. LIV.

HINC ORATIONES PRINCIPVM VERE SVNT LEGES.

Haec caussa est, quare non tantum passim apud veteres dicantur senatusconsulta fieri ad orationes principum: sed quod pro senatusconsulto frequentius vsurpetur oratio, tanquam lex. Tacitus: [m]) *orationem principis secuto patrum consulto.* Vlpianus: [n]) *oratione Diui Adriani effectum est.* Paulus: [o]) *oratione Diui Marci cauetur.* Brissonius *I. antiquitatum* cap. XVI. Gutherius *de officiis Domus Augustae* cap. XXX. Strauchius, *de statutis a summo principe*, n. VI. et deinceps, Huberus *I. digressionum* cap. III. ampliora suppeditabunt. Scipio Gentilis librum singularem promisit, *de orationibus principum*, capite I. ad orationem D. Marci, *de alimentis*, quarum et alias praeterea, exemplo Pauli I. C. vt Caracallae *de donationibus* inter virum et vxorem, itidemque D. Marci *de tutoribus*, sub finem libri I. de iurisdictione, cum cura explicauit, regulam facturus et normam his, qui audebunt paria. Immo leges adpellantur orationes. Vopiscus: [p]) *leges quas Probus ederet, senatusconsultis propriis*

l) III. Annal. LXV. *m*) XI. annal. cap. XXV. *n*) l. 1. ff. a quib. adpell. *o*) l. 16. ff. de rit. nupt. *p*) in Probo c. XIII.

priis consecrarent, id est orationes, quas siue comprehenderet scripto, et ad senatum mitteret, siue ipse in senatu recitaret. Theodosius et Valentinianus, q) ad senatum: *hac oratione sancimus*, quam miserant scriptam, eaque velut lege decreuerant, quae iura essent patris ac matris, in cretione atque possessione bonorum filii. Adeo vt senatus vtriusque Romae post diuisum quoque imperium siue epistolas, siue orationes acceperit, de quibus deliberaret ac pro vtilitate publica suaderet, quae viderentur salutaria, quibus denique accederet confirmatio Imperatorum. Symmachus: r) *superest, vt ea quae serenitas vestra patribus deliberanda legauit, cognito senatusconsulto, lex AVGVSTA confirmet.* In effectu proinde oratio fuit lex, postquam ex instituto antecessorum cum senatu communicaretur. Non deest, qui huius rei argumenta consignat, et inter *senatusconsulta regia* distinguit atque *ciuilia*. Illa vocat, quae fiunt ad conseruandum et ordinandum statum publicum, in primis quae Imperatoribus ante publicam inaugurationem data, de quibus antea; haec quae ad lites ciuium dirimendas, aut alia rectius in ciuitate constituenda, potissimum reperta sunt. De regiis porro ait, non nisi a Tiberio facta esse, et successorum vno alterove, post haec tempora nullam amplius mentionem illorum fieri. Verum refragantur isti sententiae quaecunque senatusconsulta, ad principes pertinentia, in libris elephantinis scripta, inque *bibliotheca Vlpia* posita fuerant, de quibus Vopiscus in Tacito nobis testis est, quod hic ipse subscripserit cuidam manu sua: ne de paucioribus, apud historiae Augustae scriptores obuiis, adhuc dicamus. Iustiniani aetate, tanta senatus auctoritas in ciuilibus non fuit. Sic enim de seipso: s) *tam conditor, quam interpres legum, solus Impera-*

q) l. vn. Cod. Theod. de cretione. r) lib. X. ep. XXI.
s) l. vlt. C. de LL.

perator existimabitur. Leo plane ἄκαιρον, μάταιον, καὶ ἄχρισον putat, senatui relinquere potestatem legum ferendarum, postquam senatoriam administrationem Imperatoria sibi vindicauit maiestas, *Nouella LXXVIII.* Vt sic de legislatione, ad principes traducta, per gradus certi simus, quae olim fuerat penes populum in comitiis, mox penes senatum aliqua ex parte, denique Imperatores solos.

§. LV.

ITEM EXEMPLIS CONSTITVTIONVM CAESAREARVM, LEGVM IVLIARVM.

Quemadmodum vero hactenus, quando instrueremur de iure et modo ferendi leges, exempla semper addidimus, vnde lux maior adfunderetur praesenti scripturae: ita postulat heic quoque ratio ordinis, vt paucis declaremus leges Caesarum. Iustinianus, praefatione ad Nouellam XLVII. tria constituit interualla, quibus omne, quod iuris et aequi nomen habet, fere includitur. Primum et vetustissimum dicit *antiquam rempublicam,* quae cum Aenea Troiano coepit: sed eius pleraque tempora sunt obscura et inania. Alterum orditur a Romulo, sub quo gloria Romanorum eminuerit praecipue, ἐξ ὃ καθαρῶς τὸ Ρωμαϊκὸν ὄνομα παρ' ἀνθρώποις ἐξέλαμψε. Tertium cum Iulio Caesare et Augusto habuisse principia sua demonstrat, sub quibus leges et iudicia floruerunt. Ab his igitur porro ductu Imperatoris, fata iurisprudentiae prosequuturi, monstrabimus incrementa non contemnenda. Iuliae leges praecipuae sunt, quarum ad haec tempora mentio passim, ac deinceps fieri consueuit, quarum in pandectis frequens memoria et gloria superest, adeo quidem, vt qui, secundum indicis Graeci auctorem, *ad leges* edidere commentarios, non nisi Iulias κατ' ἐξοχὴν iis putentur illustrasse. Argumento sint, quae de verborum significatione ex variis Pauli, Vlpiani, Gaii, et Te-

et Terentii Clementis libris, quorum numerus cum indice conuenit, a lege CXXVIII. et sequentibus adducuntur, ne iam ex reliquo corpore ingeramus plura. Quidquid enim laudati iurisconsulti scripsisse perhibentur ad leges fide indicis Graeci, hoc in fragmentis pandectarum ad Iuliam fere ac Papiam leges refertur.

§. LVI.

IMPRIMIS [*] I) LEGIS IVLIAE DE MARITANDIS ORDINIBVS.

Inter Iulias certe perquam famosa est, quam de maritandis ordinibus instaurauit Iulius Caesar primum, Augustus deinde filius retractauit. De Iulio testis est Dio Cassius: [t]) *πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν, multos liberos habituris praemia statuit.* De Octauio Suetonius: [v]) *leges retractauit, et quasdam ex integro sanxit,* inter quas est illa *de maritandis ordinibus: quam cum aliquanto quam ceteras seuerius emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit, nisi ademta demum lenitave parte poenarum.* Neque vero aut Iulius, aut Octauius legem ab initio tulere, quod Dionysio Halicarnasseo [x]) scribente, ac refellente simul historiam, an fabulam cum illo dicemus, de Fabiis trecentis ad Cremeram caesis, quod caelibes nimirum omnes esse haut potuerint. *ὁ γὰρ ἀρχαῖος νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ: antiqua enim lex iubebat eos ducere vxores, qui essent modo puberes.* Manutius: [y]) *Legem video fuisse illam quidem paullo seueriorem, sed ad augendam viribus ciuitatem vtilissimam, vt quicunque per aetatem vxorem ducere possent, omnes ducerent, quaeque genita essent, educarent. qua lege factum est, vt maximis cladibus ciuitas affecta praesertim secundo bello Punico, nunquam tamen penitus exhauriretur, sed*

nouos

t) XLIII. hist. p. m. 256. v) in Aug. cap. XXXIV. x) IX. antiqu. n. 427. y) de LL. p. m. 139.

nouos semper exercitus summitteret. Ante Caesarem pariter Metellus fuit, qui in censura orationem habuit ad populum, de ducendis vxoribus, annotante A. Gellio, cuius primordium: [z]) *si sine vxore, Quirites, esse possemus, omnes ea molestia careremus.*

§. LVII.

RETRACTATAE ET AVCTAE LEGE PAPIA POPPAEA POENIS ET PRAEMIIS SANCITA.

Retractauit igitur Iulius cum Augusto legem antiquam, qui modus erat nouus augendae iurisprudentiae, cum iura cessantia, aut desuetudine neglecta reuocarent, penes quos erat potestas suprema. Dio seruauit nobis inuectiuam Augusti in caelibes, quinquagesimo sexto libro. Ita quoque eadem lex Iulia post orationem in senatu recitatam, a Papio Mutilo et Q. Poppaeo coss. repetita, in quibusdam etiam reddita plenior, non tam Iulia, quam a duobus consulibus, Papia Poppaea dicta est. Tacitus: [a]) *lege Papia Poppaea praemiis inducti, vt si a priuilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* Raeuardus [b]) hunc locum ex arte iuris docte interpretatur: Augustus praemiis inuitauit ciues Romanos ad legitimam procreationem liberorum, ac pertinacius reiicientes priuilegia, et iura parentum, immunitates nimirum ac munera singularia, ita puniit, vt ex aliorum testamentis nihil quidquam caperent, sed eorum loco succederet populus, siue aerarium publicum. Ratio legis, et cur augeret poenas coelibum. sine dubio videtur illa fuisse, quod nuper exhausta bellis ciuilibus patria magnam vbique solitudinem, inque tanta orbitate vastitatem suam demonstraret. Id enim semper in ciuitate putatur vtile futurum, si floreat multitudine homi-

z) I. Noct. Attic. cap. VI. a) III. Annal. c. 28. b) ad l. 208. ff. de R. I.

hominum, cui promouendae non poteſt efficacius remedium adplicari, quam propoſita tot munera ac priuilegia, de quibus Lipſius prolixe differit ad Tacitum. Laeuinus Torrentius, *ad cap. XXXIV. Suetonii,* in Auguſto, meminit peculiaris commentarii, a ſe parati ad legem Iuliam et Papiam: qui pro ſolida eruditione ſtudioque hauddubie nobis dediſſet exemplo veterum *ad leges* ſpecimen exaſciatum. Sufficere interim poſſunt, quae Anton. Auguſtinus ad hanc legem collegit, et magno iudicio pandectarum fragmenta examinauit.

§. LVIII.

VNDE DICTA LEX CADVCARIA?

Inter munera illa non fuit vltimum, quod, qui matrimonio copulatus erat, hereditates adire, legata ſibi relicta capere poſſet: contra qui in coelibatu viuebat, neutrum beneficium petere, aut iure ſibi tribuere poterat. Vlpianus: *c) caelebs, quod ſibi teſtamento relictum, iure ciuili capere non poteſt: idque caducum adpellatur, quia cecidit ab eo:* ſi tamen intra centum dies legi pareret, admittebatur. Eadem ſors fuit Latinorum Iunianorum, niſi ius Quiritium eodem interuallo conſequerentur. Ius igitur accreſcendi per caducariam legem Iuliam nimiopere circumſcriptum, aut penitus fere interuerſum. Ne vero partes hereditatum opimiores, aut integrae etiam hereditates, ſucceſſoribus vel teſtamentariis vel legitimis auferrentur, omni modo ſtudebant Romani, vt iura parentum haberent. Iuuenalis: *d) iura parentis habes: propter me ſcriberis heres: legatum omne capis, nec non et dulce caducum.* Caeſar itaque et Auguſtus, vi huius conſtitutionis, aut ciuitatem augebant noua et multiplici prole, aut fiſcum ex caelibum frequentioribus legatis et hereditatibus ditabant.

§. LIX.

c) in fragm. tit. XVII. d) Sat. IX.

§. LIX.

QVAE CAVSSA FVIT IVRIS ADCRESCENDI EX MENTE XII. TABB. INDVCTI ET A IVSTINIANO ABROGATA LEGE P. P. CONFIRMATI.

Iustinianus [e]) in oratione, ad senatum vrbis Constantinopolitanae: *et nomen et materiam caducorum ex bellis ortam et auctam ciuilibus, quae in se populus Romanus mouebat, necessarium duximus, P. C. in pacificis nostri Imperii temporibus ab vrbe Romano recludere: vt quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret:* quibus abrogauit id omne, siue a Iuliis statutum, siue a consulibus Papio et Poppaeo renouatum esset, ac ius antiquum reduxit accrescendi. Hoc autem antea viguisse, per leges Iulias, de caducis, probe intelligimus. Quid enim quaeso his foret opus, si iam aeuo Caii Caesaris nihil ex portionibus legatariorum et heredum accessisset coheredibus, vel collegatariis? Cicero: [f]) *L. Nostius coheres meus est: heres autem patroni sui: ea re vtrumque scripsi, vt et mihi cum illo caussam amicitiae scires esse, et hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset.* Amicitiae caussa erat coheredis nomen, quo iungebantur paullo arctius, vt si alter defecisset, alterius testamentaria portio alteri hauddubie accreuisset: quare iudicio, siue amore, ac testimonio patroni, inuicem se pariter laudant et commendant, tanquam illi, qui defunctum aliquando in bonis suis repraesentaturi essent. Namque tabularum iure cauebatur diligentissime, vt tam heredes testamentarii solidum caperent, nihilque caducum, aut vacans relinquerent, quam legitimi successores, in totam vocati hereditatem acciperent, quae sibi debebantur. Patet hoc ex legibus: VTI LEGASSIT, et altera, SI INTESTATO MORITVR: in quibus, *familiam habere,* est

e) l. vn. C. de cad. toll. f) XIII. ad fam. ep. XLVI.

eſt totam rei domeſticae vniuerſitatem conſequi, vt nihil plane ſuperſit, vnde ex parte teſtatus quis, ex parte inteſtatus obire poſſit. Qui ergo ante Iulias leges, tabulas interpretati ſunt, deficiente fortaſſis vel coniuncto in teſtamento, vel agnato proximo, ſtatuerunt conſenſu quodam, vt reliqui coheredes et collegatarii ſuccederent aequis portionibus, ad implendam et conſeruandam defuncti voluntatem: quod ius Iuſtinianus *antiquum* vocat, et laudata modo coſtitutione de integro valere iuſſit. Scilicet neceſſitate publica ſaepius conſtringuntur principes, ad inuenienda et praecipienda duriora, quae ſucceſſu temporum, in melius euntium, vel ſponte ſua, vel noua et contraria lege, fato quaſi deſinunt. Ex iure accreſcendi imminuto, per tot caducorum genera, ſenſim creuere ſubſtitutiones, in euentu dubio, ne propter aduerſas leges periret hereditas, aut fiſco adplicaretur. Iac. Gothofredus vtramque hanc Iuliam, ex veterum ſenſu expoſuit, ac quae deſiderabantur ab eruditis, praeclare inſtaurauit.

§. LX.

2) LEGIS IVLIAE DE ADVLTERIIS REPETENTIS IVS ANTIQVVM.

Cum hac lege iungitur optime, quae ſimiliter Iulia eſt, *de adulteriis*, quam Auguſtus retractaueritne, an de integro ſanxerit, ex Suetonio tam perſpicue non intelligitur. Illud certiſſimum eſt, per adulteria, ſiue quae furta impurae Veneris adpellant poetae, multos fuiſſe pellectos, qui vagam et ſpurcam potius libidinem, atque hinc perpetuum fere coelibatum, quam coniugium legitimum ſequerentur. Adeo velut ex antecedenti commode poteſt lex noſtra declarari, quoàd cauſſam ferendi eandem, ſicut et altera huic vicina *de pudicitia*, quam ſollicitabant ingenioſe Romani, et vt onera fugerent matrimonii, omni genere voluptatis impurae et ſtimulaban-

tur, et polluebantur. Carmina veterum testificantur hoc ipsum, et alii nequitiarum magistri, quorum libri adhuc dum sunt prae manibus. Caesar Octauianus igitur frenum iniecturus vtrinque furentibus, et poenas constituit acerbas in adulteria, inque lenocinia, siue famosam mariti patientiam, et praemia honestis decreuit coniugiis. Immo pubertatis annos designauit, qua licuit nuptias contrahere, ne voluptatibus illicitis nimium indulgerent Romani. Plutarchus: [g]) *πειρατέον δὲ τοὺς τῶν ἡδονῶν ἥττους καὶ πρὸς τὰς ἐπιτιμήσεις δυσκόους, γάμῳ καταζεῦξαι· δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος.* Verum reuertamur in viam. Vlpianus: [h]) *Haec lex lata est a Diuo Augusto.* Iulia dicitur propter amabile nomen Caii Caesaris Dictatoris, qui testamento adoptauerat filium sibi Augustum, et ideo dederat parem cum Iulio patris nomine adpellationem. Scipio Gentilis: [i]) *de adulteriis prima lex Romae fuit, quam Caesar Augustus magno reip. bono et consensu tulit: ab eo lex est Iulia de coercendis adulteriis nominata, qua lege multa sanxit refrenandae libidini sese altius in ciuitate corrupta efferenti.* Nollemus ita simpliciter dixisset Scipio. quod prima lex Romae de adulteriis fuerit condita ab Augusto. Iam in prima exercitatione Romuli [k]) prudentiam laudauimus circa matrimonii iura: eadem sunt repetita in tabulis de adulterae vxoris supplicio, deque mutuo coniugum diuortio. Sanctiora quidem ab initio fuerunt pacta connubialia, et magis pudicae matronae, quae in conspectu virorum sibi ignotorum esse vix debebant. Dionysius: [l]) *γυναιξὶν ἐλευθέραις καὶ σώφροσι μὴ ἁρμόττει, τὸ ὁρᾶσθαι ἐν ἀνδράσιν ἀσυνήθεσι, honestas et pudicas mulieres non decet, adparere viris incognitis.* Quae instituta

g) de liberis educ. p. m. 13. h) l. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. i) II. parerg. c. XII. k) n. XVIII. et seqq. l) VII. antiqu. n. 381.

tuta poſtmodum inter vetuſtae ſimplicitatis argumenta ſunt relata. Quis enim crederet, multo ſaeculorum ac vitiorum tractu, aut nulla a Romanis adulteria fuiſſe commiſſa, aut ſaltem eo fuiſſe inulta? quod moribus liberae gentis repugnat, non tam magnopere collaudatis a Romanis etiam ſcriptoribus. Sine lege autem vixiſſe hac in parte Romanos, nemo adduci facile poteſt, qui ſenatus ac tribunorum ſtudia nouit, quibus inuicem et aemulandi, et emendandi cura ſibimet ipſis iura praeſcripſerunt. Diodorus, memorabili annotatione morum tempora paullo ante Caeſaris dictaturam ita deſcribit: m) *τὸ παλαιὸν οἱ Ρωμαῖοι νόμοις καὶ ἀγωγαῖς χρώμενοι, ἐν δὲ τοῖς νεωτέροις καιροῖς μετέπεσεν ἐν τῇ Ρώμῃ τὸ τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς εἰς ὀλέθριον ζῆλον. Olim Romani optimis legibus et inſtitutis vſi ſunt: vltimis temporibus ab antiqua diſciplina ad ſtudia peiora defecerunt.* Addit praeſtantiſſimum illa aetate fuiſſe habitum, non qui virtute praeditus eſſet, ſed qui omnem aetatem in voluptatibus conſumeret. Huic malo facturus medicinam Q. Mucius Scaeuola, exemplum praebuit, quando procos. in Aſiam mitteretur, magna temperantia et frugalitate clarus, iurisdictionem integre atque ſumma cum diligentia exercuit, ſicut pluribus ibidem docetur.

§. LXI.

CVIVS QVARE MITIOR POENA RELEGATIO FVERIT, INDICATVR. SVB CONSTANTINO POENA ADVLTERII CAPITALIS.

Auguſtus difficilior viſus in ſenatu, cum vrgerent patres, vt mulierum et iuuenum, *γυναικῶν τε καὶ νεανίσκων*, immodeſtiam, intemperantiamve corrigeret, ſecum perpendens quod in propria domo haec flagitia forent punienda, mitiorem conſtituit poenam, nempe relegatio-

Z 2 nem

m) in excerp. Peſcian. p. m. 391.

nem. Iuliam itaque filiam, propter lasciuiam, et nocturnas comessationes in foro, sub rostris, ad ipsum tribunal, *ἐν ἀγορᾷ καὶ ἐπ' αὐτοῦ βήματος*, scriptore Dione Cassio, [n]) *ἐς πανδατερίαν τὴν πρὸς Καμπανίᾳ νῆσον ὑπερωρίσθη*, *in insulam Pandateriam, e regione Campaniae, delata*, siue extra limites Romae patriae, in exilium missa est. Vxor haec primum erat Agrippae, qui vir ab Augusto praecipua dignitate, repudiare coactus est neptem Caesaris, ac Iuliam ducere, quae post illius mortem Tiberio copulata, sed parum caste, et pro domus paternae honore vitam agens, statutae adulteris poenae obnoxia facta est. Adultera enim proprie vocatur ea, quae iuris nexibus detinetur, et matrisfamilias nomen obtinet, qualis erat Iulia: ceteras viles et obscoenas mulieres, neque matrisfamilias elogio dignas habebant, neque iudiciaria seueritate tanta coercebant olim Romani.[o]) Et haec est ratio, cur Vlpianus [*]) non reputet pro matrefamilias, nisi eam, quae honeste vixit, quamque mores a reliquis feminis discreuere. At si discederet ab honesto et probato viuendi habitu, antiquissimis temporibus marito largior potestas data in adulteram: quam Augustus voluit relegatione coercendam, nec infligendam esse sanguinis poenam, docente ex legibus Cuiacio. [p]) Tacitus †) quoque testis est, Vestiliam Titidii Labeonis vxorem, adulterii ream, in insulam Seriphon abditam esse. Marcianus: [q]) *si quis viduam, vel alii nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non potest, corruperit, in insulam deportandus est.* Non igitur ferenda est sententia Lipsii, qui de Aquiliae Adulterio, *ad IV. annalem* Cornelii nostri, non tam considerate, neque tam aeque in veterem iurisprudentiam scribit: *in volumine* *Di-*

n) LV. hist. p. m. 635. o) L. 29. C. ad L. Iuliam de adult. *) l. 46. ff. de V. S. p) VI. obs. IX. †) II. annal. c. 85. q) l. 5. ff. de quaest.

Digestorum, *quod miremur*, *poenam adulterii non esse expressam.* Wissembachius [r]) hanc fecit censuram. Lipsius fere digesta legit πλατυόφθαλμος, late dispiciens, quid vbique: at in posticis, ac ψευδοθύροις quid foret, curae suae non fecit. Iulia lege sicut videmus, nititur Marcianus, et exempla sub Augusto id satis euincunt, inprimis Ouidii poetae, qui *elegia prima tristium* se vocat exulem, certe propter Veneris prohibitae amores, male a se frenatos: e si praeceptis tribuat amandi, quae factis erant imputanda Talis erat lex de adulteriis Iulia, quae secundum ingenia moresque Romanorum internoscenda, qua enus adhuc Gentilium sacris addicti, raro puniuerunt ista crimina seuerius, et quatenus Christiana dogmata recipientes, maiorem senserunt inesse turpitudinem adulteriis, quam vindicauerant in haec vsque tempora. Augustinus: [s]) *si vera sunt, quae apud illos de matre Aeneae. et de patre Romuli lectitantur, quomodo possunt Diis adulteria displicere hominum, quae in ipsis concorditer ferunt:* et mox: *Romani adulteras, quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant.* Sub Constantino tandem poena adulterii facta capitalis, qua de Brissonius, libro singulari, *ad caput secundum legis Iuliae*, et Iac. Gothofredus ad *C. Theodosianum*, sub hoc titulo: quamuis aliqui poenam hanc in adulteros Alexandro soleant adscribere. Eusebius [t]) in Constantino Imperatore laudat praesertim id, quod plurimas leges ad maiorem sanctitatem traduxerit: ὥσπερ καὶ νόμους ὡς ἐκ παλαιῶν ἐπὶ τὸ ὁσιώτερον μεταβάλλων ἀνενεοῦτο. De quarum fatis differendum erit alibi.

r) disp. XXXIV. ad ff. §. 19.
s) III. de Ciu. Dei cap. V.
t) de vita Const. c. XXVI.

§. LXII.

3) LEGIS IVLIAE DE PVDICITIA, OB POENAE DIVERSITATEM VIX EADEM EST CVM LEGE DE ADVLTERIIS.

Vicinior huic, aut eadem forte est altera illa, *de pudicitia*, cuius Suetonius in Augusto meminit. Ac certe veteres in alleganda Iulia lege de adulteriis, hanc de pudicitia, cum illa, pari sensu commendant, inprimis Antoninus, octaua et nona Codicis lege, ad Iuliam de adulteriis, vt prope diuersa non videatur, siue obiectum, et viria hominum, siue poenae similitudinem consideremus. Antonius Augustinus: *Legem de pudicitia, latam ab Augusto, arbitror cum illa altera, de adulteriis coercendis, a Iustiniano esse confusam.* Non tam confusa est, quam ex paritate, aut iuris analogia quadam coniuncta. Quae matronae in adulteriis deprehensae erant, propter admissum crimen deportabantur, postquam deposuissent vestem matronalem, et lenocinium professae essent apud aediles. Suetonius: [v]) *feminae famosae, vt, ad euitandas legum poenas, iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri coeperant.* Aduersus prostratae pudicitiae matronas itaque, et maiora praue voluptatis effugia, studiosi Romani pudicitiae et honestatis publicae olim permiserunt, vt siue in insulam procul sitam talis relegaretur adultera, et sic oculis ciuium iuxta contumeliisque subduceretur, siue famosa ex numero, iure et dignitate matronarum, cum dedecore excluderetur, paria subirent mala, immo grauiora paterentur infames in vrbe relictae Hae enim sub nulla amplius cura legum, nomen amiserant gentis suae, vestem pudicitiae matronalem, insignem honoris praerogatiuam, et quae saltim beneficia constabant aliis. Lenocinio propudioso, et flagitioso,

v) in Tiberio cap. XXXVI.

gitioso, ad impuriora stimulo, manum forte medicam adhibiturus Augustus, eiusque successor Tiberius, voluerunt, vt accusari similiter possent adulterii, quae lenocinium facerent, antea semper indignae censura legum. Papinianus: [x]) *Mulier quae euitandae poenae adulterii gratia lenocinium fecerit, aut operas suas in scenam locauit, adulterii accusari damnarique ex senatusconsulto potest.* Si recte perpendimus ista, hauddubie legem de pudicitia distinc ius nobis exhibent, ac quae alias obscure satis inferuntur aliunde. Lenae interim, dixeris, neque accusari ex lege, neque condemnari poterant. Verum et hi quondam non admissi, si quando ferendum esset testimonium, neque apti, qui testamenta facerent, aut exinde quidquam caperent, intestabiles omnino, quique genitalibus priuarentur, supplicio nimis acerbo, et praeduro. Franciscus de Amaya III. *obseruationum iuris*, *cap. VI. n. 59. 60. seqq.*

§. LXIII.

4) LEGIS IVLIAE DE VENEFICIO, RETRACTANTIS IVS ANTIQVVM ET L. CORNELIVM SEV IVLIAM DE SICARIIS ET VENEFICIS.

Non postrema inter Iulias commendatur *lex de caede*, quam alii *de veneficio* cognominant. Ita enim Nero: [y]) *sane legem Iuliam timeo*, superciliose ac tyrannico sensu inquiebat, cum ipsi Locusta pararet venenum in cubiculo velocissimum. Et non est locus significantior, vnde id ipsum probemus, nec patet ratio, cur in Iuliis plane transmiserit Anton. Augustinus. Equidem antea pridem, M. Claudio Marcello, et C. Valerio coss. siue anno vrbis CCCC XXII, veneficia mulierum fraude, tanquam pestilentia Romae premebatur, et iam numerus ingens ciuium hoc modo sublatus erat. Tandem an-

x) l. 10. ff. ad L. Iul. de adult. y) Suet. in Nerone c. XXXIII.

cilla siue gratiam aucupatura, siue tantum scelus indignata, apud aedilem curulem se pestis caussam indicaturam professa est: cumque plures quam centum septuaginta matronarum propter crimen hoc essent damnatae, veneficium, antea Romanis prope incognitum, publicis iudiciis acriter vindicari coeptum est. Liuius [z]) prolixe historiam describit. Augustinus pater mala enumerans, quibus Romani quondam vexati: *vbi erant*, *inquit*, *cum pestilentia grauis de venenis matronarum exorta crederetur? quarum supra fidem multarum atque nobilium, mores deprehensi sunt omni pestilentia* exitiabiliores. Atrox [a]) sane hoc facinus muliebre quamuis digno supplicio coerceretur, tamen posthac extirpari penitus vix potuit. Ciceronis aeuo, et antea quoque, nihil frequentius ista quaestione in foro: [b]) *quotidiana sunt, venena, sicae, peculatus, testamentorum etiam lege noua quaestiones*. Eadem repetit de officiis: [c]) *Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco differendum est.* Quibus coniungit omnes, nefando crimine infames, earumque caussas tunc obuias quasi e digito recitat. C. Sulla dictator varias in libertate adhuc tulerat leges, quas inter fuit ea pariter, de veneficis atque sicariis. cuius multa et frequens est mentio apud iureconsultos. Orator [d]) noster iterum laudandus, qui fragmenta legis conseruauit: *quicunque venenum fecerit, venderit, emerit, habuerit, dederit, de eius capite quaeritur*. Ita quidem, vt distingueretur olim inter venenum bonum ac malum, quidquid excipiant nuperi antiquitatis studiosi, et rideant qui vocabulum hoc *ὡς ἐκ μέσων* diiudicent. Ibi enim statim additur: QVI VENENVM MALVM FECIT: quippe id subinde etiam erat pro medicamento, atque sic

z) VIII. histor. c. XVIII. a) conf. Valer. Max. lib. II. 5.
b) III. de nat. Deor. p. m. 251. c) lib. III. p. m. 397.
d) pro A. Cluent. p. m. 277.

ſic bonum, Hanc legem Iulius Caeſar in dictatura perpetua repetiit, vnde propter nominis honorem Iulia potius, quam Cornelia audiit. Aut nomen aliquandiu habere non potuit, quod facta Sullae tyrannica legi forent contraria. Seneca: e) *L. Sulla deſcendit ad forum gladio: capita conſularium patitur adpendi, et pretium caedis per quaeſtorem ac tabulas publicas numerat. Haec omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit.* Sed iureconſulti poſtmodum, quando leges Cornelias omnes conquirerent, eam primo auctori ſuo adferuere, Corneliamque f) *de ſicariis et veneficis* iterum adpellauerunt.

§. LXIV.

5) LEGIS IVLIAE DE IVDICIIS. DE HASTA ET POTESTATE IVDICII X. ET C. VIRALIS IVRE ANTIQVO.

Auguſtus praeter leges inſigniores, quas notare adhuc poſſemus, iudicia cum cura ordinauit, et hoc fine munus legale pariter executus eſt. Suetonius: g) *vt centumuiralem haſtam, quam quaeſtura functi conſueuerunt cogere, decemuiri cogerent.* Haſta tanquam iudicii ſignum pro ipſo iudicio ponitur. Mos hic antiquiſſimus fuit, non apud Romanos tantum, ſed alias quoque gentes, diebus iudiciorum ſolennibus, certa in publico ſymbola exhibere, quibus monerentur actores et rei, vt ſeruirent tempori, atque cauſſas ſuas peragerent. Ac quemadmodum faſces deſignabant conſularem poteſtatem, ita iudicialis haſta praetorum, centumuirorum iurisdictionem et auctoritatem ſignificabat. Pertica Longobardis idem fuerat, gladius aut ſpatha Francis, tandemque crux ad mallum erecta, de quibus alibi. Ad haſtam ſuam Romani lites obuias quotidie diſcutiebant, maxime quae

e) de prou. cap. III. f) l. 1. ff. ad L. Corn. de Sic. g) in Aug. cap. XXXVI.

ex hereditatibus, iniuriis, contractibus oriebantur. Haec est ratio, quare Pomponius *decemuiros litibus iudicandis* dicat, quae adpellatio sane antiquissima est. Legitur quidem ibi, *in litibus iudicandis*, auctoritate Florentini codicis, vnde interpretes more suo formant sensum, quem opinioni conceptae putant aptiorem. Antiqua formula et scriptura est, ex tabularum aeuo repetenda: XVIRI STLITIBVS IVDICANDIS: quam in marmoribus, et aeneis columnis, aetate sua Romani legebant passim. Ita similiter per euphoniam, atque sibilum dicebant, STLOCVS, ac STLIS pro lite. Tabula XII: PRAETOR STLITIS ARBITROS TRIS DATO. Laeuinus Torrentius ad Suetonium plura suppeditabit. Decemviri ipsi quinam fuerint, ab Vlpiano [h]) in fragmentis declaratur hauddubie, vbi de manumissione in consilio: *in consilio*, inquit, *adhibentur Romae quinque senatores, et quinque equites Romani.* Etenim praeter iura rerum ad decemuiros etiam pertinebant iura personarum, de libertate inprimis. Confirmat sententiam istam Dio, [i]) nisi quod equites inter decemuiros fuisse plures commemoret, ac quod nemo ex hoc iudicio legi in senatum potuerit, nisi alium gessisset insuper magistratum, cuius intuitu senatoriam dignitatem adipisceretur. De caussis porro addit, iudicasse decemuiros de iis, quae forte antea deferebantur ad centumuiros: *καὶ οἱ δέκα, οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι.* Iam vero, quaenam caussae illae praesertim fuerint, dubitatur a multis. Verior sententia est, non nisi ciuiles huc fuisse relatas, exclusis omnino criminalibus, nec obstante, quidquid de his ex Ouidio et Quintiliano proferat Cuiacius. [k]) Hic enim *capitalia* vocat *iudicia centumuirorum.* Raeuardus capite XX. *pro-*

h) §. 8. de libert. i) LIII. histor. p. m. 618. k) IV. Instit. orat. c. 1.

protribunalium idem prodiderat, alias in hisce studiis explicandis diligens et accuratus. Verum satis constat, non solas dici capitales illas lites, quando poena capitis irroganda est, aut vita periclitatur ipsa: sed et quando fama, libertas, aut similis grauior caussa deducitur in iudicium, ea perinde capitalis dicitur. Tyronibus in iure quotidianum est, caput accipi pro statu hominis, qui triplex semper fuit, libertatis, ciuitatis ac familiae. Atqui de his iudicasse centumuiros ex Cicerone discimus: [l]) *iactare se in caussis centumuiralibus, in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuiorum, circumluuiorum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versantur.* Personalia et realia, methodo iuris antiquissima, istius fori materiam propriam declarauerat: iam vero quasi reliquisset in prima obiecti parte aliquid, statim exprobrat oratori futuro, et caussarum centumuiralium patrono: *cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis, an peregrinus, seruus an liber quisquam sit, ignorare sit insignis impudentiae.* Vnde controuersias intelligimus capitales, siue quae de statu hominum agitabantur, huc quoque pertinuisse, quamuis multi nondum Ciceroni adsentiantur, et quae numerat longiore serie capita, alterius fuisse iudicii opinentur. Siccama de iudicio hoc data scripsit opera, et quid ex vetustis rite adfirmari de eo, negarive possit, eleganter discussit.

§. LXV.

6) ABROGATI PER TIBERIVM IVRIS ASYLI.

Animus non est, cuncta tam studiose prosequi in legislatione Imperatoria, et qualis ea fuerit per singula capita: sed per saturam veluti adiiciemus, quae in sequentibus

l) de orat. p. m. 124.

tibus videntur notabiliora. Tiberius *aboleuit ius et morem asylorum, quae vsquam erant*, Suetonio scriptore, XXXVII. capite, in vita illius. Rationem statuti huius per principem indicat nobis Tacitus, [m]) quod templa Graeciae potissimum complerentur pessimis seruitiorum, eodem subsidio vterentur obaerati aduersum creditores, suspecti capitalium criminum receptarentur, nec fere vllum satis validum esset imperium coercendis populi flagitiis. Iussit igitur Tiberius, vt ciuitates mitterent iura, simulque legatos, cum quibus ipse tanquam supremus legislator ageret, et iure emendaret. Quod praecipue factum memoratur in iure asylorum. Hinc adeo probe intelliguntur Suetoniana, quae *de asylorum iure et more* profert, passim in ciuitatibus recepto, iam vero, penitus sublato, auctoritate principis. Beneficium hoc ab initio datum iis, qui homicidio vel necessario, vel etiam fortuito maculati, cogebantur fugere, ne in sanguinis propinqui vindicem inciderent, et caussa indicta morerentur. Et sane antequam templa hinc inde excitarentur, in vrbibus arae publicae, in priuatorum aedibus foci, erant loca sanctiora et tutiora, vbi aduersus inuadentium furorem sese tuerentur: aut si neque penetrare ad mediam domum possent, supplicum ritu ad genua procidebant. Herodotus: [n]) *ἄνθρωπε, τίς τε ἐὼν, καὶ πόθεν τῆς Φρυγίης ἥκων, ἐπίστιος ἐμοὶ ἐγένεο. homo quis tu? et quo loco Phrygiae egressus mihi supplex factus es.* Heraldus I. libro, *digressione XXVI*, ad Tertulliani apologeticum, ab eodem instituto, Iouem *ἐπίστιον* dictum esse putat, quasi focorum praesidem, quorsum confugiebant supplices, ibi futuri securi. Alias iura haec supplicum a Graecis communia vocantur, *κοινοὶ ἱκεσίας νόμοι*, de quibus Grotius [o]) videatur. Sub imperatoribus quoque

m) III. annal. cap. LX. n) lib. I. cap. XXXV. o) II. de I. B. cap. XXI. 5.

que statuae cum aris parem habuere vim, vt qui ad illas sese reciperet, siue seruus, maleficus, obaeratus, siue miserabilis persona quaeuis, non aliter quam in asylo defenderetur. Lex de his Valentiniani p) singularis est, vbi contra Gothofredum patrem Io. Strauchius demonstrat, *legibus vindicari* idem esse, quod iure ac legibus contra dominum adseri, per actionem in rem peti, ne possit seruum iste statim arripere, sed vt lege agat, dissertatione q) *de centum lapidibus vrbicariis*. Postquam vero perfugium in templis, et apud statuas principum, quaererent homines nefarii, nec raro subducerent ita se poenae flagitiis debitae: asyla noluerunt in his permittere amplius Imperatores, et per ea iustitiae velut obicem ponere. Ac licet christiani principes aliquando post tolerarent illa, quatenus nimirum iurisdictioni magistratuum haut obessent, sicut ex legibus eorum intelligimus, inprimis Iustiniani, *de his qui ad ecclesias confugiunt*, tamen impunitatem facinoribus ita minime dederunt. Quodque Tiberius in praesenti fecit, idem Carolo r) M. placuit, quando sceleratos quidem in atrio ecclesiae tutos esse voluit, sed qui confiteantur delicta, et per manus lictorum ad discussionem in publico producantur. Conferri meretur Groenevvegen; ad titulum codicis modo laudatum, Petrus Sarpus integro libello *de iure asylorum*, et Nic. Mylerus, de eodem argumento, satis ampliter.

§. 66.

7) LEGVM CLAVDII DE IVDICIIS, FIDEICOMMISSIS, VNDE LEX F. P. DICTA SIT MISCELLA?

Claudii Caesaris studium, circa leges et iudicia, prorsus laudabile est, nec omissum a priscis, qui res illius memoriae prodiderunt. Inter hos mihi primas tulisse

p) l. vn. C. de his qui ad stat. q) §. 8. n. 11. r) cap. CXXXIV. ex collect. Ansegisi.

lisse semper visus est Suetonius, qui aliquot locis effert inprimis Claudii curam in foro, in iusto aequove colendo. *Ius*, inquit, *et consul, et extra honorem laboriosissime dixit, etiam suis suorumque diebus solennibus, nonnumquam festis quoque antiquitus et religiosis.* Exemplo videlicet Imperator suis esse voluit, in reddendo iure nullum non tempus praetermitti debere, quod nihil sit in ciuitate magis exitiale, quam vel protrahere, vel denegare iustitiam pressis hominibus. Et cum non raro iudiciales ac stati dies interrumperentur feriis ac diebus religiosis, quarum praetextu lites continuarentur, inque foro induciae frequentiores fierent, malo huic remedium allaturus Caesar diuisit sacra a profanis, et ante meridiem DIIS praecepit vacandum esse, a meridie vero, in festis etiam, iudicia voluit aperta. Ita autem temperabat praetorum atque consulum ferias imperatiuas, pro arbitrio potestatis suae indici solitas, ne forensia negotia differentur longius. Prudenter Cassius apud Tacitum: [s]) *oportere diuidi sacros et negotiosos dies, quibus diuina colerentur, et humana non impedirentur.* Insigne testimonium porro habemus in capite XXII. Suetonii: *quaedam circa caerimonias ciuilemque ac militarem morem, domi forisque, aut correxit, aut exoleta reuocauit, aut etiam noua instituit.* Quibus secundum triplex obiectum legislationis executus est Claudius, quae in manu sua erant. In Papia Poppaea lege caput antecessoris, quasi sexagenarii generare non possent, correxit. Vt adeo lex haec tot mutationes, tot abrogationes, in diuersis partibus sentiens, non a conditoribus suis amplius, sed a materia et varietate rerum, adpellaretur denique *miscella.* Quae in iudiciis, inque sacerdotiis noua instituerit, ibidem pluribus declaratur a Tranquillo. Antea si qui agens, intentione sua, siue libello, vt hodie loquimur,

s) XIII. annal. p. m. 296.

mur, [t]) plus esset complexus, quam ad eum pertineret, caussa cadebat: sed hoc pariter emendauit. Suetonius: [v]) *iis, qui apud priuatos iudices plus petendo formula exciderint, restituit actionem.* Antea diuisum erat iudicium de caussis ciuilibus obuiis in aestiuum et hibernum: ipse vero instituit, vt prout res inciderent, ita quoque tractarentur sine mensium discrimine. Iurisdictio sic expeditior, ac litium series breuior erat. Fideicommissa praesertim lento processu diiudicabantur, quod in vrbe tantum, et semel quotannis delegati magistratus ea curarent. At hic praeter sedecim praetores, ab Augusto constitutos, testificante Pomponio, [x]) qui de fideicommissis ius dicerent, duos adiecit in vrbe, et in prouinciis eandem iurisdictionem *potestatibus demandauit.* Quae verba postrema Suetonii explicat Vlpianus in fragmentis: [y]) *fideicommissa non per formulam petuntur, vt legata, sed cognitio est Romae quidem consulum, aut praetoris, qui fideicommissarius vocatur, in prouinciis vero praesidum prouinciarum.* Quod tamen huc spectat praecipue ius nauticum, a Rhodiis petitum, idem firmauit Claudius, ac diu desideratam iurisprudentiae Romanae particulam adiecit nobilem, sicuti *capite nono* praeclare hoc describit Iac. Gothofredus, dissertatione ad legem *ἀξίωσις*, singulari industria ac methodo iuris facta.

§. LXVII.

8) LEGIS CINCIAE PER NERONEM RESTITVTAE, ABROGATA LEGE CLAVDII DE HONORARIIS PATROCINIORVM.

Neronis vita sicut varia, inprimis extrema non nisi vitiis inquinata fuit, ac tyrannicis cupiditatibus: ita quae legum sub illo Romanarum fatalia statuere debeamus, in pro-

t) §. 33. Inst. de action. v) cap. XIV. in Claud. it. XXII. et seqq. x) l. 2. ff. de O. I. §. 33. y) tit. XXV.

procliui est. Animus principis corruptus, fori ambitus, iudicia corrupta, saeuitia oratorum, et accusationes minitantium, sub haec tempora a scriptoribus deplorantur. Accedebat proditorum colluuies, qui optimos quosque, modo principi redderentur inuisi, ad perniciem traxere: et vt hoc agerent, praemiis stimulabantur. Iungebantur caussidici, quos coruos forenses, pro saeculi moribus adpellant, non amore honesti aut iustitiae, quam prouehere opus erat, sed vt vel ipsi munera illegitima captarent, vel per clientes iudicibus offerrent. Sic vero malis inuoluebatur necessariis, quicunque in foro tenebatur agere. Tacitus: [z]) *nihil publicae mercis tam venale, quam aduocatorum perfidia.* Scilicet ex habitu istorum temporum: qui ibidem ostendit, lui contagiosae huic posuisse obicem Silium consulem, virum aequitatis studiosum, et acriter incubuisse, vt malitiosi homines, legum violatores, Suilius, Cossutianus, et ceteri aduocati, tanquam rei condemnarentur. Ad haec statim adparuerunt sordidi, poenae metu, ante acta confitebantur. Claudiano aeuo haec fiebant, qui imperator etiam quod patres prouocarent ad legem Cinciam, eamque reuocari vellent, temperamentum adhibuit, et capiendis pecuniis modum posuit vsque ad dena sestertia, pingue honorarium patrocinii, siue decem millia nummorum sestertium. Vlpianus [a]) effert summam per *centum aureos:* vbi vide Gronouium patrem *lib. II. de pecunia veteri, capite V.* Licita haec erat quantitas, moderatione Claudii, quam tamen egressus, repetundarum tenebatur. Ad moderationem hanc, pro auctoritate summa, Claudius Nero, sustulit omnino, et puram voluit esse Cinciam legem, sine obrogatione, aut moderatione cuiusquam alterius. Tacitus iterum: [b]) *multa senatus arbitrio constituta sunt,* sub

z) XI. annal. cap. 5. p. m. 219. *a)* l. 1. ff. de extraord. cogn.
b) XIII. ann. c. 4. p. m. 275.

ſub primordia Imperii Neroniani, inter quae ſaluberrima hoc quoque fuit, *ne quis ad cauſſam orandam mercede aut donis emeretur.* Blandimenta tyrannica erant ſaeuiſſimi principis, qui ſenatui conceſſit, quod ſeruare nolebat. Neque enim exſiſtentibus amplius, qui praedarentur in foro, et praeuaricatione multiplici cauſſas proderent, Imperatori patere ciuium diuitiae non poterant, quibus inhiabat vel ipſe, vel qui circa illum haerebant aulici, ciuitatis purgamenta. Mutauit itaque ſine dubio legem, prout vitam mutauit, et ſenatusconſultum Claudianum, in odium patrum, denuo valere iuſſit, de imminuta Cinciae legis poteſtate. Ita enim Suetonius: [c]) cauit, *vt litigatores pro patrociniis certam iuſtamque mercedem darent.* Sub Traiano, principe optimo ita ſtatutum fuit: [d]) *omnes qui quid negotii habebant, iurare priusquam agerent iubebantur, nihil ſeſe ob aduocationem dediſſe cuiquam, promiſiſſe, cauiſſe. His verbis, mille praeterea et venire aduocationes, et emi vetabantur* Fata legis huius erudita commentatione illuſtrauit Fridericus Brummerus, Lipſienſis, iam alibi laudatus.

§. LXVIII.

9) LEGIS VITELLII DE MATHEMATICIS.

Vitellius mathematicis infenſior, quippe eius mandato vt quisque delatus erat, inauditus capite puniebatur. Ex συνθέσει adparet veterum, qui *mathematicos* et *vernaculos* coniungunt, per illos homines intelligi vanos aeque ac portentoſos, qui vel incertis ac fallacibus ſuis praedictionibus, vel intemperantia oris, ac ridiculis inventis pelliciunt vulgus imperitum. Iam vero quod mobile ſit iſtud, et mira ſuperſtitione ducatur, innumera per hos mala concitari poterant. Notabile cumprimis, nomen mathematicorum olim honorabile, tunc vile-

c) in Ner. cap. XVII. d) Plin. lib. V. ep. vlt.

vilescere coepisse, quando vaticiniis detiti essent, atque ex cursu astrorum, siue bona, siue mala dubio euentu praenotarent, magno artis ludibrio. Pythagorae schola mathematicos colebat, qui altiores disciplinas iam discere et meditari inceptauerant: postmodum autem, teste A. Gellio, e) quos *gentilitio vocabulo Chaldaeos dicere oportebat, mathematicos dixere.* Qui stellarum potestati subiecerunt omnia, ipsa etiam fata. Impia secta vrbe toties eiecta, semper tamen retenta: quae cum probe sentiret, intutum esse, quidquid ex hac arte de imperatoribus praesignaretur, stellarum cursibus exemerunt eos. Iulius Firmicus: f) *sed nec aliquis mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit. Solus enim Imperator stellarum non subiacet cursibus.* Qui igitur vitam praenuntiant longaeuam, et summa omnia, tolerantur in principum curiis, licet manifesta sint indicia, nihil ex his constare sibi, aut diuturnum fore. Et quod fieri talia vix possent ordine naturali, iidem prolapsi sunt ad prohibitas artes, ac daemonis ope plurima egerunt ad perniciem societatis humanae. Zosimus, *libro quinto* exemplum narrat, de Tusciae aruspicibus, *capite XLI*, et christianis exprobrat rei vanitatem, vbi plura legantur. Gentiles, interque hos Vitellius, ferre non poterant genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: Christiani ex sanctitate melioris disciplinae abominabantur, quare in vtroque codice *Theodosiano et Iustinianeo* de maleficis et mathematicis paria edicuntur. Qui patrum ecclesiae sententias requirit, ei praestat has erudite Ioannes Filesacus, *de Idololatria magica*, itemque Naudaeus, *de mathematicis*, magiae suspectis.

§. LXIX.

e) 1. noct. Attic. c. IX. f) 11. Astronom. cap. vlt.

§. LXIX.

10) CVRAE VESPASIANI POST RESTITVTAS TABVLAS AEREAS SVB NERONE CONFLAGRATAS, ET TITI DE FINIENDIS LITIBVS.

Quae Neronis vecordia perierant, igne fatali exustae tabulae, in vrbe passim fixae, siue posteriore lege, aut principum constitutione inualidae noscerentur, iam quasi sepultae videbantur: nisi Flauium Vespasianum Augustum melior huc sententia traxisset, vt iurisprudentiam veterem instauraret, quam alias corruperant in foro iurgiorum patroni, nouaque iura sibi dudum exoptauerant. Suetonius: [g]) *aerearum tabularum tria millia, quae simul conflagrauerant, restituenda suscepit, vndique inuestigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcerrimum et vetustissimum confecit: quo continebantur paene ab exordio vrbis senatusconsulta, plebescita.* quae ad vtilitatem communem facta quondam et concessa fuerant. Laudem vtique meretur studium Imperatoris, quam ipsi Tranquillus adscribit. Videtur tamen ex aeui sui more pro *lege* posuisse *senatusconsultum*, quia antequam ferretur illa, sena usconsulto in libertate opus erat. Postquam vero sub vnius arbitrium redacta erant omnia, orationem in senatu habebat princeps, aut recitari iubebat, quam senatusconsulto firmabant patres, et hinc pro lege inualuit sub Imperatoribus senatusconsultum. Nec minus inuentum est saluberrimum illud de litibus cito definiendis atque expediendis. Ibidem: [h]) *sorte elegit, qui iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuissimum numerum.* Idem filius quoque Titus Caesar egit, [i]) qui inter aduersa temporum numerabat mandatores delatoresve. litibus protrahendis potissimum inseruientes, quos tanquam pestes e ciuitate

g) in Fl. Vesp. cap. VIII. h) cap. X. i) in Tito Vesp. c. VIII.

cum ignominia eiecit, flagris caesos ac fustibus. Inter hos pariter comparebant forenses et comitiales illi homines, qui exploratis ciuium bonis animisque in iudiciis mira calliditate versabantur, modo ne caussa prius finiretur, quam et sibi et iudici acri vendidissent lucro, vnde pars litigantium vtraque non gauderet nimiopere. Et vt haec scelera tanto maiore specie miseris placerent, iustitiae cuncta imputabantur. Vespasiani igitur, tot malis oppressam patriam liberaturi, artes perniciosas hasce diligenter prohibuerunt, ne vel in posterum proderentur nouae, aut excogitatae iam excolerentur amplius. Hoc enim munus est augustum et regium, prospicere omni cura, vt contra fraudes improborum persistant innocentes. Ad praetorem deinceps, velut iudiciorum ἐπόπτην hoc munus relatum, teste Iuliano: ***ad officium eius pertinet, lites diminuere.*** k) Legunt quidem heic alii ***dirimere***: rerum sensu parum immutato, quia lites diminuens ex pluribus facit pauciores: sic et qui dirimit lites, et controuersias forenses, eas ad finem perducit, ac facit ne sint perpetuae. Vlpianus de praetore simillima profert: ***ad curam et sollicitudinem eius pertinet, studere, vt lites finiantur.*** l) Res ista hodienum efficacissima noscitur, ad lites expediendas, et ad partes conciliandas, ne per ambages in iudicio, siue per tot impensas contendant ad terminum, quorsum ire facillime possunt, si aut constitutis arbitris, aut ex suasu iudicis ordinarii, de iure suo paullulum recedere, et potius transigere quauis ratione amicabili velint, quam diutius curis atque tot sportulis inexpectatis confici.

§ LXX.

II) TRAIANI, RESCRIPTA IVS FACERE VETANTIS.

Traiani aequum, quasi noui saeculi beatissimum auspi-

k) l. 21. ff. de reb. cred. l) l. 3. ff. de recept. qui arb.

ſpicium praedicatur: ſed hic fere anteceſſorum, ex gente Flauia, preſſit veſtigia. Leges a populo libero conditas, et huc vsque, non ſine maximis reipublicae commodis, vel retentas, vel reductas, fato pulſas, diligentiſſime obſeruauit, nec paſſus eſt, ciues delatoribus fieri obnoxios. Plinius: [m]) *vidimus delatorum iudicium, graſſatorum, quaſi latronum: non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant. Nulla iam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum auaritia principum Aduertiſti oculos atque vt ante caſtris ita poſtea foro pacem reddidiſti: exſcidiſti inteſtinum malum, et prouida ſecuritate cauiſti, ne fundata legibus ciuitas euerſa legibus videretur.* Haec ſane non ex colore quodam, ac figura dicentis, internoſci debent, ſed ex optimi principis mente, habituque regiminis: quia concedere voluit minime, vt leges optimae de prudentia veterum ſuperſtites, Imperatorum reſcriptis propter vſus priuatos abolerentur. Ratio nec al unde petenda, cur principum reſcripta iam olim male audierint. Capitolinus teſtis eſt idoneus, in Opilio Macrino: [n]) *Fuit in iure non incallidus, adeo vt ſtatuiſſet omnia reſcripta principum tollere:* VT IVRE, NON RESCRIPTIS AGERETVR *Nefas enim eſſe dicebat, leges videri Commodi, Caracallae, et aliorum imperitorum voluntates: cum Traianus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſſas, reſcripta praeferrentur, quae ad gratiam compoſita videbantur.* [o]) Gruterus quidem putat, voces aliquot de poſtremis abiici poſſe, ad maiorem lucem in contextu: ſed ita non curantur vulnera, quoties exſcinduntur, quae ſunt integra. Senſus eſt apertus, per ſequentia: Traianus quae reſcripſit, in varia cauſſa, ſibi

m) cap. 34. paneg. *n*) cap. XIII. p. m. 322. *o*) In textu eſt, facta: ſed facta hoc loco deſignant reſcripta, ſententias: ſicut ex indice Florentino diſcimus, vbi ſententiarum et factorum libri coniunguntur.

propofita, illa non voluit, vt pro lege haberentur vniverfali propter gratiam erga fingulares perfonas, quae ad omnes fine difcrimine proferri nequit. Ifta fatis certa funt, nec vllam difficultatem habent amplius, propter immunitatem nonnullis conceffam, qua fe publicis et communibus fubducere volebant oneribus.

§. LXXI.

QVOD VERVM DE RESCRIPTIS TAM GRATIAE QVAM IVSTITIAE. DE MODO RESCRIBENDI. QVID RESCRIBERE FVERIT ANTIQVITVS.

Neque his faltem temporibus, fed in republica femper, inque imperio non aeque ferebantur *refcripta gratiae.* Memorabile eft, quod Valentinianus fenior paria refcripferit, ad fingulorum iura, benigniore fuffragio impetrata, vel emendicata potius, abolenda: [p]) *fi quis priuatorum huiusmodi refcriptione nitatur, caffa eadem fit.* Immo nec fola, verbis Capitolini, fignificari videntur gratiae refcripta, fed et *refcripta iuftitiae,* quae pro temporum fequentium genio, *diuinae iuffiones*, item *facrae leges*, et *Imperatoriae conftitutiones* adpellantur. His vero obuiare *facrilegii inftar eft.* [q]) Plena manu haec elogia cumulat lac. Gothofredus, ἐν παρατίτλῳ *C. Theodofiani de diuerfis refcriptis.* In refcriptis iuftitiae non vna obtinebat ratio, fi legitime deberent impetrari. Capitolinus potiffimum agit de refcriptis ad libellos, qui offerebantur Imperatoribus, in cauffis longe plurimis, vbi nec modus certus, nec difinitio certa habetur. Plerumque erant preces ac defideria miferorum, grauatorum, prefforum, inque dubio iure fluctuantium. Faciunt huc ea, quae notauit Suetonius in vita Augufti: [r]) *tanta comitate adeuntium defideria excipiebat, vt quendam ioco corripuerit, quod fibi libellum porrigere dubitaret.* Erat autem

p) l. 6. C. de vectig. q) l. 5. C. de diu. refcript. r) cap. LIII.

autem rescribere praesertim, cum princeps libello *subscriberet*, ac precibus annueret, siue ut Capitolinus ait, *libellis responderet*, formula et conditione addita: *si preces veritate nitantur*. item: *si probaueris*, allegata nimirum in libello. Peculiari sensu olim *rescribere* dicebantur aere alieno obstricti, si debitum redderent: quemadmodum tunc *scribere* dicebantur, quando nomen tabulis inferebant, ac mutuum sumebant. Hinc et passim apud veteres, inque fragmentis pandectarum, occurrit *scriptura mensae*, scilicet argentariorum, ex qua obligabantur obaerati: quae successu temporis abiit in *contractum litteralem*, sicut vulgo constat. Verum haec sunt priuatorum rescripta, ex quibus nulla pertimescenda legibus mutatio. Imperatores plerumque deinceps respondebant per epistolas integras, quae sub rescriptorum titulis exstant, ac frequentantur hodienum. Brissonins *in Formulis*, [s]) et Gothoiredus, [t]) ad *legem*, ἀξίωσις, luculenti sunt interpretes.

§. LXXII.

SANCTIONES PRAGMATICAE IVS FACIEBANT IIS TANTVM QVIBVS PROMVLGATAE.

Alia via erat, quoties ad consultationes magistratuum, praefectorum atque praesidum rescriberent Imperatores: id quod saepius factum in caussis grauioribus, cum non viderent in legibus, vbi tuto subsisterent, nec sententia iuridica possent negotia definire. In his autem, sicut in antecedentibus, omne dubium eximitur per iura Codicis [v]) indubitata: *non generalia iura sint rescripta, sed leges faciant his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus promulgantur.* Vbi tamen per vim edicti rescriptum valere, aut certam inserere caussam illi voluerit princeps, quae ex hoc eodem decidenda sit, quoties in

[s]) lib. 3. p. 292. [t]) cap. I. [v]) l. 2 et 3. C. de LL.

in iudicium delata fuerit, tunc aliter sentiendum. Est namque *edictis propositis* vulgare, pro communi vtilitate ac salute aliquid constituere, et in notitiam omnium perferre. Loca sunt obuia. Argumentum hoc excussit omne, Doctor meus, Io. Schilterus, elimato scripto, *de stylo curiae*, non ex meris formulis concinnato, sed ex iuribus, et fori experimentis, quibus per tot functiones innutritus est.

SECT. II.

DE POTESTATE ET EDICTO PRAETORIS SVB IMPERATORIBVS.

---

§. LXXIII.

PRAETORVM IVRISDICTIO ET AEQVITAS. EDICTA REPENTINA ANNVA: HAEC OLIM NON PERPETVA.

Occasione, rescriptorum, vi edictali vulgatorum, porro agendum est de fatali perpetuitate edictorum, quae sub praetoribus quondam fuerunt annua, pro iurisdictionis et magistratus honore annuo. Qui enim edictorum genera varia tradunt, fere ad haec duo respiciunt, ad iurisdictionem praetoris, quam certis in edicto capitibus explicabat: itemque ad magistratum, quatenus perinde edicto imperabat praetor, quae sibi visa essent aequa et honesta. Adpellant edicta haec alias *monitoria*, siue etiam *peremtoria*. Vlpianus: [x]) *si quis dolo malo corruperit id, quod iurisdictionis perpetuae caussa, non quod propo-*

x) l. 7. ff. de iurisdict. l. 68. 69. 70. ff. de iudic. l. 2. C. quomodo et quando iudex sentent.

propositum erat in albo, prout res inciderat: quibus vltimis indicantur monitoria edicta. Neque in principio horum formula erat: BONVM FACTVM. Praemittebatur ista, non solum boni ominis caussa, et vt fauorem populi conciliarent sibi: verum vt simul testarentur, quam praeclare cum singulis ageretur in iure versaturis. Quippe rigorem legis vtplurimum temperabant praetores, et ex rectae rationis dictamine, vnde tanquam ex fonte manarunt leges, vel supplebant in iure reddendo, quae addi poterant, vel mitigabant, quae simpliciter in legibus accepta, videbantur duriora. In his autem consistit illud *bonum factum* praecipue. Equidem sunt inter doctores, qui propter iuris naturalis, et aequitatis custodiam, edicta praetorum facile mutari non potuisse statuerunt, et sic perpetua dixerunt omnia. Sed alia sunt edicta praetorum, quibus tantum proponebant formulam iurisdictionis, eiusque ambitum describebant: alia sunt decreta, et iura reddita post sententias iudicum. Mutabantur, aut finem habebant, cum KL. Ianuariis, edicta praetorum, quod simul potestas illorum mutaretur: contra quae in edictis vel ad exercitium iurisdictionis, et ordinem iudicii pertinebant, vel ex iure praescripto ac recepto, mutari fataliter non poterant, ea sane obligabant quoque successores, in munere praetorio, licet non eadem in persona maneret potestas. Inde tamen non sequitur, quod edicta praetorum annua sint perpetua. Notabile enim est discrimen inter ea, quae per se valida siue inconcussa sunt, et inter ea, quae valent iure magistratus.

§. LXXIV.

POTESTAS PRAETORIS SVB CAESARIBVS IMMINVTA. EDICTVM HADRIANI PERPETVVM VI LEGIS SANCITVM.

Praetorum honor iuxta et potestas, sub principatu, non pari continuabatur iure, sicut in republica: quare

nec edicta praetorum hisce temporibus paria habebant fata, sicut fieri consueuit, quoties idem ius cum pluribus communicatur. Neque enim in vrbe tantum, inque praecipuis vrbis locis, sed in prouinciis e iam a praesidibus edicta sunt proposita, immo et a principibus, eaque satis copiosa. Suetonius in Claudio [y]) *vno die viginti edicta proposuit.* Ita vero et edictorum, et praetorum auctoritas coepit imminui necessario, postquam inter arcana dominationis erat, paullatim insurgere, omnemque in se potestatem transferre: de quibus modo egimus, in explicatione legis regiae. Qui igitur iurisprudentiae Romanae periodos consignant, ad easdem referunt inprimis edicti perpetui compositionem, suo Adriano Caesare. Si enim legis vim obtinere debebat edictum illam a legislatore procul dubio habebat: vt adeo sub principatu hinc vnice iuris origo sit repetenda Atqui vaga in vrbe, inque prouinciis, tot saeculis circumferebantur edicta, quae secundum varios, et multiplices casus, praetoribus in tribunali propositos, summam praestabant vtilitatem in iure reddendo: quia instar rerum iudicatarum erant, ac propter aequitatem ipsis quoque succumbentibus in foro placebant. Cicero non sine caussa iungit edicta, res iudicatas, ac prudentum responsa, vbi de iure ciuili, eiusque partibus differit: [z]) *ius ciuile in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more et aequitate consistit* Ne autem dispersa semper iacerent edicta, et iam vilescente potestate praetorum, successu temporis interirent prorsus, Adrianus id muneris dedit Saluio Iuliano, iurisconsulto, aetate sua magno, et senatori in aula, vt colligeret illa, inque certum ordinem redigeret. Fata legum caussa impulsiua erant, cur tam vaga et saepius latitantia edicta, velut membra discerpta in vnum corpus effingerentur. Iustinia-

[y]) cap. XVI. sub fin. [z]) in Topic. ad Trebat. p. m. 278.

stinianus testis est, omni exceptione maior: [a]) *diuinae res sunt perfectissimae: humani vero iuris conditio decurrit in infinitum, et nihil est in ea, quod stare perpetuo possit.* Quasi diceret, eadem caussa me stimulauit, ad pandectas concinnandas, ex immensis prudentum voluminibus, quae mouit ante me Adrianum, vt ad edictorum digestionem, in certos titulos. auctor fieret Iuliano. Sic enim porro testatur, in praefatione altera, ad magnum senatum: *Ἀδριανὸς, ὁ τῆς εὐσεβοῦς λέξεως, τὰ παρὰ τῶν πραιτώρων κατ᾽ ἔτος ἕκαστον νομοθετούμενα, ἐν βραχεῖ τινι συνῆγε βιβλίῳ, τὸν κράτιστον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παραλαβών.* *Adrianus piae memoriae, edicta praetorum, quotannis proposita, breui complexus est libello, adsumto ad id Iuliano, viro praestantissimo.* Apparet itaque, cuius auctoritate ius edictale valuerit in posterum, Caesaris nimirum potius, quam auctoritate praetoris vllius: quod nec obscure intelligitur, ex verbis Iustiniani sequentibus, de confirmatione pandectarum: *hoc non primum a nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia: quia Iulianus, legum et edicti perpetui subtilissimus conditor, in libris suis retulit, vt si quid imperfectum inueniatur, ab Imperiali sanctione repleatur.* Ibidem audit *sublimissimus testis*, ac lege penultima, itemque finali *de condict. indeb.* Saluius Iulianus *summae auctoritatis homo*, et praetorii *edicti perpetui ordinator* laudatur. Plura conduxit Io. Strauchius, *exercitatione VI*, ad L Decisiones, *cap.* III. *n.* 7.

§. LXXV.

DE ANNO PROMVLGATI EDICTI PERPETVI, ET DE COLLECTORIS EIVSDEM SALVII IVLIANI AETATE, GENTE, PATRIA.

Quo anno facta sit ista collectio, non annotatur a scriptori-

a) de confirmatione digestorum, ad senatum et omnes populos §. 18. item l. 2. C. de vet. iure enucl.

ptoribus, qui data opera hoc egerunt, aut non ſatis certo ab iis traditur. Tempore autem rite perſpecto, multum lucis inferri poterit ad euitandos ſcopulos, ſiue ne ad eosdem impingamus per tenebras. Euſebius in chronico, ad annum Abrahami 2147 *Saluius Iulianus perpetuum compoſuit edictum.* Hunc in annum CHRISTI, CXXX. menſe Decembri, incidere ait CL. V. Antonius Pagi, in *diſſertatione hypathica.* [b]) Si faſtos comparamus, tunc quidem conſules nominantur Q. FABIVS CATVLLINVS, M. FLAVIVS APER. quos tamen ſub eodem anno CHRISTI non deprehendimus vbique. Ratio eſt, quod interpretes temporum annos CHRISTI cum conſulatibus minus recte coniunxerunt. Alii enim aeram chriſtianam ab hoc, alii vero ab illo conſulatu auſpicantur, vt ſic interdum eos vno, mox duobus aut tribus annis, a ſe inuicem diſtare videamus. Quae res magnam perturbationem, in ſerie annorum, fert ſecum, licet non incerti ſint conſules. Petauium nos ſequimur in praeſenti, qui aeram ἐνσαρκώσεως inchoat a conſulatu Caii Caeſaris et Aemilii Pauli. Haec quoque ſententia fuit anonymi, quem profert Cuſpinianus, [c]) *ad Caſſiodorum*, ſub coſſ. LENTVLO et MESSALA. Qui ita verſantur in ſole, ac norunt, qua vixerit aetate Saluius Iulianus, illi ſtatim execrantur Aurelii Victoris [d]) errorem, qui collectorem edicti perpetui facit Didium Iulianum Auguſtum, Pertinacis Imp. ſucceſſorem. Ille ſub primordia ſaeculi ſecundi, hic ſub exitum vixit: ille proauus maternus, hic fuit pronepos: vt ſic alter ab altero non mediocri ſeparetur interuallo. Spartianus maiore fide et induſtria, in principio vitae Didii Iuliani, haec exponit: *Didio Iuliano, qui poſt Pertinacem imperauit, proauus fuit Saluius Iulianus*, et quidem *maternus*, ſicut mox addit. Grotius

b) part. 2. cap. XI. p. 209. c) in faſtis coſſ. p. m. 287.
d) cap. XIX. in vita Didii Iuliani.

tius in sparsione florum, ad enchiridion Pomponii, *de origine iuris*, sub extrema miscet spinam, ex eodem Victore. quasi edictum perpetuum Didius Iulianus Caesar digesserit. Verum tanto viro hoc est indulgendum facilius, quod sibi non proposuerit cum cura scribere, in sparsione libera, sed adiicere legibus, quae vel in schedis habebat, vel aliunde succurrebant, inter extemporalia. Praeter tempus igitur confusio solennis adparet in gente: quia gens *Didia*, ex qua Imperator fuit Iulianus, multum differt a *Saluia*, quae per affinitatem in Didiam inferebatur. Petronius enim Didius Seuerus neptem Saluii Iuliani duxit Vibiam Saluiam Varam, Didii Iuliani Augusti matrem. Reinesius, [e]) et ex illo Rupertus, [f]) gentis vtriusque Saluiae ac Didiae stemma dederunt, quod inspici meretur. Sic adeo certi sumus de Saluio Iuliano, sub Adriano, edicti collectore, et Didio Iuliano, qui a proauo materno retinuit cognomen, siue nomen familiae; secundum mores Romanorum, apud quos in vna gente plures familiae esse poterant, vel iure affinitatis, vel iure adoptionis. Onuphrius Panuinius, de *nominibus Romanorum* capite peculiari docet, quodnam inter gentem et familiam discrimen sit. Quemadmodum vero in tempore et gente aberratum esse videmus, ita plerosque in Saluii Iuliani patria falli nouimus. Pancirolus, Riuallius, Forsterus Eberlinus, Henelius, Guilielmus Grotius, vno ore *Mediolatensem* fuisse pronunciant. Sed vnde hoc probent, nusquam inuenient. Afrum fuisse, et quidem e colonia Adrumetina ortum, ex Spartiano intelligimus, non ex lapide Gruteri, sicuti visum docto cuidam: qui sine dubio non adhibuit opus inscriptionum. Eandem patriam habuit Clodius Albinus Imp teste Iulio Capitolino. [g]) *Fuit Clodius Albinus fami-*

e) III. Variar. cap. 2. p. 343. f) ad Pompon. lib. III. cap. 13. p. m. 470. g) in vita eius cap. I. p. m. 307.

familia nobili. Adrumetinus tamen ex Africa. Differt autem ab Adrumento, ſiue Hadrumento, frugifera colonia Africae, Adramyta ſiue Adramyttium in Aſia, Holſtenio notante, ad Stephanum Byzantinum. Inducti forte ſunt eruditi homines, a praua Spartiani interpunctione: vbi auus paternus Didii Iuliani vocatur, Inſuber Mediolanenſis. Sed iſte Didius erat Seuerus, qui cum gente ſua habebat amplas poſſeſſiones in Inſubria, ſiue vt hodie loquimur, in Lombardia trans-padana. Xiphilinus: [h]) Ιουλιανὸς ὁ Δίδιος χρηματιστής τε ἄπληστος καὶ ἀναλωτὴς ἀσελγὴς, νεωτέρων τε ἀεὶ πραγμάτων ἐπιθυμῶν πρὸς τοῦ Κομμόδου εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα τὸ Μεδιολανον ἐξελήλατο. *Didius Iulianus, homo pecunioſus, ac prodige luxurioſus, itemque rerum nouarum cupidus Mediolanum in patriam a Commodo relegatus eſt.* Cumque Didii coniungerentur arcta ſanguinis propinquitate cum Saluiis, fere pro vna gente reputabantur a noſtris, et hi non amplius diſcernebantur ab illis: quare neglecta Saluiorum origine, eandem repetebant ex Mediolano tantum. Sed falſo.

§. LXXVI.

QVO SENSV EDICTVM SALVII IVLIANI DICATVR PERPETVVM.

Reſtat breuiter vt explicemus, quod ſit apud Iuſtinianum: *edicta annalia* Saluius Iulianus, ἐν βραχεῖ τινι συνῆγε βιβλίῳ, *breui compoſuit libello?* Libellum adpellat Imperator, et quidem πλεοναστικῶς breuem. Iam vero qui ex indice Florentino referunt huc nonaginta digeſtorum libros, eos dicunt Iulianum edicto perpetuo tribuiſſe: qui ſane ad breuem libellum non quadrant. Verum in Graeco contextu non adparet libellus: deinde neç opus eſt, ad eiusmodi minutias haerere. Per verba ſua

h) in epit. XX. p. m. 304.

sua nihil aliud significare voluit Imperator, quam ex ingenti numero edictorum, Iuliani opera, factum esse compendium. Quis vero negabit, in compendiis quoque plures deprehendi lectiones: plures libros ac titulos? Menagius [i]) itaque cum Claudio Colombetto, qui numerum sine caussa auxerat, victor in arenam descendit: sed in *breui libello* non habet, vbi tuto subsistat. Qui apud Gallos edictum Iuliani reconcinnauerat, Guilielmus Ranchinus, per omnes digestorum libros, et multa addiderat, quae praetoribus in mentem non venerant, nonne dedit compendium, libellum? si in contentionem praecipue mittamus tot praetorum in vrbe ac prouinciis edictorum tabulas: quae tamen in potioribus conueniebant, nec facile continebant noua iuris capita, nisi per noua facta, et caussas forenses huc impellerentur praetores, vti iam vidimus. Hinc porro non sine ratione quis instat, quo se Saluii Iuliani *edictum* dicatur *perpetuum*? Nondum deméminimus, quae de lege non temere mutanda, abrogandave supra attulimus, in clausula: NE PER SATVRAM ABROGATOR. quin enim perpetuitas clausula hac describatur in lege, non dubitatur. Ex intentione ac voto legislatorum omnes leges perpetuae sunt et aeternae, sicut ex principiis earundem satis patet. Exempla tantum pauciora conferemus. Valentinianus et Gratianus Impp. [k]) de sententia scripta ac recitata, non corrigenda vel mutanda amplius: *hac lege perpetuo credimus ordinandum.* Leo et Anthemius: [l]) *hac edictali lege in perpetuum valitura sancimus.* Imperatores hos in constitutionibus suis imitati sunt Friderici, e domo Sueuica. Alter vulgo dictus Barbarossa *in authent. habita*, communi doctorum priuilegio, concludit: *hac igitur generali et in perpetuum valitura lege decernimus:* vbi pari sensu cum

i) cap. 24. amoenit. iuris ciuil p. 125. *k*) l. 2. C. de sentent. ex per. recit. *l*) l. 6. C. de secund. nupt.

cum Leone vocat legem *generalem*, quam ille dixerat *edictalem*. Alter nepos Barbarossae: [m]) *statuimus hoc edicto in perpetuum valituro.* Neque aliter Carolus IV. in aurea bulla: *decernimus et praesenti edicto Imperiali, perpetuo valituro, sancimus.* Verum vt ad edictum perpetuum nostrum respiciamus, id sine non fuit aeternum, ac semper duraturum: quia vix perpetua series illius restitui potest, in naufragio fatali antiqui iuris, vnde disiectas saltem tabulas, velut reliquias colimus. At neque hoc sensu perpetuum nominatur. Rittershusius in prooemio ad Nouellas, [n]) *perpetuum esse* statuit illud pariter, quod certo duntaxat spatio temporis perdurat, licet eo finito desinat, nec amplius superstet. Et haec significatio referri adhuc debet ad votum, et bonum omen legislatoris, quo ius condit non facile periturum. Non displicet mihi sententia, de edicto perpetuo, quam alii ex lege Cornelia, consensu quodam adprobant, quasi et *annua* non male dici queant *perpetua*, id est certa. Scipio Gentilis: [o]) *lex Cornelia tribunitia fuit, quae praetorum ambitionem hac in re coercuit, iurique certo ac perpetuo illos alligauit.* mox pergit: *lex Cornelia non edictum vnum perpetuum sequi omnes praetores voluit; sed praetorem vnumquemque ex edicto, quod initio anni proposuit, perpetuo ius dicere suo anno iussit.* Lipsius ad Propertium: [p]) *perpetuum ius dixisse videtur poeta, alludens ad praetorum edicta, quae tolli per alium praetorem, aut conuelli non poterant.* Sed neque repugnat sensus ciuilis, in particulis, *semper*, item *perpetuo*, cum inferuntur pactis et contractibus: quia vltra terminos iuris praescriptos non extenduntur. Io. Strauchius *in partic. lexico*, hac voce, n. 2. Hoc sensu frustra quaeritur: *annon post edictum perpetuum factum, actiones quoque praetoriae ex annuis*

m) de episc. audient. n) cap. III. n. 16. o) I. de iurisdict. cap. XXX. p) III. variar. lection. cap. XII.

annuis et temporalibus factae sint perpetuae? quippe natura iuri praetorio semel impressa, per nouam Saluii Iuliani collectionem, nec per auctoritatem Imp. Adriani, fuit mutata et adempta: sed quae antea fuerunt annales ex edictis, tales manserunt in posterum actiones praetoriae. Neque huc facit, quod edictum perpetuum alicubi veniat sub nomine *iuris*, item *legis*: cum satis luculentum sit, hoc fieri improprie, et ius tantum *honorarium* per illud significari.

SECT. III.

DE RESPONSIS PRVDENTVM SVB IMPERATORIBVS.

§. LXXVII.

DE AVCTORITATE ET SECTIS ICTORVM HOC TEMPORE.

Per facultatem, de iure respondendi, ab Augusto et successoribus concessam, quod iurisconsulti nouam et publicam indepti essent auctoritatem, coeperunt illorum sententiae tam pertinaciter coli a discipulis, vt nouae simul iurisconsultorum sectae orirentur. Id enim inter mortales quotidie videmus agi, studio ac libidine contradicendi, aut dogmata sua tuendi, vt homines dignitate quadam in republica praediti, et scientia non adeo miranda, per opiniones duntaxat incidentes anteponant sese doctioribus, eosque pro supercilio adspernentur ini-que, quasi penes se sit, et quidem solos, an huius illiusve nomen in orbe litterato diutius ferendum, an cum ignominia sit expungendum. Cum hisce iunguntur mox imperiti ex superioribus, ex inferioribus autem dicaculi,

qui sententias istorum vulgant in compitis, inque circulis passim, ac diuinas illas, coeloque delapsas praedicant: Quis non videt, scholas ita et sectas constitui? Non iam illas curamus, quae vel in humanis, philosophicis ac medicis, vel diuinis etiam δόγμασι floruerun olim, sed de iurisconsultorum diuersis familiis ac sectis tantum agemus, pro instituti nostri ratione. Augusti Caesaris aetate, ingenti mutatione facta in republica, leges ab eadem immunes plane non poterant relinqui: quia cum statu publico fata studiorum coniungi solent, sicut ex ingeniorum cultu, et varia propensione semper adparet. Tacitus *annali tertio*, [q]) sub finem, Ateium Capitonem, et Antistium Labeonem, *pacis decora*, laudat, propter artes pacis, quae subsistunt in legibus. Praecipui fuerunt vtique, quare et *principes in iure* dicebantur a quibusdam, quemadmodum Augustus *princeps in senatu*: immo et *principatus* istorum pro *secta* accipitur, non tamen alio sensu, quam quo primi erant, et sectariis principia sua commendabant. Ateius Capito dominantibus probabatur magis, quod libertatem amissam non tanti faceret: Antistius Labeo contra libertatis erat retinentior, quare adulatoribus, et mancipiis aulae placebat minime. Atqui mores hi erant vtriusque nimis diuersi. In studiis legalibus ita pariter sese gerebant, argumento haut inani, plerosque in vita et habitu morum, a se inuicem alienos, in doctrina quoque secessionem facere vtplurimum. Biccius, *de possessione duorum pluriumve*. [r]) Accedebat philosophiae dispar cultus, quod Labeo cum sectatoribus amaret stoicos, Capito ex parte aduersa huc parum cum suis inclinaret. Galuanus *de vsufructu*, [s]) ex fontibus. Et forte, intra terminos mutuae dissensionis, contineri potuissent Capito iuxta et Labeo: sed ita

q) conf. A. Gellius XIII. Noct. Attic. cap. 12. r) memb. 2. quaest. 5. s) cap. V. n. 12.

ita nulla exorta fuisset secta, cuius haec est natura, vt omnia placita ac decreta sequatur illius, quem veneratur tanquam principem. Ne tamen confundamur, et Capitonis, et Labeonis, familias siue sectas ordine percensebimus. Capitonis dogmata propagauit Massurius Sabinus, tam singulari sectae religione, vt ne latum vnguem discederet a sententia doctoris. Idem fuit animus eius successori, Cassio Longino: quamuis Paulus [t]) testetur, eum magistri sententiam, Sabini nimirum bene excusasse. Prius ex Arriano Stoico non obscure colligitur: [v]) *liber sum et amicus Dei.* Ita vero sapientes in stoa vocant rectam rationem. Mox addit: *hinc*, scilicet a recta ratione, a natura, *missae sunt leges, quibus parere decet*, non *Massurii et Cassii praeceptis:* quae maiori cum studio, quam DEVM et rectam rationem sequuntur. Qui igitur prodierunt e schola Capitonis, Massurius Sabinus, et Cassius Longinus, sectarios reliquerunt *Sabinianos et Cassianos.* His opponebantur, qui cum Labeone faciebant, Cocceius Nerua, ac Sempronius Proculus, vterque a philosophia, et bonis litteris apud veteres celebris. Ab iis non tantum sectae Proculeianae nomen haesit inter posteros, verum et sectarii *Proculeiani* dicuntur: quorum propter philosophiam et rationem iuris, *peritia* laudatur a diuis fratribus, *vetus et bene fundata:* [x]) vbi paullo ante Proculus. sectae princeps, *non leuis iuris auctor*, siue iurisconsultus grauis et auctoritate quadam conspicuus, nominatur. In hac eadem lege occurrit nota, per quam intelligitur, super lite ambigua, et inter sectas controuersa, quaestionem esse: *comperimus a peritioribus dubitatum aliquando.* Imperator: *valde quaerebatur:* [y]) Paulus vnico verbo, in

Bb 2 lege,

t) l. 19. ff. de recept. qui arbitr. v) lib. IV. in Epictet. cap. 3. x) l. 17. ff. de iur. patron. y) §. 2. I. de emt. vend.

lege, [z]) vnde Iustinianus haec transtulit: *dubitabatur.* Formulae tales passim obuiae sunt, ex quibus iuris cultores ad sectas, earumque auctores praecipuos remittuntur. Huc pertinent aliae: *post multam Sabinianorum et Proculeianorum ambiguitatem placuit.* item: *diuersae scholae auctores existimabant.* aut etiam: *diuersa ac dissidens prudentum schola* censuit, siue *antiquorum prudentum altercationes perspeximus.* *Vetus* autem *et bene fundata peritia*, quaenam sit Diuo Marco, et Lucio Vero Imperatoribus, perinde constat: vocatur alias *veterum sententia*, sine elogiis coniunctis.

§. LXXVIII.

VNDE STVDIO SECTARVM EXTINCTO MEDIA IVRISPRVDENTIA NOVA NOTIONE.

Trahebant sectae ex *media iurisprudentia*, quae in libera floruit republica, plurimum: inprimis Antistii Labeonis discipuli, Proculeiani et qui moribus antiquis et placitis discerni a ceteris volebant, cum sectarii Capitonis, Sabiniani et Cassiani, ad principum ingenia sese accommodarent, et quae modo poterant in dissensu stimulare aduersarios, intrepide affirmarent, negarent. Si de media iurisprudentia differentes audimus, facile possumus concedere, quod sectarum principes ad illam non male referantur, propter veterem iurisprudentiam, aut quod hosce antecesserint, qui sub media iurisprudentia inclaruerunt. Quandoquidem supra iam egimus, de media pariter et antiqua iurisprudentia Romanorum, opus vix erit, in praesenti cum taedio lectoris cramben recoquere. Illud saltim addemus, post iureconsultos designatos, feruorem altercandi ac disceptandi, super opinione sectae, eique mordicus inhaerendi, quadantenus remisisse: quare *media iurisprudentia* dicebatur alio sensu,

z) l. 1 ff. de contrahenda emt. vend.

sensu, nimirum quod iurisconsulti essent *medii*, siue neutri sectae prorsus obnoxii Iac. Gothofredus: [a]) *vltra Hadrianum et Antoninum Pium sectarum istarum sequaces vix reperiuntur: quinimo refrixisse haec dissidia verius est. Hinc exorti sunt medii ICti in nullius iurare verba parati.* Scilicet iuris auctores praestantissimi sese inuicem consulebant, rationes ac leges aestimatione seria perpendebant, et sic ad veram iustamque sententiam convertebantur toti. Nouerant enim, pessime cum iure et iustitia agi, si ex affectu et mentis perturbatione corrivari deberet in origine sua. Proculeiani igitur, quod ex disciplina sectae, liberiores essent, plures quoque invenerunt sibi adsentientes. Habebant quidem principes ac legislatores, si ex principiis dubia lis ac perplexa fieret secundum iura, vt illam pro legislatoria potestate dirimerent: sed plenarium sectis remedium denique allatum est, cum illarum dissensiones componerentur decisionibus Imperatorum. Interim tamen in pandectis, et aliis iuris partibus, nec plenae decisiones, nec integrae sectarum opiniones deprehenduntur, ex quibus in contradictione multae et variae difficultates nascuntur, quibus superandis doctissimi iurisconsulti fragmenta antiquorum denuo collegerunt. Nemo de his profundiore iudicio arbitratur, quam Io. Strauchius, cuius programma a reditu in academiam, ne pereat forte, subnectemus.

a) cap. 7. man. p. m. 28.

SECT. IV.

SISTENS

IOH. STRAVCHII, D.

ET IN ILLVSTRISSIMA SALANA VNIVERSITATE

ANTECESSORIS

PROGRAMMA DE ARTE INTELLIGENDI VETERVM ICTORVM FRAGMENTA IN DIGESTIS.

Indignantur fubinde noftrorum temporum viri eruditi, quod iam pridem homines delicatis lectoribus fecundas acturi aliorum iufta maioraque opera in compendium mittere fategerunt: vnde factum, vt non folum neglectui haberentur grandiora illa opera, pretiumque amitterent, fed tandem magno rei litterariae malo penitus et ipfa amitterentur. Idem fi de Romanorum ICtorum fcriptis, a Tribuniano contractis partim, partim hinc inde per diuerfas rubricas diftractis diuulfisque, quis queratur, vt et olim et hodie doctiorum plerique conqueruntur, nae ille minime inanes naenias occinere nobis videtur. Etfi enim excerpta illa et velut parietinae fententiarum iuris, quas Iuftinianus ex prifcorum ICtorum commentariis qualiquali ordine compegit, tantae prudentiae, tantaeque dignitatis atque auctoritatis opus fit, cuius, fi Codicem facrum exceperis, vix fimile quidquam ab omni aeuo ad noftram aetatem peruenit: Tantum tamen abeft vt defiderium doctorum hominum inde minuatur, vt vel hanc ob cauffam eo magis magisque defiderent, commentarios eorum ad nos perueniffe in-

integros, ex quibus tanquam fontibus ſapientiae veterum latices purius pleniusque haurire liceret. Equidem non ignoro, illud ad mentem Iuſtiniani noſtri ne optare quidem licere. Poſtea quam enim ei fuit viſum veterum conſultorum libros deflorare, ſententiasque et opiniones inde decerptas in Digeſtorum ſuorum corpus conſerere, et ad ſui aeui imperiique ſenſum et vſum inflectere, non tantum coeperunt priſcorum ICtorum commentarii vileſcere, atque e manibus deponi, cum blattis ac tineis luctari, ſolaque oracula Tribuniani inprimis per Orientem adorari, vitio mortalibus proprio, vt quo recentius quodque eſt, ita praeſtare ſolum videatur: Verum etiam quo magis aqua et igne interdiceretur veterum prudentia, vetitum ſeueriſſime fuit, ne conferre cum corpore ſuo integro Tribuniani lacinias liceret, vt maxime certum eſſet, ea corpori minime reſpondere. Quin additum etiam, ne cuiquam fas eſſet in foro alias praeter recentes illas leges citare, ſtatuta in Aduocatos pariter atque Iudices, ſecus ſi feciſſent, legis de falſis poena graviſſima. Cui ſanctioni minantiſſimae quis adeo tam proiectae audaciae fuiſſet, qui praeuaricari, et quibus ſe interdictum nouerat, in iudiciis vti auderet, aut legere ſaltem, vel comparare voluiſſet? Verum enim vero etſi ita viſum fuit Iuſtiniano, neque adeo, tum temporis, ratione carebat, ſaltem in iudiciis, cum libri Iuris mole iam ſua et contrariis partim, partim antiquatis opinionibus laborarent: Tamen Iuſtiniano, Imperatori Graeco, tanta non erat poteſtas, vt aliis gentibus quae imperium ipſius vel iam tum non agnoſcebant, vel ſecuturis temporibus id erant detrectaturi, legem et quidem aeternum valituram victuramque dare poſſet, quam docentes vbique terrarum, ex vſu rei litterariae foret nec ne, vel nolentes et inuiti ſequi tenerentur. Et quis negare auſit, corpus iſtud legum Iuſtinianearum tam obſcurum, tam perplexum, nec non imperfectum plurimis

 par-

partibus esse, vt non vnis extrinsecus auxiliis indigeat, quibus debito lumini exponatur. Quo magis erat curandum, vt si fieri posset, aditus postliminio ad ea fieret, quae Iustiniani auctoritate e scholis et foro proscripta penitus, vel ex parte duntaxat et luxate retenta fuerunt, vt fieri iudicium inde posset, qua mente quiduis ab auctore suo dictum, qua caussa a Iustiniano mutatum, quare additum, quare detractum ei fuerit, quae medicina mutilatis et luxatis, quae censura interpolatis adhibenda, quo modo diuulsa, discerpta, disiecta per partes hinc inde vicissim sanari, componi, solidari, compingi queant. Recte id superiori seculo et sapienter animaduertit, et ni fallor primus omnium, summus Cuiacius atque excerpta illa priscae prudentiae digne ab interprete haberi non posse, pleneque intelligi, atque dextre ad vsum transferri, quam si hinc inde per pandectas dispersa diffitaque membra ad proprios artus reuocarentur atque coirent, adeo vt omnia dicta, quae Paulus, quae Vlpianus, quae alii hoc vel illo libro continua serie scripserant, iterum sub vnum conspectum vnamque compagem reducerentur, et quoad eius fieri posset, iuncturis suis connecterentur. Et ita Cuiacius Africani lacerata per pandectas membra, ita discerptum per plurimas titulorum plagas Paullum, ita diremtum dirutumque Papinianum nobis, tanquam Aesculapius discerptum olim Virbium, ab inferis reuocauit, concinnauit priscaeque figurae quadantenus, cum integritati non posset, restituere annisus est. Adeo, vt ausim cum Duareno, A. Augustino, Eguinario Barone, Octauiano Picenardo, P. Fabro, Ioh. Goeddeo, Guilielmo Smuckio, summis enimvero ICtis, affirmare, neminem in interpretandis ff. sententiis, eisque sibi inuicem concordandis, ad mentem et intellectum cuiusque auctoris, felicius atque intimius penetrare posse, qui huius inuenti beneficio destituatur. Digna haec res visa Iacobo Labitto, ICto Gallico, quem Cuia-

Cuiacius alicubi vnum ex suis intimis, studiosissimisque appellat, vt proprium indicem affabre adornaret, cuius vsu omnium ICtorum, quos continent ff. Iustinianeae, responsa, ad quos libros, quas sectiones, quae corpora pertineant, repraesentantur atque compaginantur. Addit insuper Daedalus ille, Labittus, artificii huius vsum quadruplicem, quo supra quam dici potest egregie inventi sui, hecatomba dignissimi, incomparabiles fructus exemplis vberrime ostendit. Et fatentur omnes, huius mysterii scientes, pandectas hoc ipso in longe meliori lumine collocari coepisse. Ceterum numquid in Codice Iustinianeo simile quid adornari e re sit, forsan dubitari possit. Etenim portiunculae illae integrarum olim constitutionum, non videntur esse membra continui alicuius operis et texturae, sed singulares quasi summae responsorum ab Impp. ad suggestiones et consultationes varias, vel magistratibus diuersorum locorum, vel priuatis etiam hominibus aliis atque aliis datae vel certe edictorum plus vno argumento non continentium epitomae, quae sibi satis constent, et quo cum coassentur, quoue referantur, extra se non habere. Verum enim vero, etsi sunt quaedam rescriptorum fragmenta, quae non nisi ad vnam vnius quaestionem reddita fuere, tamen nihil impediebat, quo minus, quae vnius essent Imperatoris, vtvt argumento diuerso singula pro temporum, quibus edita, ordine ex dictis titulorum sedibus, sub quibus, ceu signis militabant, euocatae vindicarentur, redderenturque. Ita vt iam responsa primo secundum Imperatorum, deinde Consulum, denique dierum mensiumque ordinem collocentur. Cuius rei specimen iam pridem dedit Gvolfgangus Freymonius, et nuper adhuc Georgius Christophorus Stirnius. Sed hoc quidem, nempe vt singulorum Impp. constitutiones ordine ita dispositas simulque iunctas habeas, parum erat, nisi de Tribuniani fide quoque constet, vtrum archetypo leges Codicis Iusti-

niani respondeant, quidque sibi manus audax compilatorum hic permiserit. Quod eo expeditius indagari in Codice potest, quod adhuc non solum fragmenta Gregoriani Hermogenianique Codicum, sed, quod maximi momenti est, tantum non integer Theodosii Codex exstet. Vnde siquis hactenus de emblematis Tribuniani dubitauit, in rem ipsam deduci poterit, visurus quo ausu non tantum ab ipso inscriptiones, legum magistratuumque nomina, ad quos constitutiones datae, sint interpolata: verum quam multa legibus assuta, pluria in alium sensum detorta, plurima refecta, mutilata disiecta fuerint. Vidit id iam pridem Franciscus Balduinus, ICtus celeberrimus, qui Constantini Magni leges singulas perpetuo commentario illustrauit. Quae interpretandi ratio, quam insignem praebeat vtilitatem, non tantum ad sensum mentemque legis recte capienda, et ad factum quod in iudicium venit, dextre applicandum: sed inprimis ad νομοθεσίας ipsius rationem recte subducendam, vnde constet, vtrum quaeque Lex suo seculo apta profuturaque, necessariane fuerit an vtilis, an praesens reip. status tale quid sanciri, et quo vsque vel exegerit vel tulerit, quo animo Legislator erga remp. quo animo erga Paganorum atque Christianorum religionem, quali animo domi militiaeque fuerit. Quae singula et plura alia characterem quendam, vt sic dicam, legi imprimunt, vt de eius ratione et applicatione, nisi his bene cognitis, nihil solidi doceri statuive possit. Quam quidem ad rem Commentatores veteres cum glossa sua valde parum adiumenti afferre potuerunt: adeo vt sicubi forte quasi per nebulam aliquid horum apprehenderunt; id tamen non nisi diuinando, et quasi in tenebris micando assecuti fuere. Et quamuis in foro his sua constet auctoritas; atque etiam merito debeat relinqui, tamen praeiudicare veritati altius indagatae, in cathedra praesertim, non debet. Et cum in qualibet re alia cuiusque auctoris, tum

vel

vel maxime Imperatorum ἦθος erat pernoſcendum; quippe ex eo coniecturam haut vanam de cauſis politicis iuxta atque hiſtoricis cuiusque conſtitutionis ſumere eſt, ſed et loci illius notatio, quo princeps, cum legem ferret, degebat, et temporis, quo datae acceptaeque leges, magnum habet momentum. Sed id hocce programmate prolixius diducere ἀπροσδιόνυσον eſt, vbi hoc praecipue proponendum erat, ex quo intelligerent futuri mei Auditores, quid in publicis recitationibus a me in poſterum exſpectare debeant. Id quod paucis reſtat vt exponam. Equidem vix nuper in hanc Academiam poſtliminio reuerſus, in catalogo lectionum publicarum per praeſens hoc ſemeſtre, meas operas publice vt ſignarem poſtulatus, tres libros Codicis poſteriores enarrare promiſi. Neque nunc muto. Quod felix itaque et fauſtum ſit, inuito omnes et ſingulos, qui iuri operam nauandi cauſſa in celeberrima hac Academia degunt, peramanter et humaniſſime, vt ad diem XXV. menſis Maii, Vrbani nomine ſignatum hora decima matutina in auditorio ICtorum adeſſe dignentur, meque auſpicaturum lectiones meas publicas beneuole audiant. Quod ſupereſt, TE, Deus aeterne, veneror atque adoro, vt ab alto ſapientiae tuae radium infundere, mentemque meam illuſtrare velis, vt cum fructu ego docere, auditorium meum doceri poſſit. P. P. die XXIV. Maii, Anno 1668.

In-

Index rerum et verborum.

Numerus commate notatus paginam; puncto insignis paragraphum indicat.

Agrippa

Cohere-

Edicta

Lares

Ma-

Potestas

Re-





